102
8

PHILOSOPHIA
CHRISTIANA
CVM ANTIQVA ET NOVA
COMPARATA

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

AVCTORE

Caietano Sanseverino

Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae Canonico

Opus denuo recensuit

Nuntius Can. Signoriello

Nec recuso . . . hominem nosse se, et perspicere debere quid sit, unde sit, quare sit; Min. Fel., Octav. n. XVI.

VOLVMEN II

LOGICAE PARTEM PRIMAM COMPLECTENS

47 0
acc

NEAPOLI
APVD OFFICINAM BIBLIOTHECAE CATHOLICAE SCRIPTORVM
via vulgo dicta san-Giov. Magg. Pignatelli—in aedibus Fibrenianis

MDCCCLXXVIII

Huius Operis ius proprietatis
in Legum tutela est

NEAPOLI — TYPIS FRATRVM MANFREDI
in via vulgo dicta Sannicandro n. 4

LOGICAE

PARS I.

VOLVMEN II.

INDEX

Capitum et Articulorum

voluminis huius

CAPVT II. De enunciatione — *Introductio*. . . . PAG. 5
ART. I. De enunciatione, eiusque partibus universim spectatis. . . . . » 15
ART. II. De Nomine. . . . . » 38
ART. III. De Verbo. . . . . » 52
ART. IV. De veritate et falsitate enunciationis . . . » 106
ART. V. Diversae species enunciationis enumerantur . » 125
ART. VI. De enunciationibus categoricis. . . . . » 130
ART. VII. De enunciationibus hypotheticis . . . . » 141
ART. VIII. De enunciatione multiplici . . . . . » 153
ART. IX. De divisione enunciationis in aientem, et negantem . . . . . » 158
ART. X. De enunciationibus modalibus . . . . . » 180
ART. XI. De oppositione, et conversione enunciationum. » 198
CAPVT III. De ratiocinatione — *Introductio* . . . . » 224
ART. I. De syllogismo in universum spectato, eiusque elementis disseritur . . . . . » 230

ART. II. De syllogismo deductivo. . . . . PAG. 247
ART. III. De syllogismo inductivo. . . . . » 293
ART. IV. De syllogismis hypotheticis. . . . . » 352
ART. V. De enthymemate, aliisque modis argumentationis, qui ad syllogismum, vel ad inductionem accedunt. » 363

LOGICAE

PARS PRIMA

CAPVT II.

De enunciatione

INTRODVCTIO

POSTQVAM summa genera notionum, nempe categorias explicuimus, ordinis ratio postulat, ut ad enunciationem, quae ex illis conflatur, explicandam progrediamur. Atque in antecessum statuamus oportet, quonam modo enunciatio hocce in loco spectanda nobis sit. B. Albertus M. ipsam tribus modis considerari posse docuit. Primus est, cum ipsa, prout actum intellectus unum cum altero coniungentis, aut unum ab altero separantis significat, consideratur. Puta, si notionem *incorruptibilitatis* cum notione *animae* coniungentes asserimus *animam esse incorruptibilem*, enunciationem primo modo consideratam efformamus, quia haec enunciatio actum mentis notiones *incorruptibilitatis*, et *animae* secum copulantis significat. Secundus est, cum ipsa consideratur, prout est pars syllogismi. Ita, enunciatio, quam modo confecimus, consideratur veluti pars syllogismi, si cum hac altera: *omne incorruptibile est simplex*, colligetur, indeque tertia, nempe *anima est simplex*, eliciatur; ipsa enim simul cum altera concurrit ad efficiendam conclusionem huius syllogismi: *Omne simplex est incorruptibile*; *atqui anima est incorruptibilis*: *ergo anima est simplex*. Tertius modus est, cum, prout veritatem conclusionis probat, spectatur. Etenim, quoniam tota vis conclusionis ex vi enunciationum, quae ipsi praemittuntur, oritur, notitia conclusionis certa, vel probabilis esse debet, prout certae, vel probabiles sunt

enunciationes, ex quibus ipsa elicitur [1]. Qui vero enunciatio secundum hosce tres modos differat, dubitandum non est, quia ipsa, eodem Alberto M. observante, secundum diversos illos modos diversa accidentia habet, diversaque nomina sumit. Vt horum nonnulla innuamus, enunciatio, primo modo considerata, est vel *universalis*, vel *particularis*, vel *singularis*; secundo autem, vel *propositio*, vel *assumptio*, vel *conclusio*, prout vel primum, vel secundum, vel tertium locum in syllogismo occupat; tertio denique *necessaria*, aut *contingens*, *certa*, aut *probabilis* [2].

Iam perspicuum est enunciationem, antequam duobus ultimis modis, nempe prout ad constructionem syllogismi, vel ad probationem conclusionis concurrit, consideretur, primo modo, nempe ipsam in se considerandam esse. Etenim haud possibile est probe cognoscere partes, quas enunciatio in constructione syllogismi explet, et vim, quam ad veritatem conclusionis evincendam habet, nisi quidnam ipsa in se, hoc est, quaenam eius natura sit, ante compertum fuerit. Iam, quoniam enunciatio natura sua significat actum intellectus unum cum altero coniungentis, aut unum ab altero separantis, consequitur prorsus necessarium esse, ut enunciatio priori modo considerata seorsum in primis exponatur.

Hoc ipsum duobus argumentis e dynamilogia depromptis secundum s. Thomam [3], et Scotum [4] comprobari potest. Primo, quoniam actus, quo intellectus enunciationem efformat, ut in *Dynamilogia* ostendemus, est diversus ab actu, quo ex duabus enunciationibus tertiam elicit, nempe quo syllogismum efformat, sequitur aliam esse oportere considerationem enunciationis, prout haec in se spectatur, aliam autem, prout est pars syllogismi. Secundo, si in syllogismo ex duabus enunciationibus tertia elicitur, profecto cognosci non potest modus, quo

---

[1]) Vid. *Perihermenias* lib. I, tract. I, c. 2.

[2]) *Op. cit.*, ibid. c. 1. — [3]) *In lib. I Periher.*, lect. I.

[4]) *In duobus libros Perihermenias Operis secundi*, Prooem., n. 2, et q. IV, n. 9.

syllogismus conficitur, nisi cognoscatur ordo, quem ipsae enunciationes inter se habent. Atqui ordo, quo plures res secum colligantur, cognosci non potest, nisi res ipsae in se ante cognoscantur. Ergo enunciatio cognosci non potest, prout est pars syllogismi, nisi prout ipsa est in se, ante perspecta fuerit.

Quam ob rem nos vestigia Aristotelis prementes in hoc capite enunciationem in se ipsa, proindeque a syllogismo seiunctam explicabimus; in sequenti autem, in quo de constructione syllogismi disseremus, ipsam, prout pars syllogismi est, expendemus; atque in altera Logicae parte, prout ad probationem conclusionis concurrit, considerabimus. Quo quidem pacto eamdem viam, quam inivimus, persequemur. Etenim, quemadmodum, postquam in capite praecedenti notiones in se ipsis scrutati sumus, in hoc ipsas, tanquam subiectum, et praedicatum enunciationis, expendere aggredimur; ita priusquam in sequenti capite enunciationem, veluti elementum syllogismi, considereremus, in hoc ipsam, prout in se est, cognoscendam suscipimus.

Aristoteles, uti Albertus M. observavit, atque ex dictis in *Introductione* facile perspicere licet, enunciationem primo modo in libro *Perihermenias*, nempe *De interpretatione* [1], secundo, in *Analyticis Prioribus*, tertio in *To-*

[1]) Authentiam huius partis *Organi* unus, quantum scimus, Andronicus Rhodius inter antiquos inficiatus est, eique Petr. Ramus (*Scholae Dialecticae, seu Animadversiones in Organon*, lib. V, c. 6, Basil. 1559), et Franc. Patritius (*Discuss. perip.*, lib. II, t. I, p. 21, Basil. 1551), inter recentes secuti sunt. Andronicus ea ratione permotus fuit, quod Aristoteles in primo capite huius tractatus, cum νοήματα, *notiones*, παθήματα ψυχῆς, *passiones animae* vocasset, ad opus suum *de Anima* lectorem amandavit, in quo nihil huiusmodi invenitur (vid. Ammonium, *In Peri-Hermeneias*, fol. 2 *verso*, Venetiis 1503, et Boëtium, *De Interpr. ed. pr.*, lib. I *Opp.*, p. 292 ed. cit.). Ast ipse falsus est; namque Aristoteles in libris *De Anima* ita naturam *notionum* explicuit, ut his nomen *passionum* in libro *de Interpr.*, dare potuisse omnino credibile sit (cf praesertim lib. I, c. 3, et lib. III, c. 3, 6 et 9). Immo Philoponus (*In lib. I de Anim.* fol. 7 a) Andronico obiecit locum e libro primo *De Anim.* (c. I, § I,

picis explicavit [1]. Quod attinet ad librum *De interpretatione*, qui circa materiam huius capitis versatur, non solum rerum, quae in ipso tractantur [2], sed etiam inscriptionis, quam prae se fert, explicatio multum negotii interpretibus facessit. Iuvat de hac controversia aliquid innuere, ut materia, et scopus huius tractationis luculentius patescant. Quin unica, et genuina inscriptio huius partis *Organi* sit Περὶ ἑρμηνείας, dubitandum non est; si quidem non alia, quam illa, apud graecos interpretes invenitur, neque unquam in controversiam ab eis adducta fuit. Latini, auctore Boëtio, qui duos *Commentarios* in hunc librum elucubravit [3], *de interpretatione* verterunt, quia graecum ἑρμηνειαν grammatice acceptum idem valet, ac latinum *interpretari*. At, cum de philo-

---

ed. Trendel.), in quo notiones innuere volens ipsas πάθη τῆς ψυχῆς dixit. Hinc Alexander Aphrod., cui praeter antiquos interpretes, Albertus M. (*Op. cit.*, tract. II, c. 1), s. Thomas (*Op. cit.*, lect. II), aliique plauserunt, hoc Andronici commentum iure, meritoque reiecit (apud Boët. loc. cit.). Ammonius vero, cum hunc librum Aristotelis in quinque partes distribuisset, quintam pro spuria habuit, quia ea, quae in ipsa de oppositione propositionum dicuntur, tanto philosopho indigna esse putavit (*Op.* cit. 33 *verso*). Verum, quantae utilitatis haec doctrina sit, ex dicendis patefiet.

[1]) « Intelligendum est, B. Doctor scribit, quod ad hoc, quod ali-« quis deveniat ad notitiam ignoti per notum, exiguntur tria. « Primum quidem interpretatio rerum per vocem interpretati-« vam. Secundum, copulatio eorum, quae interpretata sunt ad « consequentiam unius cum altero. Tertium probatio, quod sit « sic, et non aliter. Et primum quidem fit in perihermenias, se-« cundum in prioribus, tertium autem diversimode in posterio-« ribus, et topicis »; *Op. cit.* ibid., c. 1.

[2]) « Sequitur, s. Isidorus inquit, liber Perihermenias subtilissi-« mus nimis, et per varias formas, iterationesque cautissimus, de « quo dicitur: Aristoteles, quando perihermenias scriptitabat, ca-« lamum in mente tingebat »; *Etymol.*, c. 27, n. 1, *Opp.* t. III, p. 106, ed. Arevalus, Romae 1798. Cf Cassiodorum, *Opp.* t. II, p. 467, Parisiis 1600, et Albinum, seu Alcuinum, *Opp.* t. I, p. 47, et t. II, p. 350, ed. Frobenius, Ratisbonae 1777.

[3]) Inter eius opera extant, *Arist. De Interpret. editionis primae, seu minorum Commentariorum libri 2*, et *Edit. secundae, seu Comm. maiorum lib. 6*, ed. cit. pp. 215-289, et 289-468.

sophica notione illius vocis inter interpretes non omnino conveniret, Scholastici, s. Isidorum Hispalens., et Alcuinum secuti, litteris mutatis, unaque voce ex praepositione, et nomine conflata, inscriptionem *Perihermenias* retinuerunt [1].

At vero, quid voce ἑρμηνείας Aristoteles significatum voluerit, non est una interpretum opinio. Boëtius in *Comment. primae edit.* scripsit interpretationem esse vocem, quae per se aliquid significat [2]. At, quandoquidem advertit voces brutorum quoque aliquid significare, in *Comm. secund. edit.* non vocem dumtaxat, sed vocem *articulatam* dixit, quae a graecis ἔναρθρος vocabatur. Tandem, ut difficultatem, quae ex vocibus articulatis psittacorum, picarum, aliorumque brutorum peti posset, amoliretur, in eodem *Comm.* adiecit interpretationem esse vocem, quae internos conceptus mentis per se significat [3]. Quamobrem interpretatio, Boëtii iudicio, est vox articulata, quae passiones interiores animi per se significat. Boëtio pollicem pressisse videtur s. Isidor. Hispalens., cum in capite *De Perihermeniis Aristotelis* inquit: « Omnis elocutio conce-« ptae rei interpres est: inde perihermeniam nominat, quam « interpretationem nos appellamus [4] ». At s. Thomas interpretationem *orationem enunciativam* vertit. « Ille e-« nim, scribit, interpretari videtur, qui exponit aliquid esse

---

[1]) Hoc nomen, quod genitivus casus numeri singularis a nominativo *perihermenia* ductus esse videtur, in plurali numero apud s. Isidorum, aliosque declinatum occurrit; unde voces *perihermeniarum*, et *perihermeniis* in eorum libris quandoque leguntur. Advertendum quoque est Albertum M., s. Thomam, aliosque Scholasticos exemplum Boëtii secutos fuisse, qui in Commentario primae editionis unicum librum, uti diximus, in duos divisit.

[2]) Lib. I *Opp.*, p. 215 ed. cit.

[3]) Lib. I, p. 290, et 291 ed. cit. Itaque Bart. Saint-Hilaire Boëtio iniuria obiecit eum explicuisse quidem vocem graecam, sed non notionem, quae illi voci subiicitur. Id ex eo factum est, quod solum Commentarium prim. edit., quem ibidem citavit, prae oculis habuit. Vid. eius opus, *De la log. d' Aristote* etc., part. I, c. 10, t. I, p. 101 ed. cit.

[4]) *Op. cit.*, c. cit.

« verum, vel falsum. Et ideo, sola oratio enunciativa, « in qua verum, et falsum invenitur, interpretatio vo- « catur. . . Intitulatur ergo liber iste de interpretatione, « ac si diceretur de enunciativa oratione, in qua verum, « aut falsum invenitur [1] ». Aquinati adstipulatus est Scotus, qui scribit: « Est autem liber iste, qui dicitur Peri- « hermenias, de interpretatione, ut exponat aliquid es- « se, vel non esse, hoc est de simplici enunciatione [2] ». Inter non paucos recentes, qui hos secuti sunt, Iacob. Facciolatium [3] nominamus; hic enim *De enunciandi ratione* illud caput logicae inscripsit, quod libro aristotelico *De interpretatione*, eius iudicio, respondet.

Hae duae explicationes vocis ἑρμηνείας, quarum discrepantiam Barth. Saint-Hilaire multum exaggeravit, non re, sed specie tantum differre nobis videntur. Enimvero nemini dubium esse potest, quin *interpretatio*, si vocem spectes, non solam enunciationem, sed quamlibet orationem significet, quippe quod omnis oratio mentis humanae sensa interpretatur, hoc est significat [4]. At, quandoquidem enunciatio, ut mox videbimus, est sola oratio perfecta, ea κατ' ἐξοχήν nomen interpretationis meretur, estque, uti Albertus M. inquit, *potissima interpretatio* [5], quia perfectiori modo, quam reliquae, conceptus mentis interpretatur. Quod cum ita sit, vel tenendum est cum Boëtio[6], s. Thoma [7], aliisque Aristotelem hunc librum, in quo de enunciatione disputavit, ab interpretatione nuncupasse, quia enunciatio est κατ' ἐξοχήν interpretatio, vel cum Aspasio [8], Alexandro Aphros. [9], et Alberto M. [10], dicendum

---

[1]) *In lib. I Perih.*, lect. IV. — [2]) *Op. cit.*, Prooem., n. 2.
[3]) *Rudimenta Log.*, part. 2, c. I, not. (1) p. 59, Venetiis 1772.
[4]) Ad rem s. Augustinus subdit: « . . . vidit esse imponenda re- « bus vocabula, id est significantes quosdam sonos; ut quoniam « sentire animos suos non poterant, ad eos sibi copulandos sensu « quasi interprete uterentur »; *De Ord.*, lib. 2, c. 12, n. 35.
[5]) *Op. cit.*, ibid. c. 1.
[6]) *In lib. I Periher.*, Comm. prim. edit. p. 216, et 219.
[7]) *Op. cit.*, lect. cit.
[8]) Apud Boëtium *In lib. I Periher.*, Comm. sec. ed. p. 292.
[9]) Apud eumdem Boët. *ibid.* — [10]) *Op. cit.*, ibid.

est Aristotelem, quandoquidem de enunciatione disserere non potuit, quin aliquid de oratione in universum spectata innueret, librum potius de interpretatione, quam de enunciatione inscripsisse. Quamobrem illi, qui vocem interpretationis ab Aristotele adhibitam pro quacumque oratione conceptus animi significante explicarunt, et illi, qui ipsam pro enunciatione exposuerunt, inter se re vera non dissident, quia vox interpretationis omnem orationem significat, sed ab Aristotele ad orationem enunciativam, λογὸν ἑρμηνευτικον [1], quae praecipua materia libri erat, significandam usurpata fuit.

Ex his perspicis nobis enunciationem explicaturis opus esse, ut de oratione universim considerata quidquam delibemus; nam, cum enunciatio ad orationem, tanquam species ad genus referatur, manifestum est in partium enunciationis vestigatione non pauca occurrere oportere, quae ipsi cum oratione communia sunt. Illud sedulo advertendum est, logico de enunciatione, et in universum de oratione aliter, ac grammatico, tractandum esse. Nam grammaticus, postquam sermonem in voces, quae eius elementa sunt, resolvit, inquirit, quasnam res voces significent, et quo modo voces ad sermonis constructionem concurrant [2]; eapropter voces, observante Alberto M., considerat tanquam signa immediata eorum, quae nobis in rebus occurrunt. E contrario, logicus *analysim*, nempe resolutionem sermonis in sua elementa, quae voces sunt, instituit eo consilio, ut conceptus intellectus, qui vocibus significantur, cognoscat, simulque inquirat, quomodo intellectus illam compositionem conceptuum efficiat, qua extrinsecus prolata *sermo*, sive *oratio* nuncupatur: unde logicus, ut idem Albertus advertit [3], vo-

---

[1]) Vid. Clem. Alex. *Strom.* lib. VIII, c. 8.

[2]) Apposite s. Augustinus: « Est autem grammatica vocis articulatae custos, et moderatrix disciplina »; *Solil.*, lib. II, c. XI, n. 19.

[3]) « Et in hoc differunt notae hic consideratae a consideratione « grammatici, qui considerat voces istas secundum quod sunt si« gna rerum immediate: et ideo dicit, quod nomen significat sub-

ces , non tanquam signa immediata rerum , sed conceptuum , expendit. Enimvero , ut apposite s. Thomas argumentatus est , logici munus est supremos conceptus rerum , supremosque modos , quibus ordinem inter se habent , investigare. Atqui conceptus vocibus natura praecedunt , quia voces ad conceptus significandos inventae sunt. Ergo logicus ex diversitate conceptuum diversas significationes vocum , atque ex natura ordinis, quem intellectus inter conceptus suos ponit, structuram orationis, quae illum ordinem significat, explicare debet [1].

At vero, quamvis de enunciatione aliter logicus , aliter grammaticus tractet; tamen dubitari non potest, quin logica fundamentum grammaticae suppeditet. Nam, cum voces, ut post Clementem Alexandr. [2] s. Thomas docuit, « significent intellectus conceptiones immediate , et eis « mediantibus res [3] », nemo non videt logicam, eo ipso, quod sermonem , tanquam conceptiones intellectus significantem, considerat, complecti in se principia, quibus grammatica superstruitur , normasque , secundum quas ipsa in sermonis analysi progredi debet. Ex his principiis , hisque normis illa scientia conflata est , quam recentes *grammaticam generalem*, aut *grammaticam philosophicam*, aut quoque *philosophiam grammaticae* nuncuparunt. Quamvis multi eorum hac de scientia optime meriti sint [4]; tamen vehementer falluntur , qui eius inventionem ipsis laudi vertunt ; si quidem fere cunctae

« stantiam cum qualitate. Logicus autem, quod est vox signifi- « cans ad placitum »; *Op. cit.*, tract. II, c. 1.

[1]) « Quia vero conceptiones intellectus praeambulae sunt ordi- « ne naturae vocibus, quae ad eas exprimendas proferuntur, ideo « ex similitudine differentiae, quae est circa intellectum, assi- « gnat differentiam, quae est circa significationes vocum, ut sci- « licet haec manifestatio sit non solum ex simili, sed ex causa, « quam imitatur effectus »; *Periherm.*, lib. I, lect. III.

[2]) *Strom.*, lib. VIII, c. 8.

[3]) *Op. cit.*, lect. I. Cf *Qq. dispp., De Pot.*, q. IX, a. 5 c.

[4]) Hos diligenter recensuit comes Lanjuinais in Praefatione, quam adlevit operi cl. Court de Gebelin, *Storia naturale della parola*, trad. Pasq. de Aloe, p. XIII-LVIII, Napoli 1829.

partes grammaticae, quam *philosophicam* appellant, apud veteres grammaticos, in primisque graecos cum alexandrinos, tum pergamenos subtiliter explicatae inveniuntur [1]. Vt unum prae multis exemplis adducamus, Apollonius Dyscolus, qui veterum grammaticorum existimatur princeps [2], non solum grammaticen secundum principia philosophiae tractavit, sed etiam necessitatem de illa hoc modo tractandi saepe inculcavit. Ipse enim modo asseruit non posse vitia sermonis emendari, nisi principia, quae ipsum moderantur, comperta sint [3]; modo vim, potestatemque sermonis, δυνάμιν τοῦ λόγου, investigare iussit [4]; modo grammaticos reprehendit, quod sermonem certa methodo ἐμμεθόδως, non explicarent, sed exempla dumtaxat congererent [5]. Quin immo adeo progressus est, ut eorum, quae a communibus sermonis legibus deflecterent, rationes quaerendas esse vellet [6]. Apud Scholae Doctores, in primisque illos, qui tractatum Aristotelis *De interpr.* explicuerunt, non pauca occurrunt, quae ad diversas partes grammaticae illustrandas quamplurimum conferunt. Sed, his praetermissis, satis est commemorare *Grammaticam speculativam* Scoti, quam initio primi voluminis eius operum Waddingus evulgavit [7].

At, si indubium est logicam multum adiumenti gram-

---

[1]) Legere iuvabit E. Egger, *Essais sur l' histoire des thèories grammaticales dans l' antiquitè*, Paris 1829.

[2]) Hic a Prisciano modo « summus auctor artis grammaticae » (lib. VIII, c. 15, t. I, p. 423 ed. cit.), modo « maximus auctor artis grammaticae » (lib. XI, p. 515) appellatus fuit. *In Prooem.* (p. 4 ed. cit.) « Quid, ait, Apollonii scrupulosis quaestionibus enu« cleatius dici possit? » Cf lib. II, c. 6, p. 76.

[3]) *Syntax.*, lib. I, c. 10, ed. Imm. Bekker, Berolini 1817.

[4]) *Ibid.*, lib. II, c. 12. — [5]) *Ibid.*, c. 21.

[6]) *De pronomine liber*, p. 16, ed. Imm. Bekker, Berolini 1813.

[7]) Iuvat excribere verba, ex quibus Scotus exorditur: « Quo« niam *quidem intelligere, et scire contingit in omni scientia ex co« gnitione principiorum*, ut scribitur primo Physicorum *text. com« ment.* I, nos ideo volentes habere scientiae Grammaticae noti« tiam, circa omnia eius principia, cuiusmodi sunt modi signi« ficandi, per se primo oportet insistere »; Prooem. n. 1.

maticae adferre, eiusque veluti fundamentum esse, cave ne grammaticam esse partem logicae tibi persuadeas. Inter veteres diu, acriterque disputatum fuit, utrum grammatica inter scientias, an inter artes ingenuas recensenda sit [1]. Illud dumtaxat nosse hic iuvat Stoicos grammaticam, quam universam per se ipsam tractandam, excolendamque primi susceperunt [2], tanquam partem necessariam logicae considerasse. Namque, *oratio*, λόγος, eorum iudicio, *cogitationem*, διάνοιαν, inter facultates, sive, uti aiebant, partes animae sequitur [3], duasque logicae partes constituit, nempe *rethoricam*, quae circa orationem continuam, et *dialecticam*, quae circa orationem inter interrogantem, et respondentem divisam [4] versa-

---

[1]) Hanc historiam videre licet apud Lersch, *Philosophia sermonis apud veteres* (germ.), part. I, Bonnae 1838-1841, et Graefenhan, *Historia classicae philologiae veteris*, t. III, p. 133, Bonnae 1846.

[2]) Cf Rudolph. Schmidt, *Stoicorum grammatica*, Halis 1839. Quamvis grammatica a Stoicis re vera constituta sit; tamen Platonis, in primisque Aristotelis merita in hac re deneganda non sunt. Platoni quidem in orationis flumine praecipuas orationis partes, nempe *nomen*, et *verbum* intercipere contigit; sed ipse ultra has progressus non est (cf *Cratyl.*). At Aristoteles, si in libro *De interpretatione* divisionem partium orationis platonicam sectatus est, in libro *De arte poetica* quatuor partes, nempe *nomen*, ὄνομα, *verbum*, ῥῆμα, *coniunctionem*, σύνδεσμος, *articulum*, ἄρθρον, numeravit; primus ad quamvis inflexionem nominum a primitivis formis designandam *casus*, πτώσεως, denominationem invenit; adhuc non solum tria genera nominum *masculinum*, ἄῤῥηνα, *femininum*, θήλεα, et *neutrum*, σκεύη, distinxit, sed etiam ipsa genera ex terminationibus nominum discriminare studuit. Loca praecipua Aristotelis, quae ad grammaticam generalem spectant, sunt, praeter priora capita, *De interpr.*, *Elench. Soph.* c. 3; *Topic.* lib. IV, c. 4; *Probl.* lib. XI, c. 1; *De Anim.* lib. II, c. 8, et lib. III, c. 2. Inde factum est, ut Dio Chrysostomus (*Orat.* LIII, t. II, p. 274, ed. Reiskius, Lipsiae 1784), aliique veteres Aristotelem grammaticae auctorem salutarent. Consulere e re erit Ioan. Classen., *De grammaticae graecae primordiis*, Bonnae 1829, et qui nova adiecit, Laur. Lersch, *Op. cit.*, part. 2.

[3]) Vid. Dioclem Magnetem, apud Laert. lib. VII, segm. 49.

[4]) Id, ut alias dicemus, sibi vult nomen *dialectica* a διαλέγεσθαι, *colloqui*.

tur [1]. Verum, missis pronuntiatis psychologicis Stoicorum, de quibus alias agendum nobis erit, grammaticam non esse partem logicae pro certo habendum est. Namque idem obiectum, si diversis modis consideretur, uti alibi ostendemus, ad unicam scientiam pertinere non potest, quia obiectum, quod diversis modis consideratur, multiplex evadit. Atqui oratio aliter, uti vidimus, in grammaticam, ac in logica, consideratur. Grammatica igitur cum logica confundi nequit. Nec grammatica, tanquam specialis scientia, habenda est, eo quod e logicae penu principia sua mutuatur. Etenim grammatica, omnesque aliae artes ingenuae, uti alias ostendemus, quamvis principiis scientiarum utantur, tamen scientiae non sunt, quia non ad theoreticam, aut practicam cognitionem rerum, sed ad opus perficiendum spectant, ob idque non speculativis, practicisque rationis pronuntiatis, sed praeceptis, regulisque constant. Hinc s. Isidorus, postquam grammaticam ita declaravit: « Grammatica « est scientia recte loquendi, et origo, et fundamentum « liberalium artium [2] », subdit: « Ars vero dicta est, « quod artis praeceptis, regulisque consistat [3] ».

ARTICVLVS PRIMVS

De enunciatione, eiusque partibus universim spectatis

Quandoquidem enunciatio ex vocibus constat, illud in primis exponere e re erit, quod Aristoteles de distinctione vocis in *incomplexam*, seu simplicem, et *complexam*, seu coniunctam cum in *Categoriarum* initio [4], tum in libro *De interpretatione* [5], adnotavit. Cuius di-

---

[1]) Audi Senecam: « διαλεκτική in duas partes dividitur, in « verba et significationes, id est in res, quae dicuntur, et in « vocabula, quibus dicuntur »; *Epist.* LXXXIX, n. 16. Cf Laert., lib. VII, segm. 41.

[2]) *Op. cit.*, lib. I, c. 5, § 1, p. 12. — [3]) *Ibid.*, § 2, p. cit.

[4]) C. 2, p. 82, ed. cit. — [5]) C. 2, 3 et 4.

stinctionis vis ut penitus intelligatur, mente recolamus oportet, intellectum nostrum res concipere non solum *per se*, sive *absolute* spectatas, puta *animal per se*, *hominem per se*, *currere per se*, aliaque eiusmodi, quae aliqua categoria continentur, sed etiam per principia, sive elementa, ex quibus componuntur, sive haec elementa sint materia, et forma, quae essentiam rei componunt, puta hominem, prout est *animal rationale*, sive sint proprietates, quae essentiae adiiciuntur, uti hominem, prout est *capax ridendi*, vel prout est *iustus*, aut *sapiens*. Quamobrem homini opus est non solum vocibus, quae conceptus absolutos rerum, sed etiam vocibus, quae conceptus principiorum, ex quibus res constant, coniunctos, atque inter se colligatos significant. Etenim, uti Albertus M. observavit, quamvis quidquid est in qualibet re, concretum, coniunctumque in ea sit; tamen nos compositionem formae cum materia, aut attributionis cum subiecto quam intellectus noster in re concipit, significare non possumus, nisi voces praesto nobis sint, quae plures conceptus unam rem cum alia, puta *rationale* cum *animali*, aut unam in alia, puta *iustitiam* in *homine* exhibentes significent [1]. Iam vox, quae conceptum absolutum rei significat, ob idque sine alterius vocis societate ponitur *incomplexa*, ἄνευ συμπλοκῆς seu *simplex*, et vox, quae plures conceptus inter se colli-

---

[1]) « Quamvis enim, B. Doctor ait, res omnes incomplexae « sint: tamen compositionem formae cum materia, vel praedicati « cum subiecto non potest significare intellectus, nisi per notam « complexionem. Complexio autem est designatio unius cum alte- « ro, vel in altero: sicut cum dicitur, homo currit, vel homo vin- « cit: in his enim vocibus notatur cursus inesse homini, et victo- « ria, ut actus inest agenti. Et hanc complexionem componens fa- « cit intellectus: et non est in re per modum compositionis, quae « media sit inter hominem agentem, et actum eiusdem. Ea vero, « quae sine complexione sunt, exemplariter sunt, sicut cum per « se dicimus homo, et per se vincit, et per se currit »; *Lib. de Praedicam.*, tract. I, c. 5; cf *ibid.*, tract. II, c. 2.

gatos significat, proindeque ex pluribus vocibus incomplexis constat, complexa, κατὰ συμπλοκήν, seu *composita*, aut *coniuncta* post Aristotelem nuncupatur [1]. Hanc divisionem vocis, quam omnes Scholastici post Clementem Alex. [2] amplexi sunt, s. Thomas, secundum doctrinam dynamilogicam Alberti M. modo allatam, breviter exposuit his verbis: « Conceptio significabilis per vocem incom« plexam . . . accidit, quando intellectus format quid« ditates rerum . . . , per vocem complexam. . . , quan« do intellectus componit, et dividit [3] ». Vt id exemplis declaremus, vox *homo* est *incomplexa*, quia unicum, et absolutum conceptum *hominis* designat, nec cum alia voce coniungitur; at vox *animus bonus* est *complexa*, quia notionem *boni* cum notione *animi* coniunctam denotat, duasque voces, quae illas duas notiones significant, complectitur. Exemplum vocis complexae ex s. Augustino mutuati sumus, qui scribit: « Cum audio, v. g., quod dici« tur animus bonus, sicut duo verba sunt, ita ex eis « verbis duo quaedam intelligo: aliud, quo animus est, « aliud, quo bonus [4] ».

Iam, quisquis ex se intelligit esse proprium vocis incomplexae, ut, si ulla eius pars seorsum sumatur, nihil significet, quippe quod unicus conceptus, quem ipsa significat, capax divisionis non est, atque e contrario, quandoquidem singulae voces incomplexae, ex quibus vox complexa componitur, proprium conceptum habent, voci complexae illud convenire, ut singulae eius partes, seorsum sumtae, aliquid significent. E. g., in voce *homo* nullam partem sumere poteris,

---

[1]) *Categ.*, c. 2, p. 82, ed. cit. Iam apud Platonem, συμπλοκή, quam Scholastici *complexionem* verterunt (vid. Albert. M., *Op. cit.*, ib.), nexum vocum enunciationem componentium significat. Vid. *Theaet.* p. 202, b. et *Sophist.*, p. 262, b. Aristoteles illam vocem quoque adhibuit, *De Anim.*, lib. III, c. 8, § 3, ed. Trendel.

[2]) *Strom.* lib. VIII, c. 8.

[3]) *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. IV, a. 2 c.

[4]) *De Trinit.*, lib. VIII, c. 3, n. 4.

cui a ceteris seiunctae aliquis conceptus respondeat; sed in voce complexa, *homo iustus*, sive vocem *homo*, sive vocem *iustus*, quae duae eius partes sunt, sumpseris, aliquem conceptum ipsi respondentem habebis. Nisi quod, cum partes vocis incomplexae eiusmodi esse oportere dicuntur, ut nulla earum aliquid significet, de partibus intelligendum est non per se, sive absolute sumtis, sed prout partes vocis sunt. Nihil enim prohibet, quin singulae partes vocis incomplexae extra vocem, quam componunt, consideratae aliquid significent, sed consideratae, prout vocem efficiunt, nihil significant, quia, uti Albertus M. advertit, conceptum, ad quem significandum tota vox destinatur, minime significant. Puta, vox *dominus*, uti idem Beatus Doctor pergit, est incomplexa; si quidem eius partes *do*, *mi*, et *nus*, licet duae priores seorsum consideratae proprium conceptum habeant, nihil de conceptu denotant, ad quem significandum coniunctae destinatur. Idem dicito de voce *hircocervus*, a quo Scholastici, post Aristotelem [1], exemplum petere solent, quia partes eius, scilicet *hircus*, et *cervus*, seorsum consideratae, totum conceptum hircocervi nobis haud suppeditant [2]. Huius rei ratio, ut s. Thomas advertit, est,

---

[1]) *De interpr.*, c. I, t. I, p. 123, ed. Waitz. De voce τραγέλαφος, *hircocervus*, legere iuvabit Eustathium *In Hom. Iliadem* lib. II, *a*, t. I, p. 102, Romae, ed. And. Baldus 1542, et Hemsterusium, ad *Luciani Prometh.* § 7, *Opp.* t. I, p. 239, ed. Lehman, Lipsiae 1821.

[2]) En locum Alberti M.: « Nihil enim dicitur significare, quod « de intellectu sui totius nihil significat, sicut cum dicitur domi« nus neque do syllaba, neque mi, neque nus aliquid significant « de intellectu totius vel secundum partem, vel secundum totum. « Sic etiam cum dicitur hircocervus, nec hircus, nec cervus aliquid « significant de intellectu totius; hircus enim non significat par« tem, quae est hircus, et cervus aliam partem; sed utrumque per « se nihil de toto significat, sed ambo coniuncta significant indivi« sibilem intellectum hircocervi totius » (*Op. cit.*, lib. I, tract. II, c. 2). Hinc s. Thomas aiebat: « Plus est in significatione compositi, « quam in significationibus componentium »; *In lib. III Sent.*, Dist. X, q. I, a. 2, *sol.* 3 ad 3; cf *Quodl.* VIII, a. 14 ad 1.

quod significatio vocis non ab eo, a quo vox ad aliquid significandum sumitur, sed ab eo, ad quod significandum adhibetur, pensanda est; si quidem nos voces non alio consilio proferimus, quam ut conceptus nostros, illarum ope, cum aliis communicemus [1]. Iamvero, simplex conceptus significari quit non solum per voces, quae a simplici conceptu, puta *homo*, sed etiam per voces, quae a conceptu composito efformantur, puta *argonauta*, aut *hircocervus*. Igitur pro incomplexis habendae sunt omnes voces, quae simplicem conceptum significant, sive ipsae a conceptu simplici, sive a composito efformatae sint. Quandoquidem autem, ut idem Aquinas subdit, omne nomen compositum, quod simplicem conceptum significat, a conceptu composito efformatur, pars aliqua eius aliquid significare videtur, cum nihil de conceptu totius vocis re ipsa significet [2]. Ex quo intelligis logicum simplicitatem, et complexionem vocis secus, ac grammaticum, metiri. Nam, grammaticus, quippe qui voces, et conceptus dumtaxat propter voces expendit, simplicitatem, et complexionem vocum ex ipsis vocibus metitur. Verum, logicus, quoniam voces solum propter conceptus considerat, simplicitatem, aut complexionem vocis ex significatione eius diiudicat. Inde certe efficitur, ut eadem vox, puta *campus martius*, quae

[1]) Lubet exscribere hunc disertum locum s. Augustini: « Quid « aliud molimur (*cum loquimur*), nisi animum ipsum nostrum, si « fieri potest, cognoscendum, et perspiciendum animo auditoris « inferre: ut in nobis ipsi quidem maneamus, nec recedamus a no- « bis, et tamen tale indicium, quo fiat in altero nostra notitia, pro- « feramus; ut, quantum facultas conceditur, quasi alter animus « ab animo, per quem se indicet, proferatur ? » *Lib. de Fid. et Symb.*, c. 3, n. 4.

[2])« Haec autem, sanctus Doctor concludit, ratio differentiae est, « quia nomen simplex, sicut imponitur ad significandum conce- « ptum simplicem, ita etiam imponitur ad significandum ab ali- « quo simplici conceptu. Nomen vero compositum imponitur a « composita conceptione, ex qua habet apparentiam, quod pars « eius significet »; *Op. cit.*, lect. IV. Cf *ibid.*, lect. VI, et Albert. M., *Op. cit.*, tract. II, c. 4.

grammatico est complexa, quia duas voces complectitur, logico est incomplexa, quia unius rei conceptum significat.

Vox complexa, eo quod praestantior species vocis est, peculiare, et proprium nomen *orationis* ab Aristotele, aliisque antiquis accepit. Vnde s. Thomas, secundum Aristotelem, dixit nomen, et verbum, quae sunt voces incomplexae, ab oratione differre, quia « nomen, « vel verbum significat simplicem intellectum, oratio « vero significat intellectum compositum [1] ». Quandoquidem oratio una, eademque est cum voce complexa, definitionem, quam de hac statuimus, in illam quoque quadrare manifestum est. Nihilominus operae praetium est locupletiorem definitionem orationis, quam idem Aristoteles hoc in loco tradidit, et Scholastici amplexati sunt, afferre, ut eius notio planior evadat. « Oratio, Aristoteles « ait [2], est vox significans ex instituto, cuius aliqua pars « significat separatim; significat autem ut dictio, non ut « affirmatio, vel negatio. Dico autem, ut homo, signifi- « cat quidem aliquid, non tamen significat esse, vel « non esse ».

Iam, cum orationem esse vocem ex instituto significantem dixit, ipsam, uti ex dictis patet, discriminavit tum a vocibus articulatis, quae nihil significant, quam a vocibus inarticulatis, quae passiones animi, e. g., *gemitum*, naturaliter significant [3]. Nam, cum oratio ad conceptiones intellectus significandas destinetur, has certe non significat naturaliter, sed ex instituto hominis, qui ipsas ex rebus sibi efformavit [4]. Cum vero adiecit quamque partem

---

[1]) *In lib. I Periherm.*, lect. VI.

[2]) *De interpr.*, c. 4, p. 125, ed. Bekker.

[3]) Apposite s. Augustinus: « Qui loquitur, suae voluntatis si- « gnum dat per articulatum sonum »; *De Magistro*, c. I, n. 2.

[4]) Sciendum hic est s. Ioann. Damascenum secundum doctrinam Aristotelis (*De interpr.*, c. 2), Stoicorum (vid. Laert., lib. VII passim), et veterum Grammaticorum (Diomed., lib. II, p. 413; Priscian., lib. I, p. 537; Donat., p. 1735, et Max. Victorin. p. 1939, *Gramm. latinae aa. AA.*, ed. Putschius, Hanoviae 1605), vocem divisisse in *articulatam*, ἔναρθρον, et *inarticulatam*, ἄναρθρον, et utram-

orationis, si scorsum sumatur, esse significativam, sibi voluit orationem non esse vocem simplicem, sed coniunctam, seu complexam, quippe quod illo ex capite vox complexa, ut diximus, a simplici, eodem Aristotele docente, differt. Illud, quod ad potestatem significandi, partibus orationis seorsum sumtis propriam, coarctandam adiecit, nonnihil difficultatis habet. Nam falsum nonnullis visum est quamque partem esse significativam, ut *dictionem*, ὡς φάσις, non vero ut *affirmationem*, ὡς κατάφασις, si quidem singulae partes enunciationis hypotheticae, quae certe oratio est, affirmationem, aut negationem continent. Puta, si dicatur: « Si Socrates sternit, Socrates dormit, aliquid in utraque parte enunciationis affirmatur. Hanc ob causam Aspasius, et Alexander Aphodr., teste Boëtio [1], censuerunt non omnem orationem, sed dumtaxat *absolutam*, sive, ut graeca voce dicitur, *categoricam* hoc in loco ab Aristotele definitam fuisse; at perperam. Namque Stagirita, uti Albertus M. [2],

---

que in *carentem significatione*, ἀσήμαντον, vel ἄσημον, et *significantem aliquid*, σημαντικὸν (*Dialect.* c. V). Vox articulata est, quae in syllabas distinguitur, ita ut scribi queat, puta *homo*; inarticulata autem, quae litteris comprehendi, seu scribi nequit, puta *gemitus*, aut *eiulatus*; unde illa *litteralis*, vel *scriptilis* (ἐγγράμματος, Laert., lib. VII, segm. 55), haec vero *inscriptilis* a Diomede (*loc. cit.*) nuncupata fuit. Vtraque autem vel aliquid significat, vel significationis expers est. Puta, inter inarticulatas *risus* laetitiam, et *gemitus* dolorem significat; *tussis* vero, *sternutamentum*, aliaeque huiusmodi voces, quae temere nobis excidunt, omni significatione carent. Inter articulatas autem vim aliquid significandi habent *homo*, *equus*, aliaeque id genus, et significatione carent *scindapsos*, σκίνδαψος, vel, quod exemplum apud veteres, recentesque frequentius est, *biltri* seu *blitri*, βλίτρι (vel βλήτρι, seu βλίτυρι; vid. Isaac Casaub. ad Laert. lib. VII segm. 56, not. 199, ed. Meibom. Amstel. 1692), et id genus alia, quae quivis pro arbitrio sibi fingere potest. Legendus est Damascenus (*loc. cit.*). Illud addimus, secundum Aristotelem (*loc. cit.*), ex vocibus, quae aliquid significant, alias, quidquid significant, natura significare, puta *gemitum*, *eiulatum*, alias autem *ex instituto*, κατὰ συνθήκην; unde illae apud omnes gentes eaedem, hae variae sunt.

[1]) *Comm. sec. ed.*, p. 291 ed. cit.—[2]) *Op. cit.*, lib. I, tract. IV, c. 1.

s. Thomas [1], aliique post Ammonium, Boëtium, aliosque antiquos observarunt, non sibi voluit affirmationem, aut negationem esse non posse partes ullius speciei orationis, sed, cum orationem universim spectatam definire vellet, in ipsa illud posuit, quod ad orationem constituendam necessario expostulatur, cum vox, cuius partes, saltem ut dictiones, aliquid non significent, oratio dici nequeat [2]. Id ex graeco contextu haud latenter declaratur. Etenim, cum φάσις non solum dictionem simplicem, sed etiam dictionem, quae affirmationem, aut negationem complectitur, significet, Aristoteles monuit ipsam non esse intelligendam, prout κατάφασιν, affirmationem, aut ἀπόφασιν, negationem complectitur, quia sunt verae, germanaeque orationes, quibus neutra harum continetur.

Iamvero, oratione, prout hic a nobis secundum Aristotelem, et Scholasticos definita fuit, vel sensus perfectus, vel sensus imperfectus in animis auditorum gigni potest; si quidem auditor quandoque illud, quod oratione profertur, plane intelligit, quandoque adhuc aliquid a loquente expectat, ut eius mentem assequatur. E. g., si dixeris: *Socrates cum Platone*, orationis sensus adhuc pendet, avetque auditor scire, quid faciat Socrates cum Platone; at si adieceris: *disserit*, plena evadit orationis sententia, animusque auditoris, eam arripiendo, quiescit. Hinc Boëtius [3], quem Albertus M. [4], s. Thomas [5], aliique Scholastici secuti sunt, orationem in *perfectam*, et *imperfectam* optimo consilio divisit. Perfecta oratio ea est, qua id, quod ea significatur, pla-

---

[1]) *In Op. cit.* lect. VI.

[2]) « Habere autem, s. Thomas scribit, partes significantes ali-« quid, ut affirmatio, hoc solum competit orationi compositae, sed « habere partes significantes aliquid per modum dictionis, et non « per modum affirmationis, hoc est commune orationi simplici, et « compositae. Et ideo hoc debuit poni in definitione orationis »; loc. cit.

[3]) *Comm. sec. edit.*, p. 291 ed. cit.

[4]) *Op. cit.*, tract. IV, c. 1. — [5]) *Op. cit.*, lect. VII.

ne intelligitur; imperfecta autem ea, in qua ad mentem loquentis intelligendam aliquid desideratur.

Quandoquidem vero homines non solum veritatem rerum, hoc est, quid res sunt, quidve non sunt, cognoscere, sed etiam veritates cognitas ad societatem inter se servandam adhibere debent, opus eis est oratione, et ut conceptus suae mentis cum aliis communicent, et ut secundum mentis suae conceptus alios dirigant. Hinc oratio perfecta in *enunciativam*, et *non enunciativam* a Scholasticis, secundum doctrinam eiusdem Stagiritae, divisa fuit. Enunciativa ea dicitur, quae conceptum mentis, in quo verum, aut falsum invenitur, significat, sive, quae verum, aut falsum indicat, eaque, prout est enunciativa, nonnisi unica est, quia unicum est eius obiectum, scilicet significatio veri, aut falsi. Oratio autem non enunciativa est illa, quae non conceptum intellectus, in quo est verum, et falsum, sed quemdam ordinem conceptus ad alia significat. At quoniam multi sunt modi, quibus homo alios secundum conceptus suos dirigere potest, plures sunt quoque modi orationis non enunciativae. Praestat aurea verba exscribere, quibus s. Thomas orationem non enunciativam ab enunciativa discriminavit, eiusque diversos modos, iam a Protagora [1], aliisque antiquis logicis [2], enumeratos, subtiliter explicuit. « Sciendum, inquit, quod perfectae « orationis, quae complet sententiam, quinque sunt spe- « cies, videlicet Enunciativa, Deprecativa, Imperativa, « Interrogativa, et Vocativa ... Harum autem orationum « sola enunciativa est, in qua invenitur verum, et fal- « sum, quia ipsa sola absolute significat conceptum in- « tellectus, in quo est verum, et falsum. Sed quia intel- « lectus, vel ratio non solum concipit in se ipso verita-

[1]) Hic, testibus Laertio (lib.IX,segm.53), et Suida (art. *Protagoras*), quatuor modos orationis admisit, scilicet εὐχωλήν, *precationem*, ἐρώτησιν, *interpretationem*, ἀπόκρισιν, *responsionem*, *et* ἐντολήν, *praeceptum*. Vid. Spengel, *Artium script.*, p. 44 sqq.

[2]) Alii ab his, praeter quatuor protagoreos, modi orationis recensiti sunt, inter eosque κλῆσις, *vocatio*, quam s. Thomas quoque explicuit, invenitur. Cf eumdem Laert., loc. cit.

« tem tantum, sed etiam ad eius officium pertinet secun-
« dum suum conceptum alia dirigere, et ordinare, ideo ne-
« cesse fuit, quod sicut per enunciativam orationem signi-
« ficatur ipse mentis conceptus; ita etiam essent aliquae
« aliae orationes significantes ordinem rationis, secundum
« quam alia diriguntur. Dirigitur autem ex ratione unius
« hominis alius homo ad tria. Primo quidem ad atten-
« dendum mente; et ad hoc pertinet vocativa oratio. Se-
« cundo, ad respondendum voce; et ad hoc pertinet in-
« terrogativa. Tertio, ad exequendum in opere; et ad hoc
« pertinet, quantum ad inferiores, oratio imperativa, quan-
« tum ad superiores, oratio deprecativa, ad quam reduci-
« tur oratio optativa: quia respectu superioris homo non
« habet vim motivam, nisi per expressionem sui deside-
« rii. . . Dubitativa autem ad interrogativam reducitur,
« sicut et optativa ad deprecativam [1] ».

Ex his omnibus duo colligere licet, quae s. Thomas diligenter adnotavit. Horum primum est, quod omnis modus orationis sub enunciativa continetur, quippe quod omnis oratio, praeter enunciativam, quemdam ordinem significat, qui actum intellectus de veritate, aut falsitate rerum iudicantis consequitur [2]. Et sane, is, qui communitati praeest, cum legem esse communitati utilem iudicat, sibi subiectis *imperat*, ut ipsam observent, et is, qui alicui subest, cum aliquid sibi prodesse iudicat, illud se *optare* ei, qui sibi praeest, manifestat, eumque, ut desiderio suo satisfaciat, *deprecatur*. Alterum est, quod sola oratio enunciativa ad tractationem logicae spectat. Huius rei ratio paucioribus, clarioribusque verbis, quam quae s. Thomas adhibuit, reddi non posset. « Sed enunciativa oratio, sanctus Doctor ait, « praesentis considerationis est. Cuius ratio est, quia con-
« sideratio huius libri directe ordinatur ad scientiam de-

---

[1]) *Op. cit.*, lect. VII. Cf Albert. M., *Op. cit.*, tract. IV, c. 1. Nonnihil horum etiam occurrit apud s. August., *In Ioan. Evang. c. VIII*, tract. XXXVII, n. 3, et *Epist.* CXLIX *ad Paulin.*, cap. 2, n. 13. — [2]) *Op. cit.*, lect. VII.

« monstrativam, in qua animus hominis per rationem « inducitur ad consentiendum vero ex his, quae sunt « propria rei: et ideo demonstrator non utitur ad suum « finem, nisi enunciativis orationibus significantibus res, « secundum quod earum veritas est in anima. Sed Rhe- « tor, et Poeta ducunt ad assentiendum ei, quod inten- « dunt, non solum per ea, quae sunt propria rei, sed « etiam per dispositiones audientis. Vnde Rhetores et « Poetae plerumque movent auditores in unum, provo- « cando eos ad aliquas passiones [1] ».

Quoniam diversos modos orationis perfectae novimus, opus nobis est partes eius enumerare, ut quaenam illarum logico considerandae sint, perspiciamus. Huius enumerationis prima tentamina apud Sophistas nobis occurrunt. Protagoras, Hermogenes, et Cratylus, uti apud Platonem videre licet [2], non alias partes orationis, nisi *nomina*, ὀνόματα et *verba*, ῥήματα, agnoverunt. Quod certe nemo mirabitur. Nam, quandoquidem nomen, et verbum eiusmodi partes orationis sunt, ut oratio, his positis, ponatur, alterutra sublata, tollatur, Philosophos, qui primi omnium examen sermonis instituerunt, in illas incidisse oportuit. Plato, ut ex eodem Cratylo patet, ab enumeratione Sophistarum ne latum quidem unguem discessit. At Aristoteles hanc metam transiliit, si quidem nomini, et verbo, quae in libro *De interpretatione*, tanquam partes enunciationis, explicuit, in aliis libris *coniunctionem*, σύνδεσμος, et *articulum*, ἄρθρον, adiecit [3]. Post Aristotelem Zeno, et Cleanthes, principes Stoicorum, etsi diligenter operam in grammatica excolenda navassent, tamen non alias, quam quas Aristoteles innuerat, orationis partes constituerunt. An alii Stoici, an et primi Grammatici Alexandrini, et Pergameni ulterius progressi fuerint, haud satis constat. Illud exploratum est, partes orationis aliter ab his, aliter ab illis gram-

---

[1]) *Op. cit.*, ibid. Cf Albert. M., *Op. cit.*, tract. I, c. 1.—[2]) *Cratyl.*
[3]) *De arte poetica*, c. 21, et *De Rethorica ad Alex.*, lib. III, c. 5.

maticis enumeratas, explicatasque fuisse usque ad Aristarchum, apud quem octo partes orationis, a multis grammaticis deinceps fere eodem modo enumeratas, primum invenimus [1]. Haec octo partes sunt *nomen*, ὄνομα, *pronomen*, ἀντώνυμον, *articulus*, ἄρθρον, *verbum*, ῥῆμα, *participium*, μετοχή, *praepositio*, προθέσις, *adverbium*, ἐπίῤῥημα, *coniunctio*, σύνδεσμος. Non pauci septem recensebant partes orationis, cum pronomen ad articulum revocarent, permoti auctoritate Stoicorum, qui pronomen esse articulum finitum, ἄρθον ὡρισμένον, docebant [2], aut Dionysii Thracis, et Apollodori Athenien., quibus articulum esse pronomen demonstrativum, ἀντώνυμον δεικτικόν, visum fuit [3]. Latini, teste Prisciano [4], *interiectionem*, quam Graeci inter adverbia ponebant, tanquam partem orationis a reliquis seiunctam, tractarunt.

Iamvero, manifestum est partes orationis praecipuas, et, ut ab Apollonio [5], et a Scholiaste Dionys. Thracis [6] nuncupatae fuerunt, *valde animatas*, τὰ εμψυχότατα μέρη, esse *nomen*, et *verbum*. En quomodo s. Thomas, secundum Apollonium, et Scholiastem, modo laudatos [7], huius rei rationem reddidit: « Sub nominibus enim, « comprehenduntur pronomina, quae, etsi non nomi- « nent naturam, personam tamen determinant, et ideo

---

[1]) Cf Classen, *Op. cit.*, et Lersch, *Op. cit.*, part. 2.

[2]) Vid. Apollonium Dysc., *De pron.*, p. 4 sqq ed. cit., et Priscianum, lib. XI, t. 1, p. 515, ed. A. Krehl, Lipsiae 1819, et 1820. De doctrina Stoicorum, quibus prima notio philosophica articuli debetur (Laert., lib. VII, segm. 58, et Quintilian., *Inst. Orat.*, lib. I, c. 4, § 18), videsis Schmidt, *Op. cit.*, § 8, p. 39-42.

[3]) Cons. Apoll. Dyscol., *Op. cit.*, ibid. Opiniones veterum, et recentium de natura, et usu articuli inter se collatas videre licet apud Egger, *Op. cit.*, c. 4, § 3, p. 115 sqq ed. cit.

[4]) *Op. cit.*, lib. XV, c. 7, t. I, p. 635 ed. Kr.

[5]) *Synt.*, lib. I, c. 3, p. 19 ed. cit.

[6]) Apud Bekker. *Anecd. graec.*, p. 844, et 881 ed. cit. Ipse nomen, et verbum vocat quoque partes orationis μέρη τοῦ λόγου, δεματικώτερα, γνήσιώτατα, et κυριώτατα; *ibid.*

[7]) *LL. cit.*

« loco nominum ponuntur: sub verbo vero participium, « quod consignificat tempus, quamvis et cum nomine « convenientiam habeat. Alia autem sunt magis colli- « gationes partium orationis, significantes habitudinem « unius ad aliam, quam orationis partes; sicut clavi, et « alia huiusmodi non sunt partes navis, sed partium navis « coniunctiones [1] ». Apollonius huius rei illud argumento esse dixit, quod, quoties vel nomen, vel verbum haud satis compertum nobis est, varias quaestiones ad enunciationem intelligendam instituere oportet, easque non aliter solvere licet, quam per multos modos pronominum, et adverbiorum [2]; secus vero accidit, cum nomen, et verbum nobis innotescunt [3]. Ex quo facile intelligitur, si grammaticus omnes octo partes orationis exponat necesse est, logico de solis duabus, nempe de nomine, et verbo disserendum esse. Etenim, uti apposite Albertus M. advertit, grammaticus congruam orationis constructionem tradere non potest, nisi orationem in cunctas partes, ex quibus constat, resolvat, et singularum vim, ususque varios exponat. Sed logicus, quippe qui orationem, tanquam instrumentum cognoscendi verum, et falsum, considerat, non alias partes orationis expendere debet, nisi illas quae id, de quo aliquid enuntiatur, et id, quod de aliquo enuntiatur, significant; harum autem prima, ut mox dicemus, est nomen, al-

---

[1]) *Op. cit.*, lect. I. Aquinati praeiverat Albertus M., ex quo haec pauca, ad pleniorem huius rei explicationem exscribimus: « ...de « aliis partibus orationis non determinamus. Illae enim vel non « significant aliquid, vel sunt consignificantes tantum cum aliis « ut partes indeclinabiles. Si enim dicam in, vel supra, vel olim, « vel unde, vel et, vel ergo, nihil penitus significat, nisi addatur « aliquid, circa quod ponitur modus, quem illa pars importat, « sicut si dicatur in domo, vel supra stagnum, vel olim fuit bel- « lum Troiae, vel aliquod tale »; *Op. cit.* tract. III, c. 1. His adiice id, quod de adverbio idem Aquinas (*In lib. I Sent.*, Dist. XXI, q. II, a. 1 *sol.*), et de participio s. Bonaventura (*In lib. I Sent.*, Dist. XXII, dub. 4) scripserunt.

[2]) ἐν πλείοσιν ὀνοματικοῖς, καί ἐν πλείοσιν ἐπιῤῥηματικοῖς; *Op. cit.*, ibid.

[3]) *Op. cit.* ibid.; cf ibid., p. 37, et Priscianum, *Op. cit.*, t. II, p. 18, ed. Kr.

tera est verbum [1]. Itaque enunciationem, prout ad logicam pertinet, explicaturi, nomen, et verbum, quae logicam eius notionem efficiunt dumtaxat exponamus necesse est.

Vt huius rei ratio penitus perspiciatur, elementa, ex quibus iudicium constat, prae oculis habere oportet; nam, cum enunciatio non sit aliud, nisi manifestatio iudicii, quod intellectus de rebus sibi efformat, pervidendum est, num, et quomodo elementa, ex quibus iudicium constat, nomine, et verbo contineantur. Id, de quo alias fuse disputabimus, hic quam brevissime exponemus. Intellectus, uti ex s. Thoma in *Dynamilogia* videbimus, eo actu, quo, essentiam rei apprehendit, non cognoscit ea, quae cum re ipsa, cuius essentiam apprehendit, coniunguntur [2]. Inde fit, ut proprietates, et accidentia in intellectu aliter, ac in re, ad essentiam se habeant. Etenim in re proprietates, et accidentia, quippe quae ab essentia promanant, eique inhaerent, cum essentia per se, hoc est, sine ulla re media coniunguntur; at, quandoquidem intellectus essentiam, et proprietates eius distinctis actibus apprehendit, opus ei est aliquo medio, quo, veluti copula, ad proprietatem cum subiecto coniungendam utatur. Re sane vera, intellectus, ex eo, quod essentiam, et proprietates eius distinctis, diversisque actibus apprehendit, profecto non potest ullam proprietatem cum essentia rei coniungere, aut ab ea separare, nisi unam alii inesse, aut non inesse

---

[1]) « In grammaticis autem, ait Beatus Doctor, quia de omni « oratione constructa ex dictionibus congrue agitur, necesse est, « quod resolutio stet ad octo partes orationis. In logicis autem, in « quibus sunt verum et falsum, nonnisi de enunciatione intendi- « tur, cuius principia non sunt, nisi, id, de quo enuntiatur, et quod « de aliquo enuntiatur ut inhaerens, vel divisum ab ipso. Id au- « tem, de quo enuntiatur, nomen est: et quod de alio enuntiatur, « verbum est: et ideo resolutio enuntiationis stat ad nomen, et ad « verbum »; *Op. cit.*, tract. II, c. 4.

[2]) I, q. LXXXV, a. 5 c.; *Qq. dispp.*, *De Verit.*, q. XIV, a. 1 c.

comperiat. Quamobrem intellectus ex eo, quod aliquam proprietatem inesse, aut non inesse essentiae comperit, ad illam cum hac coniungendam, aut ab hac separandam determinatur. Vnde Albertus M., secundum Aristotelem [1], inquit: « Inesse autem in eo, quod « inest, causa est praedicationis de altero [2] ». Atqui id, cuius ope intellectus proprietatem cum essentia rei coniungit, aut ab ea separat, medium iudicii nuncupatur. Opus igitur est intellectui aliquo medio, ut unamquamque proprietatem cum essentia rei, ad quam pertinet, atque in universum omne accidens cum subiecto, cuius est accidens, coniungat, aut unum ab alio separet. Quod quidem medium, ut s. Thomas advertit, denotat praedicatum, quod intellectus, tanquam separatum a subiecto, semper intelligit, vel in eadem re cum subiecto coniungi, vel non coniungi [3]. Inde perspicis, quoties intellectus praedicatum cum subiecto coniungit, modum, quo essentia, eiusque proprietates in intellectu sunt, a modo, quo ipsae sunt in re, ex eo differre, quod in intellectu, ope alicuius medii, in re autem sine ullo medio, et per se coniunguntur. Audi Albertum M.: « Compositionis in « voce causa est inhaerentia, quod unum secundum rei « inest alii. Et, quamvis unum secundum rem inest alii « sine aliqua media compositione, tamen intellectus nec « sibi, nec alii significare potest hoc sermone interiori apud « se, nec voce exteriori apud alium, nisi ponat dici de « alio mediante compositione, quam compositionem pri- « mo facit intellectus componens, sicut facit eam apud « se, ita designat eam per sermonem extrinsecum apud

---

[1]) *Met.*, lib. IV, c. 7, ed. Bekker.

[2]) *Op. cit.*, tract. 3, c. 1. Hinc s. Thomas inquit: « Iste terminus « *homo* non praedicat aliquam rem subsistentem, sed solum na- « turam inhaerentem, et ut inhaerentem »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXI, q. II, a. 1 *sol.*

[3]) « Diversitati, quae est secundum rationem, respondet plura- « litas praedicati, et subiecti; identitatem vero rei significat intel- « lectus per ipsam compositionem »; I, q. XIII, a. 12 c.

« alium [1] ». Iamvero, medium, quo intellectus ad unum cum alio coniungendum, aut unum ab alio separandum utitur, non est aliud, quam verbum *esse*, aut *non esse*. Nam, quoniam intellectus proprietatem cum essentia coniungit, aut ab ea separat, eo quod unam in alia *esse*, aut *non esse* cognoscit, liquet verbum *esse*, aut solum, aut cum particula negante coniunctum, intellectui, tamquam medium, occurrere, quo proprietatem cum essentia rei, sive in universum quodlibet accidens cum suo subiecto coniungere valet. Vnde verbum *est* ab eodem Alberto M. [2], et s. Thoma [3] *nota compositionis* merito dicta fuit.

Ex his omnibus intelligitur iudicium esse actum intellectus duas notiones per *est*, aut *non est* secum coniungentis, vel ab se separantis. Atqui actio intellectus duas notiones secum coniungentis dicitur *affirmatio*, et actio intellectus unam notionem ab altera separantis *negatio* vocatur. Iudicium igitur, uti a s. Thoma definitum fuit, « est operatio intellectus, secundum « quam componit, et dividit, affirmando, et negan- « do [4] ». Quod si haec est natura iudicii, inde patet in quolibet iudicio tria elementa inveniri, eaque esse duas notiones, nempe unam eius, cum quo aliquid coniungitur, vel a quo aliquid separatur, et alteram eius, quod cum alio coniungitur, vel ab eo separatur, et modum, quo intellectus unam illarum notionum cum alia coniungi, aut ab alia separari intelligit. Primum elementum vocatur *subiectum*, ὑποκείμενον, quia notioni, quae cum ipso coniungitur, *subiici*, sive substerni intelligitur [5]; alterum

---

[1]) *Op. cit.*, lib. cit., tract. II, c. 2. — [2]) *Ibid.*, tract. III, c. 1.

[3]) I, q. III, a. 4 ad 2, et q. XLVIII, a. 2 ad 2.

[4]) *Qq. dispp., De Verit.*, q. XIV, a. 1 c.

[5]) Operae pretium est diversas significationes exponere, secundum quas voces *subiectum*, ὑποκείμενον, et *obiectum*, ἀντικείμενον, a Philosophis acceptae sunt, ut omnis ambiguitas et a quibusdam pronuntiatis, quae hoc in opere tuebimur, et ab opinionibus Philosophorum quas excussuri sumus, tollatur. Τποκείμενον (*Categ.* c. 5), quod latini post Boëtium (*Praedicam.* lib. I, p. 119 ed. cit.), *subiectum* verterunt, apud Aristotelem significat tum in enunciatione

vero *attributum*, vel *praedicatum*, κατηγορούμενον, quia est illud, quod subiecto attribuitur, sive de subiecto praedicatur; tertium denique *copula*, quia est id, quod praedicatum cum subiecto copulat, ut, utrum unum in alio sit, necne, patescat. Ita in hoc iudicio: *homo est animal*, *homo* est subiectum, quippe quod homo animali, cuius

---

rem, de qua altera dicitur, hoc est terminum, de quo alter praedicatur, tum substantiam consideratam, prout qualitatibus suis substernitur. Quae duplex huius vocis acceptio consentanea est doctrinae Aristotelis. Hic enim docuit intellectum non aliud de rebus praedicare, nisi id, quod ipsis inesse cognoscit (*Met.*, lib. IV, c. 7), ita ut illud, quod in re est subiectum *inhaesionis*, quemadmodum Scholae loquuntur, sit in intellectu subiectum *praedicationis*. Ἀντικείμενον apud eumdem Stagiritam, etsi ad obiecti significationem accedat, tamen proprie non est obiectum (*Categ.* c. 10, et *De Anim.*, lib. I, c. 1, et lib. II, c. 4, et 11); unde ab eodem Boëtio (*Op. cit.*, lib. IV, p. 192), aliisque latinis *oppositum* verti solet. In media aetate, Ockamo auctore, discrimen inter duas hasce voces *subiectum*, et *obiectum* luculenter statutum est. Namque Ockamus, eiusque sectatores vocem *subiectum* ad significandam rem, prout in se est, et vocem *obiectum* ad significandam rem, prout est in intellectu, usurparunt. Inde extitit illa adeo vulgata definitio τοῦ *esse* in *subiectivum*, nempe illud, quod res habet in se ipsa, et *obiectivum*, nempe illud, quod res in intellectu habet. Iuvat ipsam verbis cel. Ockamistae declarare: « .... dicunt, « quod intellectus noster, videns rem aliquam extra, fingit in se « suam similitudinem, quae talis est in esse obiectivo, qualis est « res extra in esse subiectivo. Sicut artifex videns domum extra « similem fingit intra: similem, non realiter, quia illud fictum ni« hil reale est, sed ideo similem, quia tale est in esse obiectivo, id « est in interiori apparentia, vel repraesentatione, qualis est do« mus extra in esse subiectivo » (Gabr. Biel, *In lib. I Sent.*, Dist. II, q. 8, B, t. I, p. 84, Brixiae 1524). Hae significationes sive *subiecti*, et *obiecti*, sive *esse subiectivi*, et *obiectivi* ad Cartesium (*Med.* 3, § II, *Oeuvr.* ed. cit. t. I, p. 118, et *Rep. aux six. Obj.*, § 59, t. II, p. 75), Spinozam (*Principia phil. cartes.*, part. I, def. 3, *Opp.* t. I, p. 11, ed. cit.), eorumque discipulos promanarunt. At inter nuperos germanos, Kantio potissimum et Fichteo auctoribus (*Opp. citt.* passim), nec non apud multos Gallos, et Italos, qui germanorum placita vel sectati sunt, vel refutarunt, illarum vocum usus omnino inversus est. Etenim ab his *subiectum* dicitur spiritus, qui res cognoscit, et *obiectum* ipsa res, quae in natura est, prout co-

est species, subiicitur; *animal* est praedicatum, quia de homine praedicatur; verbum *est* copula est, eo quod notionem animalis cum notione hominis coniungit.

Ex his facile perspicere licet copulam in enunciatione cum praedicato ita coniungi, ut unum, idemque cum eo fiat. Etenim, ut s. Thomas argumentatus est, cum copula sit medium, quo intellectus praedicatum subiecto inesse intelligit, praedicatum, prout est praedicatum, scilicet prout intellectus ipsum subiecto inesse intelligit, copulam in se complectatur necesse est, si quidem ex eo, quod copulam in se continet, ipsum subiecto inesse intelligitur [1]. Atqui ex verbo primitivo *esse*, et ex nominibus, quae proprietates, et accidentia rerum denotant, omnis varietas verborum efficitur. Puta, *Petrus currit*, idem valet, ac *Petrus est currens*. Ergo duo esse elementa, seu partes, ex quibus enunciatio constat, tenendum est. Re sane vera, praedicatum, quemadmodum Albertus M. observavit, considerandum non est *secundum materiam*, nempe prout est quaedam proprietas, vel accidens in se spectatum, sed *secundum formam*, nempe prout ad subiectum refertur, quia ipsum ex eo, quod ad subiectum refertur, naturam praedi-

---

gnitioni subiicitur. Ex quo fit, ut *subiectivum* non dicatur, quemadmodum ab Ockamo dictum est, id, quod res est in natura, et extra mentem, sed id, quod in varia cognoscentis conditione consistit, et *obiectivum* non dicatur id, cuius *esse* est *ipsum cognosci* ab intellectu, quemadmodum ab Ockamo dictum fuit (*In lib. I Sent.*, Dist. LXXXI, q. 8), sed id, quod in constanti rerum natura positum est. Rosminius *obiectivum* secundum Ockamistas usurpavit, quia censuit *esse* non posse dici *obiectum*, nisi spectatum, prout in mente est, sed secundum nuperos germanos *esse*, prout in rerum natura est, dixit *extra-subiectivum*, scilicet extra *subiectum*, hoc est extra *spiritum* positum (*N. S.*, sez. IV, c. 3, art. 15, § 331, vol. I, p. 287, sez. V, part. IV, c. 4, art. 7, § 627, et 628, t. II, p. 183 sqq et alibi, Torino 1852). Vid., si lubet, Hamilton, *Fragm.*, *Cousin-Schelling*, p. 6, ed. cit.; Trendelenburg, *Elem. log.*, § I, p. 52, not. 1, ed. cit.; Bonghi, *Op. cit.*, lib. V, c. 8, p. 358, not. (1).

[1]) «Quia, sanctus Doctor ait, subiectum enunciationis significatur «ut cui inhaeret, cum verbum significet actionem per modum actio-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

cati induit [1]. Iam, praedicatum, consideratum, prout ad subiectum refertur, aliquid in se habeat necesse est, per quod ad subiectum convertitur, et cum ipso componitur. Ergo forma praedicati in eo, quod ipsum cum subiecto componit, consistere debet. Atqui verbum *est* compositionem proprietatis, nempe praedicati *materialiter* spectati cum subiecto significat. Praedicatum igitur *formaliter* consideratum *copulam*, hoc est *medium*, quo intellectus quodlibet accidens ad suum subiectum referri intelligit, in se complectitur. Quandoquidem autem nomina, quae aliquam proprietatem, aut accidens significant, cum verbo primitivo τοῦ *esse* coniuncta, varietatem verborum efficiunt, consequens est praedicatum formaliter, nempe, prout ad subiectum refertur, et pars enunciationis est, semper esse verbum [2].

Vt hoc magis, magisque patescat, recolendum animo est copulam, seu notam, per quam intellectus praedicatum subiecto inesse intelligit, quodque est verbum

---

« nis de cuius ratione est, ut inhaereat, semper ponitur ex « parte praedicati »; *In lib. I Perhierm.*, lect. V. Cf *In lib. I Sent.*, Dist. XXI, q. II, a. 1 *sol.*

[1]) Id multis in locis s. Thomas inculcavit; ex quibus haec seligimus: « Praedicata tenentur formaliter, et subiecta mate- « rialiter »; I, q. XIII, a. 12 c. « Praedicatum se habet loco « formae »; *In lib. I Sent.*, Dist. IV, q. II, a. 2 *sol.* « Ter- « minus in praedicato positus tenetur formaliter »; *In lib. III Sent.*, Dist. I, q. II, a. 5 ad 5.

[2]) En locum Alberti M.: « . . . praedicatum est duplex, scili- « cet materiale, et formale. Formale quidem est, quod intra se « concipit formam, per quam retorquet ad alterum, cui inest, « et de quo est ut de subiecto: haec autem forma non est, nisi « compositio: et hanc formam verbum (per hoc quod alterius « est) in se concipit. Et ideo solum verbum praedicatum for- « male est. Hoc autem probatur exemplo: quia, cum dicitur, « homo currit, sensus est, homo est currens, ut participium sit « res verbi praedicata materialiter: ipsum autem quod dico (est), « quod est nota compositionis, formam dicit, qua res verbi re- « fertur, ad subiectum sicut inhaerens sibi, vel aliquid eius, « et ut aliquid, quod de ipso sit: talis autem forma non est « concepta in significato nominis »; *Op. cit.*, tract. III, c. 1.

esse, vel *non esse*, esse logicam et subiectivam, si quidem ipsa non rem, quae seiuncta a subiecto, et praedicato in natura existit, sed actionem intellectus praedicatum cum subiecto coniungentis significat. Et sane, quoniam omnis proprietas, vel accidens ad subiectum, tamquam ad principium sui, refertur, oportet, ut proprietati, vel accidenti, quod praedicatum est, *inesse*, aut *non inesse* subiecto per se, hoc est, sine ulla re media conveniat. At vero, intellectus *inesse*, aut non *inesse* a praedicato, et subiecto distinguit, quippe quod ipse, cum per *analysin*, seu *resolutionem* notiones essentiae, et proprietatum eius adquirat, sane non potest per *synthesim*, sive *compositionem* cum essentia aliquam proprietatem coniungere, nisi unam alii inesse cognoscat. Quamobrem copula, quae inhaerentiam praedicati in subiecto significat, non est, nisi opus intellectus, ideoque logica, et subiectiva. Apposite idem Albertus: « . . . nota « compositionis, quae est inter subiectum, et praedica« tum est ab intellectu. Quod sic probatur. Compositio, « quae est in re, sive sit formae, et materiae, sive uni« versalis, et particularis, sive speciei, et generis, sive « subiecti, et accidentis, semper est sine medio; unum« quodque enim horum per seipsum inest supposito suo: « sed praedicatum non inest subiecto, nisi mediante com« positione : et per hoc notam compositionis ponit in« tellectus [1] ». Verum, quandoquidem intellectus non aliud cum subiecto coniungere potest, quam quod ei inesse intelligit, neque aliud ab eo separare, quam quod ei non inesse intelligit, copula, quae inhaerentiam praedicati cum subiecto significat, in naturali inhaerentia, aut non inhae-

[1]) *De Homine*, q. LVI, a. 2. Hinc idem Albertus inquit: « Com« plexio autem, et incomplexio non accidunt rei, secundum quod « res est, nec etiam voci, secundum quod est vox: sed accidunt vo« ci, secundum quod refertur ad intellectum simplicem, vel com« positum. Simplicem autem dico intellectum, qui simplex unius « rei est intuitivus. . . Compositum autem dico intellectum, qui « accipit rem unam in alia, vel ut divisam ab alia »; *Lib. de Praedicab.*, tract. I, c. 5. Cf Scotum, *Op. cit.*, lib. I, q. II, n. 1.

rentia rationem suam agnoscit, ob idque, ut Scotus advertit, ita logica est, ut in rerum natura fundamentum habeat [1]. Quamobrem scite Albertus M. sancivit compositionem, quae in iudicio locum habet, esse tum in anima, tum in enunciatione, sive in iudicio extrinsecus prolato, tum in rebus extra animam positis, ad quas ipsa spectat; sed diversis modis. Nam in anima est, uti in causa, quae ipsam efficit; in enunciatione, ut in signo, quod ipsam manifestat; in rebus externis, ut in causa, quae animam ad ipsam efficiendam determinat. En eius verba: « . . . sicut enim in agente compositio est in ani-« ma; sic ut in signo autem est in voce enunciativa; « sicut autem in causa est in rebus ad extra: quia hoc, « quod unum est in rebus extra, hoc est causa compo-« sitionis [2] ». Ex hoc rursus intelligere potes cur s. Thomas copulam semper ponendam esse *ex parte praedicati* docuerit [3]. Nam, si ipsa fundamentum reale in inhaerentia proprietatis, vel accidentis, quod praedicatum significat, cum subiecto habet, profecto unum, idemque cum praedicato efficiat necesse est.

Cum hoc ita se habeat, illud pro certo, exploratoque habendum est, quod sanctus Damascenus post veteres Peripateticos inculcavit, scilicet logicum, secus ac grammaticum, non tria, sed duo in enunciatione elementa considerare. Nam, grammaticus tenet praedicatum esse nomen, quod vel a copula seiunctum, vel in ea implexum invenitur; logicus vero tenet esse semper verbum, quod copulam, et attributum iudicii complectitur, sive attributum cum copula coniunctum, sive a copula divisum inveniatur. « Sciendum est autem, sanctus Doctor scribit, in

---

[1]) « Ista habitudo rationis conformis est rei: non quod oportet in re esse relationem aliquam inter extrema, ut in re « similem isti rationi, quae est inter extrema ut intellecta, « immo ut ab intellectu invicem comparata »; *In lib. IV Met. Qq. subtilissimae*, q. III, n. 13. Cf s. Thomam, *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIII, q. I, a. 1 ad 1.

[2]) *Perhierm.* lib. I, tract. II, c. 2.

[3]) Vid. loc. cit. p. 32.

« propositione, hoc est in affirmatione, et negatione sub-
« iectum quidem nomen dici: quod autem praedicatur,
« verbum. Exempli gratia, propositio est, *homo ambu-*
« *lat*: in ea *homo* subiectum est, ac nomen dicitur; *am-*
« *bulat* autem praedicati rationem obtinet, et dicitur
« verbum. Ac rursum in his verbis, *Socrates bonus*
« *est*; *Socrates* subiectum est, ac nomen dicitur: *bo-*
« *nus est*, praedicati locum tenet, ac verbum nuncu-
« patur, utpote affirmationis pars: tametsi alioqui apud
« Grammaticos *bonus* dicitur esse nomen. Atque, ut
« summatim dicam, illud omne, quod *est* comitatur,
« verbum est [1] ».

Antequam autem nominis, et verbi explicationem aggrediamur, duo, secundum Albertum M., praemittere iuvabit. Primum est, nomen, et verbum hic considerandа nobis esse, non prout nomen, et verbum sunt, hoc est, prout subiecti, et praedicati rationem habent, sed prout quaedam species vocis incomplexae sunt [2]. Etenim, cum ipsa, primo modo considerata, sint partes enunciationis, posteriora, quod ad nostram cognitionem attinet, enunciatione sunt, quippe quod eorum cognitio, prout partes enunciationis sunt, a cognitione enunciationis pendet. At nobis de nomine, et verbo hic tractandum est, prout ipsa sunt, quod ad nostram cognitionem attinet, priora enunciatione. Nam nomen, et verbum hic considerandа nobis sunt, prout sunt elementa, quae enunciationem componunt. Atqui, uti alias ostendemus,

---

[1]) *Op. cit.*, c. LXIV.

[2]) Vt hae, aliaeque distinctiones, quae in hac tractatione occurrunt, intelligantur, prae oculis habere iuvat hunc locum eiusdem sancti Damasceni: « Porro quinque ista, nempe vox « simplex, nomen, verbum, dictio, terminus, nihil inter se ra- « tione subiecti differunt, sed secundum habitudinem dumta- « xat: v. g. homo, ut simpliciter aliquid significat, simplex « vox dicitur: ut autem subiectum, nomen vocatur: ut vero « rationem praedicati obtinet, verbum: ut rursum pars est af- « firmationis, et negationis, dictio: ut denique propositionis, « ac syllogismi pars, terminus appellatur »; *Ibid.*

etsi compositum prius, quam componentia ipsum, a nobis cognoscantur ; tamen nos non possumus perfectam, sive , ut aiunt , *scientificam* cognitionem compositi adquirere, nisi per cognitionem elementorum, quae ipsum efficiunt. Ergo nomen , et verbum hic consideremus necesse est , prout sunt , quod ad cognitionem nostram spectat , priora enunciatione. Huiusmodi autem sunt secundo modo considerata , hoc est , prout sunt voces simplices. De nomine , et verbo igitur , non prout subiectum , et praedicatum sunt , sed prout nomen, et verbum sunt , hic disserendum nobis est [1]. Nihilominus , quandoquidem logicus de nomine , et verbo tractat, ut quomodo enunciatio ex illis fiat , cognoscat, ipse nomen, et verbum, si non prout sunt partes enunciationis, certe prout enunciationi efformandae inserviunt, considerare debet. Alterum est, prius de nomine , quam de verbo disserendum nobis esse. Huius ordinis rationem reddere nobis lubet verbis ipsis B. Doctoris: « Prius au-
« tem est de quo enuntiatur, quam id, quod enuntia-
« tur de ipso : et quia subiectum est nomen sicut ens,
« et id, quod de alio enuntiatur, est sicut esse quoddam
« inhaerens : prius autem est id , cui aliquid inhaeret,
« quam id, quod inhaeret : et ideo praeponimus tracta-
« tum nominis ante tractatum verbi, sicut ens est ante
« esse, quod est actus entis [2] ».

Itaque , quandoquidem hoc in loco non de resolutione enunciationis in sua elementa , sed de modo , quo enunciatio ex suis elementis componitur , agimus [3], necesse est , ut a simplicibus ad compositum progredientes, in primis nomen, et verbum , quae elementa enunciationis sunt , exponamus. Tractatus autem de nomine tractatui de verbo praemittendus nobis est , quia id,

---

[1]) *Op. cit.*, tract. III, c. 1.—[2]) *Op. cit.*, lib. cit. tract. II, c. 4.
[3]) « . . . non resolvendo, Albertus M. ait, procedimus, sed « potius enunciationem generando ex suae generationis prin-« cipiis: propter quod etiam a simplicibus inchoamus »; *Op. cit.*, lib. cit., tract. II, c. 1.

de quo aliquid enunciatur, eo, quod de ipso enunciatur, prius esse intelligitur.

ARTICVLVS SECVNDVS

De Nomine

Vt omni ambiguitati adytus praecludatur, in antecessum animo recolamus nomen a logico non esse definiendum ex ea parte, quatenus res, sed quatenus conceptiones intellectus, sive, ut Aristoteles ait, παθήματα τῆς ψυχῆς, *passiones animae* significat. Grammatici, cum voces, ut diximus, considerent, non prout conceptiones intellectus, sed prout res denotant, nomen definire solent: *id, quod substantiam, aut qualitatem rei significat* [1]. Verum alia, ac isthaec, definitio nominis logico danda est, quia logicus, uti ostensum est, voces considerare debet, prout conceptus, non vero prout res immediate significant. Iam nomen logice consideratum, secundum Aristotelem, quem Albertus M., s. Thomas, aliique Scholastici secuti sunt, definire potest: *vox simplex ad aliquid sine ulla differentia temporis significandum instituta* [2].

---

[1]) « Proprium, Priscianus ait, est nominis substantiam et qua« litatem significare » (*Syntax.*, lib. II, c. 4, p. 68 ed. Kr.). Apollonius Dyscolus, quem ipsemet Priscianus alibi (*Op. cit.*, lib. II, c. 5, t. I, p. 70, et *Super XII vers. Aeneid.*, *Opp.* t. II, p. 312 ed. cit.), Choerobascus Byzant. (Bekker, *Anecd. gr.* p. 1177), aliique secuti sunt, voluit nomina nunquam significare substantiam, sed semper qualitates communes, aut proprias, ποιότητας κοινὰς ἢ ἰδίας (*Op. cit.*, lib. II, c. 7; cf lib. I, c. 1, 12, 22, et 27). Sed oppido falsus est. Etenim nomen, grammatice consideratum, ut inferius dicemus, est cum subiectum, tum praedicatum. Iam, si, prout est praedicatum, aliquid, ex quo subiectum *quale* efficitur, nempe aliquam *qualitatem* significat, ipsum, prout est subiectum, debet aliquid significare, quod *quale* effici potest, nempe *substantiam*, sive aliquid, cui aliud inesse posse intelligitur. Re vera, non potest quidquam, veluti subiectum intelligi, nisi tanquam substantia intelligatur, quia subiectum, ut ex ipsa vi nominis patet, aliquid denotat, quod alteri subiici, hoc est, cui alterum inesse intelligitur.

[2]) « Nomen, Stagirita inquit, est vox significans ex instituto,

Quin nomen vox ad aliquid significandum instituta esse debeat, nemo sane dubitare potest. Nam, cum oratio ad conceptiones intellectus patefaciendas spectet, nomen, quod pars orationis, eaque una ex duabus praecipuis est, neque vox non articulata, quae naturaliter significat, ut *gemitus*, neque vox articulata, quae nihil significat, ut *blitri*, esse potest, quia neutra species vocis conceptiones intellectus significat. Quamobrem ipsam esse oportet vocem articulatam, quae ex instituto aliquid significat, scilicet, quemadmodum haec verba Aristotelis iam explicuimus, quae ad aliquem conceptum intellectus denotandum a loquente adhibetur [1].

Perspicuum est nomen esse oportere vocem simplicem, sive *incomplexam*. Re sane vera, enunciatio, uti vidimus, est species orationis, quae iudicium intellectus significat. Iamvero, iudicium est, uti antea quoque innuimus, actio *complexa*, quia ipsum duas notiones complectitur, quarum vel unam cum alia coniungit, vel unam ab alia separat. Duae notiones vero, quae sunt elementa eius, simplices, sive *incomplexae* sunt, quippe quod, si logice consideretur, illarum una non aliud significat, nisi quidquam, de quo aliquid enunciatur, altera autem non aliud, nisi quidquam, quod de aliquo enunciatur. Vnde iudicium est oratio complexa, quae in elementa simplicia resolvitur. Quod si elementa, ex quibus iudicium efficitur, sunt *incomplexa*, necesse est, ut voces, quibus ipsa significantur, *incomplexae*, nempe simplices quoque sint. Atqui elementa iudicii sunt nomen, et verbum; si quidem intellectus, iudicium resolvens, nomen, et verbum, tanquam partes, quae ipsum constituunt, in eo nanciscitur. Nomen igitur esse vocem, cuius nulla pars separatim sumta aliquid significat, hoc

---

« sine tempore, cuius nulla pars significat separatim »; c. 2, vert. et ed. Bekker.

[1]) « Nihil, s. Thomas inquit, est aliud loqui ad alterum, quam « conceptum mentis alteri manifestare »; I, q. CVII, a. 1 c.

est, esse vocem simplicem certo certius est. Secundum hanc doctrinam Stagiritae s. Thomas haec habet « Significatio orationis differt a significatione nominis, et verbi, « quia nomen, et verbum significat simplicem intellectum, oratio vero significat intellectum compositum [1] ».

Illud sedulo explicandum est, quomodo nomen *sine tempore* ἄνευ χρόνου, aliquid significet; hac enim ex parte nomen a verbo, quod cum tempore aliquid significat, discriminatur. Albertus M. brevem huius rei demonstrationem confecit, qua clarior, solidiorque excogitari nequit. Atque in primis memoria recolamus oportet nomen id significare, quod in enunciatione subiectum est, scilicet id cui in enunciatione aliquid tribuitur. Iam, quod in enunciatione intelligitur, tanquam subiectum, de quo aliquid praedicatur, id, tanquam aliquid fixum, permanens, et immutabile intelligatur oportet. Etenim nihil potest intelligi, tanquam id, cui aliquid tribuitur, nisi intelligatur tanquam id, quod per se est, sive quod *subsistit*; si quidem, cum id, quod est per aliud, ab eo per quod est, pendeat, non tanquam aliquid, cui aliquid tribuitur, sed tanquam aliquid, quod alii tribuitur, intelligendum est. Atqui id, quod tanquam aliquid per se subsistens intelligitur, non aliter, quam permanens, et fixum intelligi potest, quia accidentium est mutationes subire. Ergo id, quod in enunciatione tamquam subiectum intelligitur, tanquam aliquid fixum, et immutabile intelligendum est [2]. Quandoquidem autem id, quod cum tempore coniungitur, mutationibus eius subiicitur, oportet, ut id, quod tanquam subiectum in enunciatione intelligitur, ab omni tempore exemtum intelligatur. Hinc, cum nomen illud significet, quod in enunciatione subiecti munus obit, nomen, esse vocem, quae

---

[1]) *In lib. I Periher.*, lect. VI.

[2]) Apposite s. Bonaventura: « Nomen in quiete significat »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXII, dub. 4.

quidquid significat, sine tempore significat, secundum sententiam Aristotelis concludendum est [1].

At, cum secundum Stagiritam dicimus nomen significare aliquid sine tempore, nobis haud volumus nullum nomen posse aliquid tempus significare, quia sunt quaedam nomina, uti hora, dies, mensis, necnon adverbia, uti heri, hodie, cras, quae aliquod tempus significant; sed illud nobis volumus, omne nomen id, quod significat, significare, prout est quaedam res, non vero prout tempori subiicitur, ipsaque nomina, quae aliquod tempus significant, ipsum significare, prout est quaedam res, non vero prout est tempus, nempe prout est mensura motus [2]. Quoniam haec ambiguitas quosdam veteres, et non paucos recentes permovit, ut aristotelicam nominis definitionem reiicerent, e re est ipsam secundum doctrinam s. Thomae, quam nuper Balmesius [3] amplexus, et tuitus est, breviter declarare. Certe, nihil prohibet, quin nomen aliquod tempus significet, si quidem, cum tempus, tanquam aliquid reale intelligatur, ipsum « secundum quod, ut cum s. Thoma loquamur, « est quaedam res », perinde

---

[1]) « Et per hoc habet nomen, quod est enunciationis subie-
« ctum: quia sic habet esse stans et fixum, et manens est sub-
« stantia in se ipsa, de qua aliquid potest enunciari, quod insit
« ei. Quod autem significat cum tempore, significat cum motu;
« motus autem esse in fieri est, quod ab altero est, et non est se-
« cundum seipsum: et ideo potest quidem enuntiari de altero, sed
« nihil potest enuntiari de ipso secundum quod verbaliter acci-
« pitur; propter hoc ergo, quod nomen significat substantiam,
« de qua enuntiatur, quod enuntiatur, oportuit nomen signifi-
« care rem sine tempore »; *Op. cit.*, lib. I, tract. II, c. 4.

[2]) Aristoteles, quem Scholastici secuti sunt, dixit, verbum *adsignificare*, vel *consignificare*, προσσημαίνειν, tempus (*Op. cit.*, c. 2 et 3, p. 124 et 125, ed. Waitz), quia verbum significationi rei, quam cum nomine communem habet, significationem temporis, in quo res versatur, addit, sive una cum re significat tempus, in quo res est. Ita verbum *amat* simul cum amore tempus praesens, in quo amor est, significat.

[3]) *Filosofia elementare*, trad. etc. lib. III, c. 11, sez. 7, § 1, p. 246, Napoli 1858.

ac quamlibet aliam rem, nomine significari haud repugnat. Idem de adverbiis temporis dicendum est. Haec enim tempus, perinde ac nomina, significant ; hoc discrimine tantum, quod nomina significant aliquas partes temporis, prout sunt quaedam res, adverbia autem easdem partes significant, prout una illarum ad aliam refertur. E. g. *mensis* certam partem temporis designat, quod per se, et quin ad aliam partem temporis referatur, intelligitur; sed *hodie* aliquod tempus designat, quod non intelligitur per se, sed prout ad aliud tempus, hoc est ad diem hesternam, vel proxime successuram refertur. At mente reputemus oportet tempus considerandum esse non tam prout est quaedam res , quam prout illud significat , quod res, quae in motu sunt, hoc est, quae aliquid agunt , aut patiuntur, metitur. Iamvero, tempus hoc secundo modo, quia propriam eius notionem exhibet , considerare nec nomini , nec adverbio , sed soli verbo convenit. Nam significare tempus, prout res, quae in motu sunt, metitur, idem valet, ac res significare, prout tempore metiuntur ; tempore autem res metiuntur , prout aliquid agunt, vel patiuntur. Atqui nec nomina, nec adverbia temporis significant res, prout aliquid agunt, aut patiuntur, sed illa aliquas partes temporis, prout sunt quaedam res, haec relationes, quae inter partes temporis sunt; proprium autem, ut paulo post dicemus, verbi est res significare, prout aliquid agunt, aut patiuntur. Nomina igitur, et adverbia temporis sine tempore aliquid significant. En pauca verba Aquinatis: « Sed dicendum, quod circa tem-
« pus tria possunt considerari. Primo quidem ipsum
« tempus, secundum quod est res quaedam, et sic po-
« test significari a nomine, sicut quaelibet alia res. A-
« lio modo potest considerari id, quod tempore mensu-
« ratur, in quantum huiusmodi: et quia id , quod pri-
« mo , et principaliter tempore mensuratur , est motus,
« in quo consistit actio, et passio; ideo verbum , quod
« significat actionem, et passionem , significat cum tem-
« pore . . . Tertio modo, potest considerari ipsa habi-

« tudo temporis mensurantis : quod significatur per ad-
« verbia temporis, ut cras, heri, et huiusmodi [1] ».

Vt notio nominis, quam tradidimus, clarior evadat, duo nobis prae oculis habenda sunt, quae ab Aristotele primum adnotata Scholastici, et praesertim Albertus M. sedulo explicarunt. Atque in primis voces incomplexae, etsi ex institutione, et sine tempore aliquid significent, tamen in logica, tanquam nomina, considerari non possunt, si illud, quod significant, certum, et definitum non sit. Quod ut intelligatur, advertendum est vocum simplicium, quae aliquid ex instituto, et sine tempore significant, alias significare quemdam conceptum certum, et definitum, alias vero conceptum indeterminatum, sive, ut voce purae latinitatis utamur, *infinitum*. Missis primis, quae satis explicatae sunt, hic advertimus alteras effici cum voci incomplexae, quae aliquem conceptum per se significat, particula negans adiicitur. Nam, cum particula negans voci simplici additur, ipsa removet ab ea conceptum, quem per se significat, efficitque, ut vox simplex quidvis aliud significet praeter conceptum, ad quem significandum per se destinatur. E. g. vox *non homo* aliud, quam *hominem* significat, at non aliud certum, et definitum, sed quodvis aliud, quod *homo* non est. Iamvero, hae voces, monente Aristotele [2], in logica, tanquam nomina, considerari nequeunt. Etenim, quoniam logicus, uti ad hanc rem Albertus M. advertit, nomina considerat, prout ad enunciationem efformandam spectant, illas voces incomplexas dumtaxat pro nominibus habere debet, de quibus aliquid enunciari potest, hoc est, quae subiectum enunciationis esse possunt. Atqui voces incomplexae, quibus negatio additur, huiusmodi non sunt, quia cum conceptus indeterminatos significent, nihil de ipsis praedicari quit. Voces incomplexae igitur, quibus particula negans additur, nomina logico

---

[1]) *In lib. I Periherm.*, lect. IV.
[2]) *Categ.*, c. 2, p. 124, ed. cit.

non sunt. Nihilominus, ut idem Albertus pergit, quandoquidem huiusmodi voces incomplexae, si non logicam, certe grammaticam rationem nominis habent, nomina et a Grammaticis, et a Philosophis post Aristotelem [1] quoque dicta fuere, non quidem simpliciter, sed nomina *infinita*, ἀόριστα [2]. Iam, naturam huius nominis breviter explicemus necesse est, quippe quod vera, germanaque eius notione, uti ex dicendis patescet, ad quorumdam recentium errores refellendos opus nobis erit.

Atque illud nosse oportet, quid sit, per quod negatio voci incomplexae adiicitur. Nam, nomen, quodcumque sit, aliquem conceptum significare debet; alioquin non nomen, sed vox articulata, quae nihil significat, esset. Atqui particula negans, quae voci simplici in nomine infinito adiicitur, a voce simplici removet conceptum, quem ipsa per se significat. Ergo necesse est, ut aliquid in nomine infinito intelligatur, a quo conceptus per vocem simplicem significatus removetur, hoc est, ut aliquid expers conceptus, quem vox simplex significat, intelligatur.

At sitne re vera in nomine infinito istud, ex quo ipsum appellationem nominis meretur, a nonnullis dubitatum est; si quidem nihil, praeter particulam negantem, et vocem simplicem, cuius conceptus per particulam negantem removetur, in eo inveniri videtur. Verum, Albertus M. hanc dubitationem obiicientibus haud haesi-

---

[1]) *Op. cit.* ibid.

[2]) Afferamus pauca verba Alberti M.: « . . . nomen infinitum « non perfectam habet nominis rationem: quia non est finitae « qualitatis: ideo dicimus, quod non homo, quod est nomen « infinitum, non est nomen secundum perfectam rationem no- « minis. Sed tamen quamvis nomen. . . non est alia pars ora- « tionis, et non est ei nomen impositum, quo illud appellari « oporteat in partibus orationis, ideo, si placet, vocetur nomen « infinitum, ut et habeat rationem nominis quoad modum gram- « maticae, et quoad dialecticum extra perfectam rationem no- « minis extrahatur. Hoc ergo modo dicitur nomen non sim- « pliciter, sed nomen infinitum »; *Op. cit.*, tract. II, c. 5. Cf s. Thom., *In lib. I Periher.*, lib. I, lect. IV.

tabundus respondit illud, quod in nomine infinito expers conceptus per vocem simplicem significati intelligitur, esse *ens*, vel *existens*. Nam, quemadmodum in quolibet verbo, rationem praedicati habente, intelligitur *est*, quod proprietatem, aut accidens cum subiecto coniungit; ita in quolibet nomine, quod rationem subiecti habet, *ens*, vel *existens* intelligitur. E. g., si *currit* idem valet, ac *est currens*; *homo*, idem valet ac *homo ens*, vel *existens*, ita ut haec enunciatio, *homo currit*, resolvatur in hanc aliam, *homo ens est currens*. Quocirca haec vox, *non homo*, idem valet, ac *ens non homo*, hoc est ens, cui *forma*, sive essentia humanitatis non convenit [1].

Ex quo haud difficulter intelligitur in nomine infinito, uti ab Alberto M., a s. Thoma, a Scoto, et ab aliis Scholasticis, quibus nuper Trendelenburgius adhaesit [2], observatum fuit, sublata qualitate, aut, si mavis dicere, notione qualitatis, quam vox simplex significat, relinqui *formam*, seu substantiam infinitam, hoc est, substantiam ad nullum modum entis determinatam. Etenim, substantia, cum ex eo solum consideratur, quod certa qualitate caret, sine ulla qualitate intelligitur. Atqui substantia, quae sine ulla qualitate intelligitur, infinita, sive indeterminata intelligatur necesse est, quia qualitates substantiam determinant. Substantia igitur, cum ex eo tantum consideratur, quod certa qualitate caret, indeterminata intelligitur. *Ens* autem, aut *existens*, quod in nomine infinito includitur, tanquam substantia intelligitur, quia ipsum, tanquam aliquid, in quo aliud inhaerere, aut non inhaerere potest, in-

---

[1]) « Sed ad hoc statim prompta responsio, quia sicut in quo-
« libet verbo praedicato intelligitur nota compositionis, quae
« est *est*, sicut cum dico, homo currit, sensus est, homo est
« currens: ita in nomine, quod subiicitur, intelligitur ens, si-
« cut cum dico, homo currit, sensus est homo ens, vel exi-
« stens currit, et ratione huius potest ei addi negatio, quae
« facit nomen infinitum »; *Ibid.*

[2]) *Elem. Log.*, § 5, p. 57, et 58 ed. cit.

telligitur. Igitur nomen infinitum, cum significet aliquid, quod sine certa qualitate est, substantiam certa qualitate carentem, et indeterminatam re ipsa significat [1]. Perspicuum vero est, ut idem Albertus advertit, substantiam indeterminatam, quam nomen infinitum denotat, non esse *realem*, sive *obiectivam*, sed logicam, sive *subiectivam*, quia ipsa non est ens per se, quod in natura rerum sine aliqua qualitate existit, sed est ens per se, quod intellectus sine certa qualitate esse intelligit. E. g., *non homo* non significat aliquod ens, quod sine essentia humanitatis in natura existit, sed conceptum entis, cui quaelibet alia essentia, quam illa, quae voce simplici significatur, convenire potest [2]. Vnde ens indeterminatum, quod per nomen infinitum

---

[1]) « Nomen autem infinitum in logicis est illud, cuius pri-
« vata est determinata qualitas, et relicta substantia infinita,
« quae substantia infinita supponitur per hoc, quod dico ens,
« unde non homo est ens non habens formam humanitatis ».
Idem paulo inferius illustravit hoc exemplo: « . . . ablata qua-
« litate ista, quae dicitur per hoc nomen homo, non remanet
« homo id quod est homo, et per consequens nihil relinquitur
« positum de homine: quia quidquid ponitur per finitum, cum
« dicitur homo, tollitur per infinitum, cum dicitur non homo »;
Ibid. Cf s. Thomam, *In lib. I Periherm.*, lect. IV, et Scotum, *In duos libros Perih.* Oper. sec., q. IV. Hi, ni fallimur, prae oculis habuerunt hunc locum s. Augustini: « Cum dicimus,
« homo est, substantiam designamus; qui ergo dicit, non homo
« est, non aliud genus praedicamenti enuntiat, sed tantum il-
« lud negat. Sicut ergo secundum substantiam aio, homo est;
« sic secundum substantiam nego, cum dico, Non homo est...
« Et omnino nullum praedicamenti genus est, secundum quod
« aliquid aiere volumus, nisi ut secundum idipsum praedica-
« mentum negare convincamur, si praeponere negativam par-
« ticulam voluerimus »; *De Trin.*, lib. V, c. 7, n. 8.

[2]) « Et cum dicitur, quod nomen infinitum significat substan-
« tiam infinitam, non oportet, quod illa substantia sit aliquid in
« rerum natura: sed sufficit, quod sit aliquid in apprehensione,
« vel dictione. . . . hoc enim modo substantia dicitur infinita,
« quin ad nullam formam entis finita est »; *Ibid.*

significatur, esse *quodcumque intelligibile et apprehensibile* Scotus sapienter dixit [1].

Quoniam nomen infinitum, si non significat aliquid, quod in natura rerum est, aliquid profecto significat, quod in intellectum cadit, inde intelligitur nomen infinitum non esse vocem, quae nihil significat, uti *biltri*. Etenim nomen infinitum, eodem Alberto M. observante, intellectum ad ens, quod certa qualitate caret, concipiendum determinat. Atqui concipere ens, quod aliqua qualitate caret, est aliquid concipere, quod, si non est in natura rerum, est quidem in intellectu. Ergo nomen infinitum aliquem conceptum significat. Iam, cum vox incomplexa, cui aliquis conceptus respondet, non sit vox, quae nihil significat, consequens est nomen infinitum non esse vocem, quae nihil significat, sed e contrario vocem, quae appellationem nominis quodammodo meretur [2]. Quin immo nomina infinita quandoque non parum utilitatis in scientiis habent; tantum abest, ut futilia, et cassa sint, cuiusmodi sunt voces, quae nihil significant. Nam, si ad perfectam rerum notitiam assequendam non solum quid ipsae sint, sed non raro etiam

---

[1]) « Dico igitur, quod nomen infinitum non ponit aliquid, ita « quod in intellectu suo essentiali aliquod ens includatur secun- « dum naturam: includit tamen aliquid indeterminatum ad ens « naturae, et ens intelligibile: sicut dicendo *non homo*, quidquid « potest intelligi sub negatione hominis, potest dici non homo. . . « negatio enim adveniens termino infinito privat formam finitam, « significatam per terminum, et relinquit ens indeterminatum ad « quodcumque intelligibile, et apprehensibile sub ratione qua- « litatis indeterminatae »; *Op. cit.*, ibid. q. IV, n. 9.

[2]) « . . . vox non significativa non excitat intellectum ad aliquid « de aliquo intelligendum, sed non homo excitat ad intelligendum « de hoc, quod est privatae qualitatis, quod tamen in rerum na- « tura nihil est, quamvis sit in apprehensione: et hoc modo opi- « nio est circa id, quod est in apprehensione tantum. Et est si- « mile sicut quando dicimus innominabile, hoc nihil est, et ta- « men, prout cadit in apprehensione per suum oppositum, quod « est nominabile, ad aliquid excitat intellectum »; *ibid.*

quid non sint, nosse oportet, procul dubio non modo nomina finita, quae conceptum entis cum aliqua qualitate, sed etiam nomina infinita, quae conceptum entis aliqua qualitate carentis, significant, aliquid momenti in scientiis habent [1].

His statutis, illud intelligere licet, quod ante asseruimus, scilicet vocem incomplexam, cui particula negans praeponitur, in grammatica esse verum nomen, non item in logica; licet eius notio ob usum, quem in scientiis habet, logico tradenda sit. Re vera, cum grammaticus nomen consideret, prout substantiam, vel qualitatem significat, in nomine infinito substantiam indeterminatam, et remotionem qualitatis pro qualitate nanciscitur [2]: at logicus in eo non invenit conceptum rei determinatae, quem nomen, prout ab eo consideratur, significare debet. « Dicendum, quod substantiam habet indeterminata, et infinitam, et privationem qualitatis habet pro « qualitate: et hoc sufficit apud grammaticum, ad hoc, « quod aliquid sit nomen, quamvis apud logicum non « sufficiat ad perfectam nominis rationem [3] ».

Non modo nomen infinitum, sed ne casus nominis quidem vera nomina secundum logicum sunt. Vt id intelligatur, quid nomine *casus* veniat, exponere iuvat.

---

[1]) Vt exemplum a Theologia Revelata petamus, hunc locum s. Augustini exscribimus: « Cum ingenitus dicitur Pater, non quid « sit, sed quid non sit, dicitur »; *De Trinit.*, lib. V, c. 6, n. 7.

[2]) Apollonius inter nomina infinita recensuit ἄλλος, *alius*, τοσοῦτος, *tantus*, τοιοῦτος, *talis*, et, ne cuncta dicamus, praesertim τίς, *quis*, quod ὄνομα ἀοριστότατον, *nomen maxime infinitum*, vocavit (*Synt.*, lib. II, c. 8; cf lib. I, c. 37, et *de Pron.*, p. 32 sqq, ed. cit.). Eum Priscianus (*Op. cit.*, lib. II, c. 6, p. 85) secutus est, atque hanc quoque fuisse sententiam Dionysii Thracis, et Herodiani scripsit (*De XII vers. AEneid.*, c. 8, p. 329). Ex quo patet Albertum M. in antiquae grammaticae praeceptis eruditum se praebuisse, cum inquit: « . . . in grammaticis « nomen est infinitum, ut quis et qualis, quod ab omni deter« minato numero finitum est, ut quis, vel qualis duorum, vel « trium, vel quatuor, et sic de quolibet alio »; *Op. cit.*, ibid.

[3]) *Ibid.*

Aristoteles, qui primus omnium, quantum scimus, vocem πτώσεως, *casus*, invenit, ipsam, aientibus Leone Magentino [1], et Simplicio [2], ad quamlibet flexionem grammaticam vocum a primitiva sua forma significandam usurpavit, quia, quaecumque vox a primitiva sua forma flectitur, ab ea *cadere*, πεπτωκέναι, iure optimo dicitur. Hinc casus in denominativis, ut vidimus, et hic in nominibus, et, uti mox dicemus, in verbis agnovit [3]. Contra, Stoici casus solis nominibus vindicarunt, et quinque illos, quos lingua graeca constanter retinuit, numerarunt, scilicet ὀρθήν, *rectum*, et quatuor *obliquos*, πλάγιας, nempe γενικήν, *genetivum*, δοτικήν, *dativum*, αἰτιακήν, *accusativum*, et κλητικήν, *vocativum* [4]. Latini sextum casum, nempe *ablativum*, ut videre licet apud Priscianum [5], numerarunt, qui graecis idem cum latino fuit [6]. At, omissis tum diversis acceptionibus vocis *casus*, tum differentiis, quae circa casuum vim inter Peripateticos, et Stoicos intercedunt [7]; illud hic statuendum est casus nominis in lo-

---

[1]) *In Arist. De interpr.*, Schol. ed. Brandis, 104, *a.* 48.

[2]) *In Arist. Categg.*, Schol. cit. p. 43, *a.* 34.

[3]) Locos Aristotelis collegit Classen, *Op. cit.*, p. 64 sqq.

[4]) Diocles Magn. in epitome *Log.*, quae apud Laërtium extat, tres tantum casus nominis recensuit, nempe *genitivum*, *dativum*, et *accusativum* (lib. VII, segm. 65). At quoniam Chrysippum opusculum *De quinque casibus* exarasse constat (Laert., lib. VII, segm. 192), addere licet casum *rectum*, qui apud eumdem Laertium saepe (puta lib. VII, segm. 70) occurrit, et *vocativum* ex *Enchirid.* Dionysii Thracis (p. 636, *Anecd. graec.* ed. Bekker). De doctrina stoica casuum vid. Ammonium, *Op. cit.*, p. 104, *a.* 26, et Leonem Magnet, *ibid.*

[5]) « Igitur ablativus proprius est Romanorum... quia novus vi-« detur a latinis creatus »; *Op. cit.*, lib. I, p. 672 ed. Putsch.

[6]) Audiatur idem Priscianus: « Quamvis hunc quoque a vetustis-« simis graecis accepisse videntur, qui sextum casum dicebant, οὐ-« ρανοθεν, ἐμέθεν, qui profecto ablativi vim possidet, nam etiam « praepositionem assumit, ut ἐξ ἐμέθεν, ἐξ οὐρανόθεν »; *Op. cit.* ibid. Cf s. August., *Locutionum* lib. I, Locut. *De Gen.* n. 7, et s. Isid. Hisp., *Etymol.*, lib. I, c. 7, § 30, *Opp.* ed. cit., vol. III, p. 16.

[7]) Praeter Simplic. (*loc. cit.* p. 391 vol. I), et Leonem Magent. (*loc. cit.*), aliosque antiquos legendus est Th. Rumpel, *De doctrina ca-*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

gica pro veris nominibus habendos non esse. Casus sine ulla exceptione diximus, quia casus, qui *rectus* vocatur, cum primitivam nominis formam prae se ferat, casus re ipsa non est; sed casibus obliquis, eo quod a recto decidunt, διὰ τὸ, uti Ammonius scribit, πεπτωκέναι ἀπὸ τῆς εὐθείας [1], nomen *casus* proprie convenit. Iam, nomen tum solum, cum in recto casu adhibetur, logicam rationem nominis habere manifesta res est. Etenim nomen, uti diximus, in logica accipitur, prout illud significat, de quo aliquid enunciatur. Atqui nomen, uti Albertus M. advertit, tum solum aliquid significat, de quo aliud enunciatur, cum in casu recto adhibetur. Solus igitur casus rectus logicam naturam nominis habet. Assumptio huius syllogismi, quam Scholae *minorem* vocant, probatur hoc modo: Non potest aliquid intelligi, tanquam id, de quo aliquid enunciari quit, nisi intelligatur, tamquam id, cui aliquid inest, quemadmodum Albertus M. habet, nosque, eo duce, paulo ante ostendimus, quia « inesse est causa praedicationis de « altero [2] ». Iamvero, nomini tum solum, cum in casu recto adhibetur, convenit, aliquid significare, cui aliud inesse potest. Namque ipsum tum solum significare intelligitur aliquid, cui aliud inesse potest, cum, prout est subiectum enunciationis, intelligitur, quia subiectum, uti ostendimus, in enunciatione illud dicitur, cui id, quod praedicatum continet, inesse intelligitur. Vnus autem casus rectus in enunciatione officio subiecti fungi potest; obliqui casus enim vel aliquid, quod

---

suum linguae graecae (germ.), Halis 1845. Vnus Varro inter antiquos, quantum scimus, causam assignavit, ob quam multas partes orationis per casus variari opus fuit. « Declinatio, ait, inducta in « sermones non solum latinos, sed omnium hominum, utili et ne« cessaria de causa: nisi enim ita esset factum, neque discere tan« tum numerum verborum possemus »; *De lingua latina*, lib. VIII, c. 3; cf lib. IX, c. 34, ed. C. O. Müllerus, Lipsiae 1833.

[1]) *Op. cit.*, ibid.

[2]) *Op. cit.*, tract. III, c. 2. Vid. loc. cit. p. 30, not. 1.

ad subiectum pertinet, vel quamlibet aliam habitudinem eius cum subiecto significant [1]. Igitur casus rectus dumtaxat aliquid significat, de quo aliud enunciari potest. Ex quo concludendum est unum casum rectum logicam naturam nominis habere. En verba Alberti Magni, ex quibus demonstrationem confecimus : « Similiter casus nominis, sive nomen obliquum, nomen hic esse non potest : quia deficit in significatione substantiae, quam ita designari oportet, ut de ea aliquid enuntiabile sit : quod non potest fieri, nisi in recto: genitivus enim non significat substantiam, sed aliquid esse ipsius. Similiter dativus non significat substantiam, sed aliquid esse illi. Et eodem modo accusativus non significat substantiam, sed aliquid ad ipsam. Et ideo nullus casus directe significat substantiam, nisi rectus, qui significat eam, prout aliquid est enuntiabile de ea [2] ».

---

[1]) De varia vi casuum obliquorum audire e re est Isidorum Hisp.: « *Nominativus* casus dictus, quia per eum aliquid nominamus, ut « *hic magister*, *Genetivus*, quia per eum genus cuiuscumque quaerimus, ut *huius magistri filius*; vel quod rem significamus, ut « *huius magistri liber*. *Dativus*, quia per eum alicui aliquid nos « dare demonstramus, ut *da huic magistro*. *Accusativus*, quia per « eum aliquem accusamus, ut *accuso hunc magistrum*. *Vocativus*, « quia per eum aliquem vocamus, ut *o magister*. *Ablativus*, quia « per eum nos auferre aliquid cuiquam significamus, ut *auferam* « *a magistro* »; *Etym.*, lib. I, c. 7, § 30, et 32, *Opp.* t. III, p. 16, et 17, ed. cit. Cf s. Bonavent., *In lib. I Sent.*, Dist. III, part. 2, dub. 3, Dist. XXV, dub. 2, Dist. XXXII, dub. 3; *ibid.* a. II, q. 1 *ad arg.*, et Dist. XXXIV, dub. 5, et s. Thom., *In lib. I Sent.*, Dist. XXXV, *Expos. text.*

[2]) *Op. cit.*, tract. II, c. 6. Hinc s. Thomas scite docuit singulos casus obliquos, etsi idem, ac rectus, significent, tamen, si *logice* considerentur, non esse idem nomen cum recto, quia eamdem rem rectus significat simpliciter, et quilibet obliquus cum aliqua relatione, seu habitudine, hoc est, rectus *significat*, et obliquus *consignificat*, sed esse unum nomen, si *grammatice* considerentur, quippe quod hoc modo considerati in eadem declinatione nominis cum recto conveniunt. « Dicendum, inquit, quod diversitas consignificationis tollit nominis identitatem, in tantum quod obliqui se-

Quae cum ita sint, multis recentibus logicis post Albertum M. [1] visum est definitionem nominis, quam Aristoteles initio capitis tradidit, perficiendam esse, secundum ea, quae ipsemet Philosophus ibidem docuit, hoc additamento *finita*, et *recta*, hoc est determinatae significationis, et recti casus; alioquin ipsa et nomen infinitum, et casus obliquos nominis, quae in logica non sunt vera nomina, ambitu suo includeret. Verum nos secundum s. Thomam [2] arbitramur illum additamentum non esse eiusmodi, ut sine ipso definitio manca sit. Enimvero, nomen, uti iam monuimus, in logica, etsi non consideretur, prout est pars enunciationis, nempe subiectum; tamen, prout ad illam efficiendam concurrit, considerandum est. Iam, quandoquidem nomen consideratum, prout ad effectionem enunciationis concurrit, infinitum, aut recti casus, uti ostendimus, esse nequit, inde patet definitionem aristoteleam sine illo additamento non esse mancam, nihilque aliud a logico expostulandum esse, quam ut ipse illam nec nomini infinito, nec casibus obliquis nominis convenire patefaciat. Qua de re nos, secundum Stagiritam, et plerosque eius interpretes, quos s. Thomas secutus est, nomen definiendum esse censemus: *vocem simplicem ad aliquem conceptum mentis sine tempore significandum institutam.*

ARTICVLVS TERTIVS

De Verbo

Quandoquidem verbum praecipua pars orationis est, ipsum, perinde ac nomen, scientiam sermonis inquirentibus principio occurrere debuit. Enimvero, discrimen inter nomen, et verbum iam in Platonis *Cratylo*, ut diximus,

---

« cundum Philosophum non sunt nomina; sunt tamen unum nomen « non simpliciter, sed in quantum conveniunt in uno ordine decli- « nationis »; *Quodlib.* IV, a. 17 ad 3.

[1]) *Ibid.* — [2]) *In lib. I Periherm.*, lect. IV.

invenitur; sed Platonem, uti Eggerus merito coniecit [3], primum illius auctorem non fuisse probabile est. At, si proclive fuit primis Philosophis verbum in orationis complexu agnoscere, ipsum non sine multo studio, magnoque labore definiri ab eis potuit. Nam, cum verbum sit potissima pars orationis, reliquas partes saepe ad se trahit, in seque recipit: unde ipsum ab aliis partibus discriminare haud facile fuit. Aristoteli, quantum ex historiae monumentis perspici potest, omnium primo id contigisse videtur. Hic enim in libro *De interpr.* [2] definitionem verbi tradidit, quae, quamvis saepe, et multis modis oppugnata a grammaticae philosophicae cultoribus fuerit, tamen nulla adhuc ei suffici potuit, quae et ad naturam verbi explicandam accommodatior sit, et plurium politiorum Philosophorum calculo probetur. Apud Platonis, et Aristotelis discipulos nihil, quod memoratu dignum sit, occurrit [3]. Stoicorum de hac parte orationis valde exiguum est meritum, cum in subtilibus divisionibus verbi instituendis, explicandisque fere totam suam operam collocassent [4]. Nec quidquam magni momenti in Dionysii Thracis, aliorumque libris usque ad Apollonium Dyscolum invenitur. Apollonius, et qui eius vestigiis inter graecos, latinosque grammaticos institerunt, de verbi doctrina non mediocriter meriti sunt [5]. Verum, quoniam eorum disquisitiones potius ad grammaticam, quam ad logicam notionem verbi explanandam spectant, profecto, praeter Aristotelem, in antiqua aetate non alii, quam graeci, et romani expositores libri *De interpr.* digni sunt, qui hac de re legantur. Cum his consulere, nedum perutile, necessarium est Albertum M.,

---

[1]) *Op. cit.*, c. 5, p. 142.

[2]) C. III, p. 124 ed. Waitz; cf *De art. poetic.* c. 20, ed. Bekkert.

[3]) Vid. Lersch, *Op. cit.*, 2 part., p. 22 sqq et p. 47 sqq.

[4]) Vid. Ammon. (*Op. cit.*, Schol. p. 104 sqq ed. Brand.); Laert. (lib. VII, passim); Apollon. (*Synt.*, lib. I, c. 8, et lib. III, c. 32); Priscian. (lib. II, t. I, p. 67, et lib. XVIII, t. II, p. 122, ed. Krehl).

[5]) Vid. Egger, *Op. cit.*, c. 5, p. 149 sqq ed. cit.

s. Thomam, Scotum, aliosque Scholasticos, qui Arabum commentariis locupletati, de verbi natura, perinde ac de ceteris ad enunciationem spectantibus, subtilissimas observationes nobis tradiderunt.

Apud recentes vero grammaticae generalis, vel philosophicae Scriptores, etsi multa de partibus, et structura humani sermonis egregie disputata inveniantur; tamen, quod ad notionem verbi attinet, plura, ut mox videbimus, sunt, quae reprehensionem, quam quae laudem merentur.

Verbum, Aristotelis sententia, quam nos tuendam suscipimus, est vox simplex instituta ad aliquid significandum, prout vicibus temporis subiicitur, et de altero praedicatur [1]. Secundum hanc definitionem verbum partim convenit cum nomine, partim ab eo differt. Convenit cum nomine ex eo, quod est vox, quae aliquem conceptum intellectus significat, et est vox simplex. Haec duo communia verbo cum nomine sint oportet. Primum quidem, quia, cum omnis enunciatio aliquod iudicium, quod intellectus de rebus efformat, manifestet, necesse est quamlibet partem enunciationis aliquem conceptum intellectus significare. Alterum vero, quia, cum enunciatio sit species orationis, sive vocis complexae, partes eius nonnisi simplices esse possunt. Differt vero a nomine, quia id, quod significat, et cum aliqua differentia temporis, et prout de altero praedicatur, significat. Sic, ut exemplum ab eodem Aristotele mutuemur [2], vox *valetudo*, ὑγίεια, est nomen, quia nec quidquam aliud praeter valetudinem, nec ipsam valetudinem, tanquam aliquid, quod de altero dicitur, significat. Contra, vox *valet*, ὑγιαίνει, est verbum, quia signi-

---

[1]) « Verbum autem est quod adsignificat tempus, cuius nulla « pars significat separatim, et est semper nota eorum, quae de al- « tero dicuntur. Dico autem adsignificare tempus, utputa valetudo « est nomen, valet verbum, adsignificat enim nunc inesse »; *Op. cit.*, c. 3, p. 124, ed. cit.

[2]) *Op. cit.*, ibid.

ficat cum, praeter valetudinem, tempus, quo valetudo alicui inest, tum ipsam valetudinem, tanquam aliquid, quod de aliquo praedicatur.

Vt haec duo, quorum gratia verbum a nomine differt, probe intelligantur, nobis in memoriam revocandum est 1° verbum duo elementa iudicii complecti, scilicet copulam, et praedicatum, quia copula in iudicio non aliud est, nisi actus, quo intellectus praedicatum subiecto inesse, vel alio quolibet modo ad subiectum referri intelligit; 2° omnem varietatem verborum ex verbo primitivo *esse*, et ex aliquo praedicato absolute considerato componi oportere, si quidem omne verbum inhaerentiam praedicati in subiecto significare debet. Iamvero, ex his alterum caput, quo verbum a nomine differre secundum Stagiritam diximus, facile perspicitur. Etenim, quandoquidem verbum non modo praedicatum absolute spectatum, sed etiam copulam, per quam intellectus ipsum praedicatum ad subiectum referri intelligit, notione sui continet, nemo non videt per verbum aliquid significari, non quidem *simpliciter*, sed tanquam aliquid, quod de altero praedicatur.

At de secundo differentiae capite res aliter se habet, quia hoc a plerisque recentibus aristotelicae philosophiae adversariis impugnatum est. Quandoquidem autem in eo natura verbi potissimum consistit, valde interest hanc controversiam diligenter excutere, ut germana notio verbi plana fiat, atque adversus oppugnatores eius vindicetur. Arnaldus, vel quisquis alius e Portu regio, qui in recenti aetate primum specimen grammaticae generalis, hoc nomine dignum, evulgavit [1], definitionem verbi ab Aristotele traditam, reprehendit, quod ipsa modum, quo verbum aliquid significat, non vero id, quod verbum significat, hoc est obiectum verbi, declarat, contenditque essentiam verbi in eo positam esse, quod aliquid affirmat, cum nulla alia, praeter verbum, vox sit, quae af-

---

[1]) Ann. MDCLXVI.

firmationem significat. Hinc verbum ab eo definitum fuit *vox significans affirmationem* [1].

Arnaldus, ni fallimur, Stoicos secutus est ; hi enim , ut videre licet apud Laertium [2], decreverunt verbum esse partem orationis , quae *incompositam affirmationem* , ἀσύνθετον κατηγόρημα, significat.

At permulti recentes verbum a reliquis partibus orationis ex eo, quod actionem , aut passionem significat , discriminari opinati sunt. Ipsi opinionem suam a graecis, latinisque grammaticis, quibus fere communis fuit , acceperunt. Enimvero Apollonius , cuius doctrinam non solum graeci [3] , sed etiam Priscianus [4] , aliique latini amplexati sunt, luculenter docuit id, quod est proprium verbi, ἡ ἰδιότης τοῦ ῥήματος, esse *actionem* , et *passionem* , τὴν ἐνέργειαν καὶ τὸ πάθος [5]; *tempus* autem, *personam*; et *numerum* esse peculiares modos, quibus essentia verbi determinatur [6]. At hanc notionem verbi in primis Arnaldus [7], et nuper Galluppius [8], et Balmesius [9] oppugnarunt, cum quia sunt verba , quae neutrum significant , uti *dormit*, *quiescit* , tum quia utrumque etiam per aliqua nomina significatur, puta *lectio*, *deambulatio*, aliaque id genus.

---

[1]) *Grammaire genêrale, et raisonnèe*, part. 2, c. 8; *Oeuvr.* t. XLI, p. 50-52, Paris 1780.

[2]) Lib. VII, segm. 58. Cf Apollonium, *Synt.*, lib. I, c. 8, ed. cit.

[3]) Vid. opusculum, quod Cramer evulgavit (*Anecd. Parisin.* vol. IV, p. 216), et Michaëlem Syncellum, *Enchirid. Synt.* Venetiis 1745.

[4]) Lib. VIII, *initio*, ed. cit.

[5]) *Synt.*, lib. I, c. 3, ed. cit.

[6]) Videsis definitionem verbi, quam Apollonius concinnaverat, apud Scholiastem Dionysii Thracis (Bekk. *Anecd. graec.* p. 882). Apollonius, testibus Suida (*Lex.*), et Prisciano (lib. VIII, c. 15, p. 423 ed. cit.), librum Περὶ Ῥημάτων, *De Verbis*, elucubravit, qui temporis iniuria periit. Non pauca eius fragmenta leguntur apud sequentium aetatum Grammaticos, quos Bekker, Cramer, Bachmann, aliique nuperi in suis *Anecdotis graecis* evulgarunt.

[7]) *Op. cit.*, ibid., c. 51.

[8]) *Lezz.*, lez. XLII, t. I, p. 220 sqq, Napoli 1853.

[9]) *Op. cit.* ibid., sect. 2, p. 177.

Condillachus opinionem Arnaldi quodammodo instauravit, quippe qui verbum non aliud, nisi *affirmationem* significare sensit. Hoc autem ex eo probavit, quod *esse* est unicum verbum omnium enunciationum, cum cetera ex copulatione eius cum aliquo adiectivo efficiantur, *esse* autem affirmationem significat. Tempus vero, locum, aliaque huiusmodi esse accidentia verbi ratus est [1]. Nisi quod parum sibi constans inferius scripsit affirmationem esse accidens, quo modus indicativus verbi a reliquis modis discriminatur [2]. Certe, si affirmatio non invenitur in cunctis modis, qui, eius iudicio, veram naturam verbi habent, et modi indicativi, in quo invenitur, accidens est, ipsa id esse nequit, quo verbum a reliquis partibus orationis distinguitur. Comes Tracyus a sententia Condillachi, cuius philosophiam evolvere, et perficere instituerat, parum, aut nihil discessit; si quidem verbum modo existentiam realem, et obiectivam unius ideae in alia [3], modo dumtaxat existentiam [4] significare dixit. Galluppius hac in re ab Arnaldi sententia ne latum quidem unguem discessit, quippe qui et eius sententiam tuitus est, et ceteras, eo duce, confutavit [5]. Balmesius vero non solum, ut diximus, opinionem eorum, quibus essentiam verbi in actione, et passione consistere visum est, sed etiam opinionem eorum, qui affirmationem esse essentiam verbi putarunt, reiecit. Ipse enim doctrinam, qua Condillachus [6] priori suae opinioni contradixit, secutus, contendit essentiam verbi non esse in affirmatione ponendam, quippe quod affirmatio nec omni, nec soli verbo convenit. Non omni verbo, quia verbum dumtaxat, quando modo indicati-

---

[1]) *Grammatica*, part. 1, c. 13; *Corso di studi*, t. I, p. 190-199, Napoli 1815.

[2]) *Ibid.*, part. 2, c. 9, p. 242.

[3]) *Grammatica*, trad. c. 3, § 3, vol. I, p. 75, Milano 1817.

[4]) *Ibid.*, c. 6, Append. vol. II, p. 168.

[5]) *Lezioni* etc., lez. cit., loc. cit.

[6]) *Op. cit.*, ibid.

vo profertur, aliquid de subiecto affirmat, cum ceteri modi vel desiderium, vel praeceptionem, vel aliud quidpiam significent. Nec soli verbo, quia verbum in copulatione plurium nominum etiam invenitur. Quisquis enim duo nomina iuncta profert, quorum primum aliquod subiectum, alterum aliquam qualitatem ipsi subiecto inhaerentem denotat, profecto aliquam qualitatem alicui subiecto inesse significat, sive, quod idem valet, aliquam qualitatem de aliquo subiecto affirmat. E. g., in his duabus vocibus simul iunctis, *homo iustus*, affirmatio luculenter continetur, quippe ipsae *esse iustum* de homine affirmant. Inde confecit non modo unum iudicium, sed etiam longam iudiciorum seriem sine verbo posse effici, propterea quod, si quoties unum de altero affirmatur, iudicium conficitur, et affirmatio sine verbo existere quit, aliquod iudicium, immo aliquam seriem iudiciorum sine ullo verbo posse confici manifesta res est. Ita, si quis dicat: *Caesar*, *magnus dux*, *dexter politicus*, *egregius scriptor*, *victis facile parcens*, *ob nimiam confidentiam sui*, *periit*, certe ultimo iudicio, in quo verbum invenitur, alia iudicia praecedunt, in quibus verbum non occurrit, quia de Caesare *esse magnum ducem*, *esse dexterum politicum*, *esse egregium scriptorem*, *et esse victis facile indulgentem*, sine ullo verbo affirmatur [1]. Quamobrem cl. Philosophus ad Aristotelis, eiusque sectatorum sententiam accedens, sanxit verbum ex eo constitui, a ceterisque partibus orationis distingui, quod *esse*, vel *modum essendi* varietati temporis obnoxium significat; hoc enim omni, et soli verbo convenit [2].

Nos in sententiam Aristotelis, quam Arabes, et Scholastici pro viribus defenderunt, concedentes, arbitramur essentiam verbi in eo positam esse, quod rem, prout quodam modo temporis afficitur, significat. Vt in huius sententiae demonstratione omnia eorum placita, quae ipsi adversantur, simul refellamus, tria inquiremus; sci-

---

[1]) *Op. cit.* ibid. — [2]) *Ibid.*, sect. I, p. 177.

licet 1° num unicum verbum extet, quod in enunciatione praedicatum, prout ad subiectum refertur, significat, et quodnam sit istud verbum; 2° num verbum id, quod de subiecto enunciat, cum aliqua differentia temporis semper enunciet, et num hoc ita verbi proprium sit, ut nulli alii parti orationis conveniat; 3° utrum tempus, secundum quod verbum de subiecto aliquid enunciat, dumtaxat praesens, an etiam praeteritum, aut futurum esse queat, atque utrum omnis modus temporis, an indicativus tantum sit oporteat.

Quod ad primam quaestionem pertinet, non solum logici, sed etiam fere omnes auctores grammaticae philosophicae concorditer tuentur *esse* esse unicum verbum primitivum, sive unicum verbum, in quod cetera verba resolvuntur [1]; licet in eius vi, muniisque definiendis non parum dissentiant. Nuper Balmesius communi huic opinioni adversatus est, ad eamque explodendam multa argumenta congessit, illudque in primis, quia non omni verbo continetur affirmatio, seu iudicium, quod verbum *esse* necessario expostulat. At examen huius sententiae in praesentia omittimus, cum fundamentum, super quo extollitur, in solutione secundae quaestionis excutiendum nobis sit.

Veritatem autem communis opinionis ex iis, quae hactenus statuimus, colligere in promptu est. Enimvero, verbum in enunciatione, uti ostendimus, significare debet aliquam proprietatem, sive essentialem, sive accidentalem, prout ad subiectum, quod nomine significatur, refertur, hoc est, prout praedicatum est. Atqui hoc munere unum verbum *esse* fungi potest; nam verbum aliquam proprietatem, prout ad subiectum refertur, nempe prout est praedicatum, non alio modo significare potest, quam quo ipsam in subiecto vel tanquam partem eius, vel tanquam accidens eius, esse significat. Ergo non

---

[1]) Vid. prae caeteris Court de Gebelin, *Op. cit.*, part. III, sect. II, c. 5, p. 208-214, ed. cit.

aliud verbum, quam *esse*, praedicatum enunciationis, prout praedicatum est, significare potest. Brevius, verbum in enunciatione illud significat, per quod unum de altero praedicatur; atqui illud, per quod unum de altero praedicatur, in eo consistit, quod uni alterum inesse, sive in uno alterum esse intelligitur; ergo *esse* est unicum verbum omnium enunciationum. Porro, quoniam verbum non semper praedicatum ad subiectum ita refert, ut unum alteri inesse, sed quandoque etiam ita ut non inesse significet, liquet verbo *esse* particulam *non*, quae negans est, adiicere oportere, quoties proprietatem subiecto non inesse per verbum significandum est. Quocirca verbum *esse* vel solum, vel cum particula negante coniunctum in omni enunciatione praedicati munere fungitur. Id Albertus M. his paucis: « ... « affirmando, et negando de esse, et non esse contin- « git enunciativam facere orationem [1] ».

Diximus *esse* esse unicum verbum primitivum, ad quod cetera reducuntur, quia saepe verbum *est* ad se trahit proprietatem, quam ad subiectum refert, ita ut cum ea unam vocem simplicem efficiat; puta *convalescit*, *currit*, aliaque permulta. Iamvero, huiusmodi verba, uti a B. Alberto M., et s. Thoma observatum fuit, in verbum *est*, et participium verbi, in quo *est* implicatur, resolvuntur, quia participium, observante Henrico Gandavensi, non secus ac verbum, actionem, vel passionem, prout a subiecto *actu* egreditur [2], significat. E. g., verbum *convalescit* resolvitur in verbum primitivum *est*, et in participium praesentis temporis verbi *convalesco*, nempe *convalescens*; idem enim valet, ac *est convalescens*. Omisso loco Alberti M., quem ante adduximus [3], s. Thomas manifeste edixit in cunctis verbis, in quibus *est* non exprimitur, significari « aliquid esse. Verbum

---

[1]) *Op. cit.*, tract. V, c. 1.

[2]) « ... verbum, et participium significant ipsum (*actum*), ut actu « egreditur ab agente »; *Op. cit.*, art. XLV, q. 3, n. 7.

[3]) P. 33.

« enim quodlibet resolvitur in hoc verbum *est*, et par-
« ticipium, nihil enim differt dicere, homo convalescens
« est, et homo convalescit, et sic de aliis [1] ».

Balmesius, contrariam opinionem, quam ipse tuitus est, exemplo comprobaturus, contendit in hac enunciatione; *utinam studeres*, verbum *esse* haud contineri, quippe quod *studium* in subiecto *tu* nec in praesentia existere, nec antea extitisse, nec fore, ut olim in eo existat, sumitur, sive, ut uno verbo idem dicamus, *studium* de subiecto *tu* non affirmatur. Ast, egregius Vir oppido falsus est, eo quod verbum modi optativi, ut mox ostendemus, non posse officio praedicati in enunciatione fungi minime advertit. Enimvero, illis verbis verbum *esse* re ipsa continetur, quia *utinam studeres* idem valet, ac *utinam esses studens*. Sed, quandoquidem nullum verbum modi optativi aliquid de subiecto asserit, aut negat, verbum *esse* in allato exemplo non significat studium esse, aut fuisse, aut esse futurum in subiecto.

Ex his haud difficulter perspicitur a veritate abhorrere Wolfii, et fere cunctorum recentium sententiam asserentem verbum *esse* non esse ullam partem enunciationis, sed tantum vinculum, quod duas partes enunciationis, scilicet subiectum, et praedicatum, coniungit, ideoque ipsum ad subiectum, et ad praedicatum, tanquam formam ad materiam, se habere [2]. Etenim *esse*, observante Alberto M., si a subiecto, et praedicato, quae enunciationis termini sunt, seiunctum intelligatur, nihil significat, quia non significat compositionem determinatam, scilicet composi-

---

[1]) *In lib. V Met.*, lect. IX.

[2]) Vid. prae caeteris Wolfium, *Log.*, part. I, sect. 3, c. 1, § 199, ed. cit., et Galluppium, *Lezz.* etc., lez. cit. p. 220. In hac sententia Waitzius quoque versatur; si quidem Aristoteli obiicit, quod non advertit ἔστι, nempe *est*, in enunciatione officio copulae dumtaxat fungi, indeque deducit « naturam verbi *esse* in coniungendo « positam, et copulando Aristotelem parum perspexisse ». Vid. *Op. cit.*, vol. I, p. 345, ed. cit.

tionem certae alicuius rei cum alia, puta *est lapis*, *est albus*, sed dumtaxat quandam compositionem indeterminatam [1]. At *esse* hoc modo consideratum rationem, seu naturam verbi non habet, quia in enunciatione *esse* denotat verbum, prout est ratio, ob quam praedicatum ad subiectum refertur, hoc est, prout significat compositionem alicuius qualitatis, quae est praedicatum absolute spectatum, cum aliquo subiecto [2]. Iamvero, *esse* consideratum, prout « est, aiente Scoto, ratio rei, inquantum est praedicabilis [3] », unum, idemque cum praedicato efficit, quippe quod, uti ante ostendimus, est *forma* praedicati. Ergo verbum *esse* non est dumtaxat vinculum, quod subiectum, et praedicatum in enunciatione connectit, sed est aliquid, quod de subiecto praedicatur. Et sane, cum dicitur, *Socrates ambulat*, totum, quod est *ambulat*, de Socrate praedicatur; hinc, quoniam *Socrates ambulat*, resolvitur hunc in modum, *Socrates est ambulans*, de Socrate non solum id, quod *ambulans* significat, sed etiam *est*, per quod *ambulans* ad Socratem refertur, sive, ut Alberti verbo utamur, *retorquetur* [4], re ipsa praedicatur. Quapropter verbum *esse* non esse formam enunciationis, uti recentes Philosophi cum Wolfio tuentur, sed esse formam praedicati pro certo habendum est.

Illud quoque ex dictis intelligitur, Comitem Tracyum vim, quam verbum *esse* in enunciatione habet, minime

---

[1]) « ...sed si hoc verbum, est, purum, et simplex dixeris, ipsum « quidem nihil est, et nihil finitum significat. Cum significet enim « infinite quadam compositione, quam sine extremis non est intel- « ligere, ut Avicenna dicit, si dicam, est, nihil penitus significat, « nisi addatur quid est vel substantiali, vel accidentali praedicato « ut dicatur, est lapis, est album, vel est rationale, vel aliquid hu- « iusmodi »; *Op. cit.*, tract. III, c. 3.

[2]) Apposite s. Bonaventura advertit verbum id, quod significat, semper significare, prout alicui *adiicitur*, sive *adiacet*. « Verbum, « inquit, semper adiective, et in adiacentia significat »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXII, dub. 4.

[3]) *In lib. I Periherm.*, *Op. sec.*, q. VI, n. 5.

[4]) *Op. cit.*, ibid., tract. III, c. 1.

assecutum fuisse, eo quod ipsum existentiam obiectivam, et realem praedicati in subiecto significare dixit, et inculcavit [1]. Etenim, quandoquidem verbum *esse* in enunciatione, ut saepe diximus, natura sua non aliud significat, nisi actum, quo intellectus praedicatum ad subiectum refert, ipsum per se logicam, et subiectivam, non realem, et obiectivam inhaerentiam praedicati in subiecto denotat. Vtrum vero, necne huic inhaerentiae subiectivae, quam verbum *esse* per se significat, realis, et obiectiva inhaerentia in terminis enunciationis, nempe in subiecto, et praedicato, respondeat, id a natura terminorum dignoscendum est. Si enim termini sunt reales, verbum *esse*, quod eos componit, realem existentiam praedicati in subiecto significat, quia subiectivae inhaerentiae, quam, prout est actus intellectus, significat, obiectiva inhaerentia in rebus respondet; sin logici sunt, verbum non aliud, nisi existentiam logicam significat, quia, cum termini logici in natura rerum non sint, inhaerentiae subiectivae, quam per se significat, realis inhaerentia in terminis non respondet [2].

Postquam vidimus unicum esse verbum, per quod in enunciatione praedicatum ad subiectum refertur, opus

---

[1]) *Grammatica*, trad., c. 3, § 3, vol. I, p. 75, et c. 6, *App.*, vol. II, p. 168, ed. cit.

[2]) Vid. Albertum M., *De Hom.*, q. LVI, a. 2. Hinc Thomas secundum Avicennam monuit non oportere, ut veritati enunciationis semper respondeat aliquod *esse*, quod in rerum natura existit, si quidem, cum veritas enunciationis in intellectu perficiatur, sufficit, ut *esse*, quod veritati euunciationis respondet, sit dumtaxat ab ipso intellectu apprehensum, nempe logicum et subiectivum. « Ad quintum, scribit, dicendum, quod secundum Avicennam « (tract. II Metaph. c.1) de eo, quod nullo modo est, non potest ali- « quid enunciari: ad minus enim oportet, quod illud, de quo ali- « quid enunciatur, sit apprehensum, et ita habet aliquod esse ad « minus in intellectu apprehendente, et ita constat, quod semper « veritati respondet aliquod esse, nec oportet, quod semper re- « spondeat sibi esse in re extra animam, cum ratio veritatis com- « pleatur in ratione animae »; *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. V, a. 1 ad 5.

nobis est investigare, quid sit, quo verbum a ceteris partibus orationis discriminatur. Huc spectat solutio secundae quaestionis, quam proposuimus. Atque in primis, ut status quaestionis probe cognoscatur, palmaris error, in quem Arnaldus incidit, ab ea propulsandus est. Hic, uti vidimus, definitionem aristotelicam verbi reiecit, quia ipsa non rem, quam verbum significat, sed modum, quo rem significat, exponit. Vnde definitio verbi, eius iudicio, obiectum, quod verbum significat, exponere debet, quin rationem habeat modi, quo illud significat. At manifestum est doctum, acutumque Philosophum e Portu Regio ex eo deceptum fuisse, quod modum, quo verbum, perinde ac omnem aliam partem orationis, logicus considerat, a modo, quo de ipso grammaticus tractat, satis non distinxit. Nam, logicus, cum voces expendat non prout res, sed prout conceptus rerum significant, ipsas definire debet non ex ea parte, quatenus significant res, sed ex ea parte, quatenus significant modum, quo intellectus res ab ipsis significari intelligit. Ex quo perspicitur necesse esse, ut logicus partes orationis potius ex diversitate modorum, quibus res significant, quam ex diversitate rerum, quas significant, inter se distinguat. Certe, si cui non aristotelica, sed arnaldiana ratio partes orationis definiendi probaretur, is diversas partes orationis ab se discriminare non posset: sunt enim plures partes orationis, quae idem significant. E. g. tempus, ut dictum est, non solum a verbis, sed ab adverbiis, puta *heri*, *hodie*, *cras*, et a nominibus, uti *annus*, *mensis*, *dies*, et cetera id genus, significatur: itemque actionem, quemadmodum mox videbimus, nedum verba, uti *curro*, sed etiam nomina, puta *cursus*, atque adverbia, ut *velociter*, *valde*, aliaque multa significant. Quamobrem id, quo verbum a ceteris partibus orationis distinguitur, nosse volentes, non quid verbum significet, sed quo modo aliquid significet, perspiciamus oportet.

Cum hic sit quaestionis status, una Aristotelis definitio, quam omnes Scholastici, et nuperrime Balmesius

propugnarunt, eius solutioni satisfacere nobis videtur: ceterae enim, ni fallimur, diversum obiectum, quod earum auctores verbo assignant, non vero modum, quo verbum obiectum suum significat, spectant. Nihilominus, antequam ad definitionem aristotelicam declarandam accedamus, e re est ceteras examini subiicere, ut quantum a germana natura verbi exhibenda distent, apertum fiat. Iamvero, harum, uti ex dictis patescit, duae praecipuae sunt, quarum una in affirmatione, altera in actione, et passione essentiam verbi consistere tuetur; nam definitio tracyana, ut videbimus, ad primam facile revocari potest.

A priori ordiamur, quam, ut dictum est, post Stoicos Arnaldus, et Condillachus in recenti aetate potissimum defenderunt. Vt huius absurditas patescat, advertendum in primis est conceptum affirmationis, aut negationis esse posteriorem conceptu inhaerentiae, aut non inhaerentiae, sive, ut dici etiam solet, *inexistentiae*, et *non inexistentiae*; si quidem intellectus ex eo, quod unum alteri inesse, aut non inesse intelligit, unum de altero affirmat, aut negat. Re vera, affirmatio, et negatio, uti mox videbimus, sunt duo modi, quibus unum de altero praedicatur. Atqui unum alteri inesse, aut non inesse, quemadmodum ex Alberto M. ostendimus, in causa est, cur unum de altero praedicetur. Ergo inhaerentia, aut non inhaerentia praedicati in subiecto in causa est, cur unum de altero affirmetur, aut negetur. Iam, quandoquidem notio causae est per se prior notione effectus, consequitur conceptum inhaerentiae, aut non inhaerentiae esse conceptu affirmationis, aut negationis priorem. Quod cum ita se habeat, inde fluit verbum, si ad terminos, quos componit, relatum consideretur, prius inhaerentiam, aut non inhaerentiam praedicati in subiecto, quam affirmationem, aut negationem, significare; si quidem omnis vox prius ad id, quod conceptum rei constituit, quam ad id, quod conceptum rei consequitur, significandum instituitur. Quo-

circa, si haec lis non inter alios, quam inter Arnaldum, eiusque sectatorem Condillachum, et inter Tracyum penderet, potius Tracyo, qui essentiam verbi in *inexistentia*, quam Arnaldo, et Condillacho, qui in *affirmatione* agnoscebant, adhaerendum foret.

At naturam verbi neque in affirmatione, et negatione, neque in inhaerentia, et non inhaerentia consistere indubium, nostra quidem sententia, est. « Et sane, affirmatio, ut sanctus Damascenus post Stagiritam [1] scribit, « est quae quid alicui insit, id est quid aliquid sit, significat, ut Socrates sapiens est. Negatio autem, quae « quid alicui non insit, id est quid aliquid non sit ostendit, ut hic non est sapiens [2] ». Atqui aliquid alicui inesse, aut non inesse intelligi non potest, nisi et id, quod alicui inest, nempe *verbum*, et id, cui aliquid inest, nempe *nomen* intelligantur. Ergo affirmatio, et negatio non ex solo verbo, sed ex verbo, et nomine efficiuntur. Idem de inhaerentia, et non inhaerentia dicito. Nam, quoniam conceptus iuhaerentiae, et non inhaerentiae, ut modo ostendimus, conceptuum affirmationis, et negationis principium, et fundamentum sunt, inde conficitur, si affirmatio, et negatio ex solo verbo constitui nequeunt, ne inhaerentiam quidem, et non inhaerentiam ab eo tantum posse constitui. Haec argumentatio, ni fallimur, paucis hisce Alberti M. verbis continetur: « . . . verbum per se sumptum neque est signum « esse rei, neque signum non esse. Et esse quidem per « affirmationem, non esse quidem per negationem. Ad « hoc autem quod significetur ut esse, oportet quod « componatur cum re, cuius esse secundum aliquem ac« tum, vel passionem significat [3] ». Idem ex eo com-

---

[1]) *Op. cit.*, c. 5, p. 125, ed. Waitz.

[2]) *Dialect.*, c. LXIII. Eum s. Thomas secutus est, cum scribit: « Affirmatio vera significat esse de eo, quod est, et negatio signifi« cat non esse de eo, quod non est, et hoc compositionem signifi« cat, quam intellectus componens, et dividens adinvenit »; *In lib. II Sent.*, Dist. XXXIV, q. I, a. 1 *sol.* —[3]) *Op. cit.*, tract. III, c. 3.

probari potest, quod s. Thomas post eumdem Albertum observavit, scilicet compositionem, quam verbum *est* in enunciatione significat, non posse intelligi sine partibus, ex quibus efficitur, quippe quod, cum illa compositio aliquid alicui inesse, aut non inesse, sive, ut ipse ait, *veritatem* et *falsitatem* rei secum ferat, sine eo, quod alicui inest, et sine eo, cui aliquid inest, intelligi nequit [1].

Ex his illud quoque intelligere potes, Tracyum, cum notionem verbi rursus exponens, verbum non aliud, quam τὸ *esse*, sive, ut ipse explicat, *existere* significare dixit, et sibi ipsi contradixisse, et notionem verbi felicius non explicasse. Certe, ipse in primis sibi contradixit, quia alius est conceptus τοῦ *esse*, nempe *existentiae*, alius vero conceptus τοῦ *inesse*, nempe *inexistentiae*. Re vera, *existentia actum essendi* significat communem omni enti tum substantiali, tum accidentali, quia tam substantia, quam accidens *existere* dicuntur, cum *actu* sunt; *inexistentia* vero significat *actum essendi* proprium accidentis, quia substantiae, ut alibi diximus, convenit esse *actu* per se, accidenti autem esse *actu* in substantia. Atqui aliud est concipere τὸ *esse*, sive *existere*, prout convenit substantiae, et accidenti, aliud vero, prout accidenti dumtaxat convenit, quippe quod priori modo sine ulla determinatione, posteriori autem cum determinatione propria accidentis concipitur [2]. Ergo Tracyus sibi contradixit, eo quod verbum modo *inexistere*, modo *esse*, seu *existere* significare docuit. Praeterea, ne veram quidem notionem verbi tradidit. Etenim *esse*, quod coniunctum cum voce, quae aliquam proprie-

---

[1]) « Compositio, in qua consistit veritas, et falsitas, non potest « intelligi, nisi secundum quod innectit extrema compositionis ». Et paulo post: « Per se illa compositio, quam significat verbum « *est*, non potest intelligi sine componentibus » (*In lib. I Periherm.*, lect. V). Albertus vero inquit: « . . . compositio est medium con- « iungens composita: non coniungit autem nisi per rationem com- « positorum: et sic compositionis ratio sumitur a compositis »; *Op. cit.*, ibid. — [2]) Cf p. 468 vol. I.

tatem significat, enunciationis praedicatum efficit, non significat *actum essendi* sive *actualitatem entis*, sed compositionem alicuius proprietatis cum subiecto; si quidem ipsum non significat subiectum enunciationis esse reapse in natura rerum cum proprietate, quam cum eo coniungit, sed significat actum, quo intellectus aliquam proprietatem alicui subiecto re ipsa convenire intelligit, sive hoc subiectum in rerum natura, sive in intellectu dumtaxat sit. E. g. in hac enunciatione: *quadratum est quadrilaterum*, verbum *est* non denotat esse *actu* in natura quadratum, quod quatuor latera habet, sed omni quadrato quatuor latera convenire; ita ut, si quod quadratum in natura sit, ipsum quatuor latera habere debeat. Id sane nos docuit s. Thomas, cum, uti alibi vidimus [1], dixit, et inculcavit *esse*, quod copulae officio in enunciatione fungitur, aliter accipiendum esse, ac cum ad significandam essentiam, aut existentiam rei adhibetur, quia ipsum in enunciatione non aliud, nisi compositionem praedicati cum subiecto, hoc est actum intellectus praedicatum cum subiecto componentis significat. Hinc sapienter Albertus M. animadvertit verbum *est*, quod in omni verbo intelligitur, per se nihil significare, sed tum solum aliquid significare, et verbum proprie dici, cum aliquod praedicatum essentiale, aut accidentale ei adiicitur, puta *est lapis* aut *est album* [2].

Nec quemquam moveat, quod esse, cum solum in enunciatione adhibetur, actualem existentiam subiecti

---

[1]) Cf p. 63.

[2]) « Si enim, ait, aliquod verbum per se aliquid significet de « intentione verbi, tunc maxime videtur, quod id verbum per se « sumptum significet quod concipitur in omni verbo, et hoc est « hoc verbum, est: sed, si hoc verbum, est, purum et simplex di- « xeris, ipsum quidem nihil est, et nihil finitum significat. Cum « enim significet infinite quadam compositione, quam sine extre- « mis non est intelligere, ut Avicen. dicit, si dicam est, nihil peni- « tus significat, nisi addatur, quid est vel substantiali vel acciden- « tali, praedicato, ut dicatur, est lapis, est album, vel est rationa- « le, vel aliquid huiusmodi »; *Op. cit.*, ibid. Cf s. Thomam, *In lib. I Per iherm.*, lect. V.

significat; puta *Socrates est*. Namque *est*, quoties sine ullo additamento in enunciatione adhibetur, non solum compositionem, seu actionem intellectus *actualitatem* cum subiecto componentis, sed etiam *actualitatem*, quae per actionem intellectus cum subiecto componitur, hoc est, ut s. Bonaventura ait [1], totum praedicatum significat, quippe quod ipsum cum subiecto τὸ *esse actu*, seu *actualitatem* entis coniungit. Puta, ut exemplo, quod apud Scotum legitur, utamur, « dicendo, *Socra-* « *tes est*, significatur actualitas entis in Socrate [2] », hoc est Socratem esse *actu*, sive quod idem valet, esse individuum, quod in rerum natura re ipsa est. Id autem ex eo fit, quod *est* in huiusmodi enunciationibus cum subiecto reali coniungitur: quapropter ipsum, non prout compositionem denotat, sed prout ad subiectum reale refertur, actualem existentiam significat. Hanc doctrinam, quam s. Thomas saepe inculcavit, Sylvester a Ferraria, exponens, praeclare inquit: « ... cum in omni « propositione, ly *est*, significet compositionem propositionis, eo quod sit copula quaedam et coniunctio praedicati cum subiecto, aliquando in propositione, praeter « compositionem propositionis, significat etiam actualem « existentiam, aliquando vero significat tantum veritatem propositionis, sive compositionem, quam format intellectus de re ... sicut cum dicimus hominem esse animal ... Est enim non significat actuem existentiam, etiam in propositione de secundo « adiacente, nisi attribuatur enti reali, sed compositionem propositionis significat [3] ».

---

[1]) « Dicendum, quod hoc verbum *est*, sicut vult Philosophus, du- « pliciter potest praedicari; aliquando praedicatur ut compositio « media inter duo extrema, et sic dicitur tertium adiacens, ut cum « dicitur, homo est albus. Aliquando vero sic praedicatur, ut res, « importata per ipsum, sit attributum, sive alterum extremorum»; *In lib. II Sent.*, Dist. XXXV, a. 11, q. 3 *ad arg.*

[2]) *In duos libros Periherm., Op. sec.*, q. VI, n. 4.

[3]) *In lib. I Cont. Gent.*, c. 12. Vt postrema verba huius loci in-

Atque de prima sententia satis. Antequam, ad alterius examen accedamus, Balmesius reprehendendus est, eo quod affirmationem non ex solo verbo, sed etiam ex pluribus nominibus coniunctis effici posse pugnaciter contendit. Virum, ceteroquin acutum, in hunc errorem incidisse incredibile videtur. Enimvero, affirmatio, eo concedente [1], non aliter intelligi potest, nisi tanquam actio intellectus, qua unum cum altero com-

---

telligantur, sciendum est verbum in enunciatione vel esse *adiectivum*, puta *valet*, *ambulat*, vel esse substantivum *est*, et, cum est substantivum, nomini *adiici*, συγκεῖσθαι, vel *secundum*, δεύτερον, vel *tertium*, τρίτον. Hinc Scholastici, secundum Aristotelem (*De interpr.*, c. 10, vol. I, p. 133, ed. cit.), docuerunt enunciationem, in qua verbum *est* invenitur, esse vel *de secundo*, vel *de tertio adiacente*. Enunciationem *de secundo adiacente* vocarunt illam, in qua *est* totum praedicatum efficit, e. g., *homo est*, et *homo non est*, et *de tertio adiacente* illam, in qua *est* denotat solam compositionem, ita ut, praeter illud, sint in enunciatione alia duo, quorum unum significet subiectum, alterum aliquam proprietatem, vel accidens, puta *homo est iustus*, *homo non est iustus*. Iam, liquet priorem enunciationem dictam fuisse *de secundo adiacente*, quia ex duabus partibus, quae illam efficiunt, verbum *est*, nomini subiectum significanti, veluti *secundum* primo, *adiici* intelligitur, et posteriorem *de tertio adiacente*, quia, cum componentia, tanquam priora compositione, intelligantur, verbum *est*, quod compositionem significat veluti *tertium adiici* intelligitur duobus nominibus, seu dictionibus, quae *componentia* sunt. Audi Albertum M., qui, postquam hanc divisionem enunciationis innuit (*Op. cit.*, lib. II, tract. I, c. 2), subdit: « Attende autem, quod hoc verbum, est, tertium adia-« cens dicitur in propositione, in qua hoc verbum, est, non est « praedicatum, id est, res praedicata: sed est tantum nota compo-« sitionis praedicati cum subiecto, ut cum dicitur, homo est albus. « Et tunc dicitur tertium adiacens non ordine, sed numero: ordine « enim secundum est adiacens. Sed quia coniungibilia sunt ante « coniunctionem eorum, et componibilia ante compositionem, « cum compositionem non sit intelligere sine compositis, hoc modo « loquendo hoc verbum, est, . . . etiam ordine est tertium adia-« cens » (*ibid.*, c. 2). Si haec Waitzius ex Scholasticis didicisset, caput decimum *De interpr.* perverse, et, si dicere fas est, pueriliter non esset interpretatus, nec Aristotelem parum sibi cohaerentem exhibuisset. Vid. *Op. cit.* vol. I, p. 345, et 346.

[1]) *Op. cit.*, ibid., sect. 2, § 119, p. 235, ed. cit.

ponitur, sive, ut Scholae aiunt, de altero praedicatur. Atqui ad significandum unum cum altero componi, seu de altero praedicari satis non est duas voces, quae unum, et alterum significant, iuxta se ponere, sed opus est duabus vocibus, quarum una simpliciter significet illud, de quo aliquid praedicatur, alia autem illud, quod de aliquo praedicatur, non simpliciter significet, sed prout ad illud, de quo praedicatur, refertur. Iam, si prima vox est nomen, secunda verbum sit oportet, quia nomen, uti ostendimus, rem simpliciter significat, verbum vero significat rem, prout ad aliud, tanquam ad subiectum, refertur. Ergo affirmatio ex pluribus nominibus, et sine verbo existere nequit. Hinc scite Albertus M., post Aristotelem [1], inquit: « Praeter verbum autem nul« la potest esse affirmativa enunciatio, vel negativa [2] ». Quem secutus Aquinas subdit: « In omni praedicatione « oportet esse verbum, eo quod verbum importat compo« sitionem qua praedicatum componitur subiecto [3] »; atque alibi: « omnis praedicatio fit per verbum ratione com« positionis importatae, sive praedicetur aliquid essen« tiale, sive accidentale [4] ».

Balmesius fassus est qualibet affirmatione convenientiam alicuius praedicati cum subiecto, sive iudicium contineri, sed ad quamlibet convenientiam alicuius praedicati cum subiecto, seu ad quodlibet iudicium significandum verbum expostulari praefracte negavit, quia pro certo habuit esse plures alias locutiones, quae affirmationem continent, quin ullum verbum in illis inveniatur. Huiusmodi, e. g., esse dixit illas locutiones, in quibus nomini substantivo, quod subiectum significat, additur nomen adiectivum, quod aliquem modum subiecti denotat, puta *virtus amabilis*; itemque illas, in qui-

---

[1]) . . . ἄνευ δὲ ῥήματος οὐδεμία καταφάσις οὐδὲ ἀποφάσις; *De interpr.* c. 10, p. 133, ed. Waitz.

[2]) *Op. cit.*, lib. II, tract. I, c. 1.

[3]) *Op. cit.*, ibid. — [4]) *Op. cit.*, lect. V.

bus cum nomine substantivo, praeter illud, quod de eo potissimum affirmatur, aliquod adiectivum coniungitur, puta *Deus omnipotens mundum admirandum creavit.* Quocirca non unum, sed plura iudicia, eius sententia, uti diximus [1], sine ullo verbo dari possunt.

At, cl. Viri pace, portento simile est convenientiam praedicati cum subiecto, quae iudicio continetur, unquam posse significari sine verbo. Etenim, uti ex dictis patescit, ad convenientiam alicuius proprietatis cum subiecto significandam satis non est significare subiectum, et proprietatem, sed necesse quoque est, ut convenientia proprietatis cum subiecto, sive, quod idem valet, proprietas, tanquam praedicatum subiecti, significetur. Atqui proprietas, prout est praedicatum, nempe prout ad subiectum refertur, significari non potest per nomen, quod ipsam proprietatem in se spectatam significat; si quidem aliud est considerare aliquam proprietatem, prout in se est, aliud vero considerare ipsam, prout ad subiectum refertur, sive prout est praedicatum. Ergo nullum iudicium significari potest per duo nomina, quorum unum subiectum, alterum vero praedicatum denotat, sed omne iudicium significetur oportet per nomen, quod subiectum, et per verbum, quod convenientiam proprietatis cum subiecto, hoc est proprietatem, prout ad subiectum refertur, significat, sive verbum per *esse*, et per nomen, quod grammatici *adiectivum* vocant, sive per unicam vocem, quae utrumque complectitur, significetur. Quamobrem pro certo habendum est cum Alberto M., « quod ex pluribus nominibus tantum, vel « ex verbis pluribus tantum non potest esse oratio e- « nunciativa: sed necesse est orationem enunciativam « esse ex nomine, et verbo [2] ».

Nec iuvat Balmesius asserere, quod, cum quispiam ait, e. g., *Virtus amabilis*, iudicium profert, quia convenientiam, quam inter *esse amabilem*, et *virtutem* de-

[1]) P. 58. — [2]) *Op. cit.*, tract. IV, c. 2.

prehendit, illis duobus nominibus significatam vult. Namque aliud est considerare, quid loquens per voces, quas profert, significatum velit; aliud vero, utrum per voces, quas profert, id, quod significare sibi proposuit, re vera significet. Logico, quippe qui notionem verbi nosse studet, non tam primum, ut s. Thomas monuit [1], quam secundum considerandum est; si quidem evenire potest, et non raro reapse evenit, ut homines vel ignorantia, vel defectu attentionis conceptus, quos cum aliis communicare volunt, perperam significent. Ita, si quis ad significandam convenientiam, quam inter *esse amabilem*, et *virtutem* deprehendit, his duobus nominibus, *Virtus amabilis*, utatur, certe significat id, quod est *virtus*, et id, quod est *amabilis*, sed convenientiam inter utrumque non significat, quia neutra vox actionem intellectus unum cum altero coniungentis, quae, ipso Balmesio docente, iudicium constituit, significat.

Idem auctor, ut insitam esse homini propensionem ad iudicia sine verbis proferenda ostenderet, exemplum attulit eorum, qui linguam sibi parum notam adhibent; hi enim iudicia significare solent vel solis nominibus, puta *Hispania*, *pulcra regio*, vel nomine, et verbo infiniti temporis, quod quamdam cum nomine adfinitatem habet, puta *me venire in Hispaniam* [2]. At nemo non mirabitur Balmesium ad modum, quo iudicium significari potest, explicandum exempla ab illis capere, qui linguam fere sibi ignotam loquuntur. Nam, cum hi vel voces, vel accidentia vocum, quibus conceptus in illa lingua significantur, ignorent, in iudiciis proferendis plerumque aut verbum omnino omittunt, quia usus verborum in qualibet lingua difficilior, quam nominum est, aut utuntur tempore infinito verbi, quia tempus infinitum, quippe quod indeterminatam notionem verbi significat, varietates omnium modorum, et temporum ver-

[1] « In proprietatibus locutionum non tantum attendenda est res « significata, sed etiam modus significandi »; I, q. XXXIX, a. 4 c.

[2] *Op. cit.*, sez. 3, § 133, p. 239 ed. cit.

bi quodammodo exprimere potest. Sed de doctrina satis; exempla, quae hispanus Philosophus ad illam comprobandam attulit, expendamus necesse est. Hac in re vestigiis Alberti M., et s. Thomae potissimum insistemus, quippe qui exempla ab eo allatis similia luculenter explicuerunt.

Et primo, illae locutiones, in quibus nomini substantivo unum adiectivum additur, unum reipsa significant, idque vel *per se*, vel *per accidens*, prout adiectivum significat vel aliquid, quod ad essentiam alicuius rei cum nomine substantivo efficiendam concurrit, puta *animal rationale*, vel aliquid, quod est eius accidens, puta *Socrates albus*. Cuius rei ratio est, quod, cum utrumque adiectivum ad notionem alicuius rei vel constituendam, vel quodammodo perficiendam concurrat, unum cum ipsa re efficiunt [1]. Cum vero plura adiectiva nomini substantivo adduntur, ea, si omnia essentialia sunt, unum quoque cum subiectivo significant, quia ultimo eorum notio rei perficitur. E. g., haec nomina *animal sentiens, et intellectuale*, unum significant, quippe quod *intellectuale* notionem animalis, quod homo est, perficit. Sin accidentalia sunt, nova distinctione utendum est. Nam, si ipsa ad se ordinem habent, unum etiam, licet aliter, ac essentialia, significant, quia, cum accidentia ab eis significata ad eamdem perfectionem in re efficiendam concurrant, unam, eamdemque perfectionem significant, puta *Socrates albus coloratus*: sin ordinem ad se invicem non habent, unum non efficiunt, quia, cum unum horum alteri non subiiciatur, diversas perfectiones in re significant; puta *Socrates albus, et musicus*.

Si haec omnia, quae praesertim ab Alberto M. didicimus, prae oculis habeantur, inde patescet, exceptis adiectivis, quae et accidentalia sunt, et ordinem ad se

[1]) Apposite s. Thomas: « Significare substantiam cum qualitate « est significare suppositum cum natura, vel forma determinata, « in qua subsistit »; I, q. XIII, a. 1 ad 3.

invicem non habent, reliqua omnia cum substantivo, cui adduntur, unum significare. Iamvero, ex substantivo, et adiectivis, quae unum cum eo significant, nullam enunciationem confici posse luce meridiana clarius est. Nam, quandoquidem in omni enunciatione unum de altero praedicatur, in ea duo diversa esse, vel saltem intelligere oportet. E. g. nec *animal rationale*, nec *homo albus*, nec *homo albus coloratus* enunciationem efficiunt, quia, cum et illud, et istud, et hoc non significent, nisi unum, in nullo eorum aliquid de aliquo praedicatur. Ad id luculentius declarandum Albertus M. sapienter observavit, si qua oratio sine verbo enunciationem efficeret, illam procul dubio fore definitionem, sive, ut ait, *orationem definitivam*, quia haec *esse*, quod est essentia rei, declarat. At ne definitio quidem enunciationem efficit. Etenim nomina, ex quibus ipsa componitur, unum significant, quia significant unam notionem rei definitae, quae per ultimam differentiam ultimo nomine significatam perficitur. Ita, si quis dicat: *animal vivens et rationale*, nihil enunciat, sed dumtaxat notionem hominis significat, quae per nomen *rationale* nominibus *vivens*, et *sentiens* additum perficitur. Vt vero definitio in enunciationem evadat, verbum *est* ei adiungere oportet; puta, *homo est vivens, sentiens, et rationale*, quia per verbum *est* de homine esse *vivens, sentiens* et *rationale* enunciatur [1].

---

[1]) Audiatur Albertus M.: «Quod autem sine verbo per sola nomina non fiat enuntiatio, probatur a maiori. Si enim aliqua oratio sine verbo faceret enuntiationem, hoc magis faceret oratio diffinitiva: quia illa dicit esse. Oratio autem diffinitiva enuntiationem, non facit. Ergo nec aliqua aliarum. Cuius exemplum est: quia rationi hominis, quae est animal gressibile bipes, si non addatur est, vel fuit, vel aliquod verbum, nondum faciet enuntiationem: cum enim sic dicitur, animal gressibile bipes, totum illud est unum quoddam, et non multa: quia unitate ultimae differentiae totum unum est. Et quia sic unum est, et non multa, ideo non potest dicere unum de uno: et hoc est de substantia enuntiationis, quod aliquid de alio dicatur»; *Op. cit.*, tract. IV, c. 2. Cf s. Thom., *In lib. I Periherm.* lect. VIII.

Pronum vero est ex definitione enunciationem efficere, quippe quod definitio, monente s. Thoma, si non actu, certe *virtute* enunciationem continet: « Licet definitio in « se non sit propositio in actu, est tamen in virtute, « quia, cognita definitione, apparet definitionem de sub- « iecto vere praedicari [1] ».

Illud tantum pervidendum est, num plura adiectiva accidentalia, quae ordinem ad se invicem non habent, unico substantivo addita, plures enunciationes efficiant. Iam, certum quoque est huiusmodi adiectiva, etsi unum cum substantivo non significent, tamen ne ullam quidem enunciationem cum substantivo efficere posse. Enimvero, quoties plura huiusmodi adiectiva nomini substantivo adduntur, tot iudicia, secundum Balmesii doctrinam, confici deberent, quot sunt adiectiva; si quidem, cum ipsa ordinem inter se non habeant, singula per se ad nomen substantivum referuntur. Hac in re consentientem habemus Balmesium, qui non aliam ob causam longam iudiciorum seriem sine iudicio existere posse docuit. At hoc absurdum est. Si enim ex coniunctione unius adiectivi accidentalis cum substantivo enunciatio fieri nequit, consequens est ne posse quidem fieri plures enunciationes ex pluribus adiectivis accidentalibus cum eodem substantivo coniunctis, ad quod non unum per aliud, sed singula per se referuntur. Ita, si, *Socrates albus*, non est, ut diximus, enunciatio. *Homo albus et musicus*, duae enunciationes esse non possunt, quia *musicus*, non secus ac *albus*, per se ad hominem pertinet, et ambo hominem per diversas proprietates significant.

Ex his facile intelligere licet, quomodo explicandae sint locutiones secundo loco a Balmesio allatae, in quibus subiecto, praeter verbum, quod de ipso aliquid potissimum affirmat, unum, vel plura adiectiva adiunguntur. Re vera, si unum vel plura adiectiva eiusmodi sunt, ut unum cum subiecto significent, ipsa cum sub-

---

[1]) *I Post.*, lect. V.

iecto , et verbo unam enunciationem efficiunt , quia ex uno subiecto , et uno verbo nonnisi unam enunciationem existere posse inter omnes convenit. Ita , *vivens* , *sentiens* , et *rationale currit* , est una enunciatio , quia *sentiens*, et *rationale* cum *vivente* unam notionem hominis constituunt; item una enunciatio est, *Socrates albus currit*, quia cum albedo sit una inter proprietates , per quas Socrates ab aliis individuis distinguitur, notionem Socratis determinat; una denique est haec alia enunciatio, *Socrates albus coloratus currit*, quia, cum duorum accidentium , quae per voces *albus* , et *coloratus* significantur , unum ad alterum referantur , notionem Socratis eodem modo significant , ob idque unum cum Socrate efficiunt. Sin adiectiva sunt , quae cum subiecto unum non significant, cuiusmodi sunt adiectiva accidentalia, quae inter se ordinem non habent, tot inde enunciationes , praeter principalem enunciationem , quae ex subiecto, et verbo fit, existunt, quot sunt adiectiva [1]. At quaelibet illarum enunciationum non componitur ex nomine substantivo, et ex unoquoque adiectivo, sed ex nomine substantivo , et ex unoquoque adiectivo , quae unicum subiectum constituunt, et ex verbo, quod unum, idemque in singulis est. Cuius rei ratio in eo posita est, quod, quoties subiecto enunciationis , quae princeps est in oratione, plura adiectiva adduntur, quorum unum ad aliud ordinem non habet, subiectum multiplex evadit. At, ubi plura sunt subiecta, et verbum est unum, ibi plu-

---

[1]) « Significatione , idem Albertus ait, et non voce una est « haec (*enunciatio*), animale rationale mortale est homo: haec enim « est una unitate significationis, quamvis non unitate vocis, eo quod « omnia diffinientia uniuntur unitate ultimae differentiae, quae « realis et naturalis, et essentialis est unitas ». Et paulo post:«...vi- « detur, quod haec non sit una, Sortes albus currit: quia Sortes, et « album non sunt simpliciter unum, sed aggregatum. Ad quod di- « cendum quod non est unum primo, sed per accidens, sicut per « accidens unum est unum »; *ibid.* Consulere quoque iuvabit s. Thomam, *Op. cit.*, lect. cit.

res enunciationes existunt ; si quidem , cum natura enunciationis ex natura nominis , et verbi , quae illam componunt, pendeat , mutato alterutro , enunciatio mutetur necesse est. Ergo , si subiecto enunciationis plura addantur adiectiva, quorum unum ad aliud ordinem non habet, tot enunciationes existunt, quot sunt adiectiva, quae subiecto adiiciuntur. E. g. *homo albus, et musicus currit*, duae enunciationes sunt, quia, cum *album*, et *musicum* duo significent , quorum unum ad aliud ordinem non habet, subiectum, *homo* duplex efficiunt, ita ut aliud subiectum sit *homo albus* , aliud *homo musicus* [1]. Nihil vero prohibet , quin diversarum enunciationum idem sit vel nomen, vel verbum, quippe quod eidem rei plures proprietates , vel eamdem proprietatem pluribus rebus convenire , nedum repugnet, consentaneum ordini naturae est.

Cum haec ita sint , inde luculenter patet Balmesium oppido deceptum fuisse, quod affirmationem non in solo verbo, sed etiam in nominibus prope dispositis inveniri , ideoque iudicium sine verbo confici posse blateravit. Lubet observare hunc errorem ab Aristotele manifeste explosum fuisse; hic enim docuit, etiamsi plura nomina, unum quidpiam significantia, *prope*, σύνεγγυς proferantur, non idcirco ex illis unam enunciationem effici , quia enunciatio sine verbo fieri nequit [2]. Iam , si quis causam a nobis expostulaverit , ob quam Balmesius in hunc, aliosque, quos innuimus errores, circa naturam verbi inciderit , in promptu responsio est eum varios modos , quibus rethores, poetae, aliique scriptores verbum adhibere solent, prae oculis habuisse, quin logicam , aut saltem grammaticam notionem verbi attente scrutaretur.

---

[1]) Audiamus rursus Albertum: « Si autem tunc obiicitur, quod « haec etiam est una, homo albus musicus currit. Dicendum, « quod non est verum, quia album et musicum propter hoc quod « sunt duo accidentia ordinem essentialem non habentia ad se in- « vicem, faciunt duo subiecta: et sic propositio non est una, sed « plures »; *ibid.* Cf s. Thom., *Op. cit.*, ibid.

[2]) *Op. cit.*, c. 5, p. 126, ed. cit.

Ad alteram opinionem eorum, qui essentiam verbi insignificatione actionis, et passionis consistere asseruerunt, refellendam longe paucioribus verbis opus nobis est, cum ipsius falsitatem patefacere haud difficile sit. Arnaldus, quem alii secuti sunt, illam reiecit, hac una, ut diximus, ratione permotus, quod significare actionem, et passionem nec ad solum, nec ad omne verbum spectat. Iamvero, indubium est, quemadmodum s. Thomas, aliique Scholastici ante Arnaldum docuerunt, non verbum solum actionem, et passionem significare, cum multa sint nomina, quae alterutram significant, proindeque Arnaldum iure, meritoque Logicis succensuisse, qui essentiam verbi in actione, aut passione positam esse autumabant. Nam, cum quaelibet res per essentiam suam a ceteris distinguatur, id, quod verbo commune cum nomine est, essentiam eius constituere nequit. Atqui significare actionem, et passionem commune verbo est cum multis nominibus, cuiusmodi sunt, e. g. *cursus*, *verberatio*, *deambulatio*. Ergo essentia verbi in eo posita esse nequit, quod actionem, et passionem significat. Vt assumptionis quae per se satis manifesta est, vis probe intelligatur, iuvat secundum Aquinatem animadvertere actionem, et passionem, cum abstracte considerantur, veluti quasdam res intelligi, quia actio abstracte considerata non intelligitur, prout subiectum, quod principium eius est, ipsam exerit, sed prout actum agendi repraesentat, et passio abstracte considerata non intelligitur, prout subiectum actionem, cuius terminus est, in se recipit, sed prout actum patiendi repraesentat. Atqui res, prout *actu* sunt, significare proprium nominum est. Ergo actionem, et passionem, prout abstracte considerantur, significare ad nomina spectat [1]. Iam si actionem, et passionem quodam speciali modo consideratas significa-

[1]) « . . . proprium nominis est, ut significet rem aliquam quasi « per se existentem. . . Potest autem actio significari tripliciter. « Vno modo per se in abstracto, sicut quaedam res; et sic signifi« catur per nomen, ut cum dicitur actio, passio, ambulatio, cur« sus, et similia »; *In lib. I Periherm.*, lect. V.

re nominibus convenit, essentiam verbi in eo consistere, quod actionem, et passionem significat, *absolute* dici nequit.

At vero, actionem et passionem significare, si non soli, procul dubio omni verbo convenit; quocirca Arnaldus [1] oppido falsus est, quod post Toletum [2], aliosque paucos Scholasticos putavit quaedam verba inveniri, quae nec actionem, nec passionem significant, eaque esse, quae a grammaticis latinis *neutra*, scilicet nec *activa*, nec *passiva* dicta sunt: puta *dormit*, *quiescit*, *aegrotat*. Philosophus e Portu Regio ita sensit, quia modum, quo verbum actionem, et passionem significat, a modo, quo quaedam nomina utramvis significant, omnino differre haud perspexit. Ex hoc enim, ni fallimur, factum est, ut veram naturam verbi non intelligeret, et in verbis, quae neutra a grammaticis dicuntur, nullam actionem, aut passionem deprehenderet. Qua de re opus nobis est modum exponere, quo verbum actionem, et passionem significat; hac enim expositione, et unde error Arnaldi ortum duxerit, et num definitio aristotelico-scholastica naturam verbi adamussim declaret, planum fiet.

Vt modus, quo verbum actionem, et passionem significat, intelligatur, mente recolendum est unum de alio nonnisi duabus ex causis posse enunciari, nimirum vel quia illud, de quo aliquid enunciatur, est simul subiectum, est causa eius, vel quia dumtaxat subiectum eius est. Etenim non aliud de subiecto enunciari potest, quam quod ipsi inesse intellectus intelligit. Atqui intellectus intelligit aliquid alicui subiecto inesse vel ex eo, quod subiectum illud in se efficit, vel ex eo, quod illud in se recipit. Ergo aliquid de aliquo subiecto enunciari non potest, nisi vel ex eo, quod subiectum illud non solum producit, sed etiam in se recipit, vel ex eo, quod dumtaxat illud in se recipit, hoc est, vel quia illius est simul causa, et subiectum, vel quia est dumtaxat subiectum [3]. Iam, ex hoc facile perspicis praedicatum in o-

[1]) *Op. cit.*, ibid. — [2]) *In lib. I Periherm.*, c. 3, fol. III *recto*, ed. cit.
[3]) Audi s. Bonavent., qui hanc doctrinam opportunis exemplis

mni enunciatione , tanquam effectum alicuius causae, semper intelligendum esse, atque hoc ex capite praedicata inter se ex eo tantum posse differre , quod aliorum causa ipsum subiectum , aliorum vero causa est aliquid a subiecto diversum. Ita , in hac enunciatione , *Petrus currit*, ipsummet subiectum est causa praedicati , quia, cum Petrus per principium sibi naturaliter insitum currat, ipse est et principium, et subiectum sui cursus; sed in hac altera enunciatione , *hic paries est albus*, paries est albedinis subiectum , quippe quod albedinem in eo esse significatur , sed non est causa , quia albedo in pariete ab aliqua causa exteriori , sive naturali , sive artificiosa, non vero ab ipso pariete producitur.

Ex his conficitur 1° illud, quod verbum in enunciatione significat , intelligendum esse tanquam effectum, quem vel ipsummet subiectum in se , vel aliquid extra subiectum positum in ipso producit , si quidem praedicatum enunciationis est semper aliquod verbum; 2° huius effectus, sive ab ipso subiecto , sive ab aliqua causa exteriori producatur , duplex principium intelligi oportere, unum activum , et alterum passivum. Hoc tamen discrimine , quod , si esse praedicati , seu verbi a subiecto emanat , utrumque principium est idem subiectum, quia actio, per quam effectus producitur, ab ipso emanat, et in ipsum desinit; sin in subiecto a causa extra ipsum posita producitur, haec causa exterior est principium activum , et subiectum est principium passivum, quia actio a causa extra subiectum posita emanat, et in subiectum desinit.

Cum haec ita se habeant , nemo non videt verba a nominibus, quae actionem, aut passionem significant, toto coelo differre ; propterea quod huiusmodi nomina actio-

---

declaravit: « Nigredo in corvo comparatur ad ipsum, sicut ad « subiectum, et causam; lumen in aere... comparatur solum « sicut ad subiectum, non sicut ad causam, quia, etsi ibi re- « cipiatur, aliunde tamen habet ortum »; *In lib. II Sent.*, Dist. XXVI, a. 1, q. 3 *resol.*

nem, aut passionem, tanquam rem, quae per se existit, significant [1], illa vero aliquid significant, ut idem sanctus Doctor ait, *per modum actionis et passionis* [2]. Inde patet Arnaldum, si opinionem asserentium essentiam verbi in actione, et passione consistere iure, meritoque reiecit, reprehensionem mereri, quia verbum, quidquid significat, per modum actionis, et passionis significare haud pervidit. Ex quo sane factum est, ut esse arbitraretur quaedam verba, quibus nec actio, nec passio significatur, eaque esse verba, quae neutra vocantur. At, si mente recolatur verbum non significare actionem, aut passionem, sed aliquid ad modum actionis, et passionis, id omni verbo convenire haud difficulter patebit. Ad cuius intelligentiam sciendum est divisionem verborum in *activa*, *passiva*, et *neutra* esse propriam grammaticorum, non vero logicorum. Nam, cum grammaticus, uti ex dictis patet, enunciationem expendat, non prout haec modum significat, quo intellectus iudicium conficit, sed prout modum significat, quo iudicium naturas rerum rerpraesentat, partes enunciationis denominat, non prout modum denotant, quo intellectus iudicium conficit, sed prout ad naturas rerum significandas spectant. Quamobrem grammaticus verbum vocat *activum*, cum actio, quae verbo continetur, a subiecto quidem manat, sed in alibuid a subiecto, et verbo diversum desinit, puta *Socrates Platonem docet*; *passivum* vero, cum actionis, quae verbo continetur, subiectum est terminus, principium vero est aliquid a subiecto, et verbo diversum, e. g., *Socrates a Platone diligitur*; neutrum denique, cum vel verbo nulla actio, aut passio significatur, uti *Socrates dormit*, aut *iacet*, aut *aegrotat*, vel actionis, quae verbo denotatur, subiectum est simul principium, a quo

---

[1]) Vid. s. Thomae locum cit. p. 79. Idem Aquinas ait: « ... cursus ... significat actionem non per modum actionis, sed per « modum rei per se existentis »; *In lib. I Periherm.*, lect. V.

[2]) « Est proprium verbi significare per modum actionis, et « passionis »; *Ibid.*

ipsa emanat, et terminus, in quem desinit; e. g. *Socrates ambulat*. Contra ea, quandoquidem logicus enunciationem expendit potius, prout modum significat, quo intellectus iudicium conficit, quam prout ad naturas rerum significandas spectat, divisionem verborum in *activa*, *passiva*, et *neutra* admittere non potest, sed in omni verbo quemdam modum actionis, et quemdam modum passionis admittere cogitur. Enimvero, logicus, cum enunciationem consideret, prout modum significat, quo intellectus iudicium conficit, actionem, quae verbo, seu praedicato continetur, ex ea parte tantum, quatenus ad subiectum, non vero ex ea parte etiam, quatenus ad aliud a subiecto diversum refertur, considerare debet. Iam, verbum non potest activum, aut passivum, aut neutrum dici, nisi non solum ex ea parte quatenus ad subiectum, sed etiam ex ea parte quatenus ad aliquid a subiecto diversum refertur consideretur. Etenim in activo, id, quod a subiecto diversum est, consideratur, veluti terminus, in quem actio subiecti desinit, in passivo, tanquam principium actionis, quam subiectum ab eo in se recipit, et in neutro subiectum consideratur, prout aliquid nec in aliud a se diversum agit, nec aliquid ab alio patitur. E contrario, si verbum consideretur ex ea parte tantum, quatenus ad subiectum refertur, sine aliquo modo actionis, et passionis intelligi nequit. Nam, quoniam verbum significat aliquam proprietatem, prout ad subiectum refertur, necesse est, tum ut subiectum, cum quo in enunciatione coniungitur, intelligatur, tanquam principium *passivum*, nempe tanquam principium, quod proprietatem in se recipit, tum ut esse intelligatur aliquod principium *activum*, nempe aliquod principium, ex quo proprietas in subiecto producitur, sive hoc principium, uti diximus, sit idem subiectum, sive sit aliquid a subiecto diversum.

Nec aliter intelligi a logico possunt illa etiam verba, quae neutra grammatici vocant. Grammatici enim, quip-

pe qui voces considerant, prout res significant, iure neutra vocant ea verba, quae vel nullam actionem, aut passionem significant, vel actionem significant, quae in eodem subiecto manet; nos enim re vera comperimus quandoque subiecto quidquam convenire, quin vel subiectum aliquid agat, aut patiatur, vel actio subiecti in aliud ab eo diversum transeat. At logicus ea quoque, quae subiecto sine ulla actione, et passione conveniunt, tanquam subiecto convenientia, nonnisi per modum actionis, et passionis, significare potest. Etenim, quandoquidem logicus iudicium significare debet, prout ipsum est actio intellectus, profecto ea quoque, quae subiecto sine ulla actione, et passione conveniunt, non aliter significare potest, quam prout unum alteri convenire intelligit. Iam, intellectus quemadmodum ostensum est, non aliter intelligere potest unum alteri convenire, quam quod unum alteri inesse intelligit. Aliquid autem alicui inesse intellectus intelligere non potest, nisi prout illud in hoc produci intelligit, sive ab hoc ipso, in quo producitur, emanet, sive ab alio in ipso producatur. Itaque intellectus non potest aliter intelligere unum alteri convenire, quam si unum ab altero produci intelligat. Atqui intelligere aliquid per modum actionis, et passionis non aliud significat, nisi intelligere aliquid alicui inesse, unum ab alio producitur. Ergo intellectus ea quoque, prout quae subiecto sine actione, et passione conveniunt, tanquam subiecto convenientia, non aliter, quam per modum actionis, et passionis intelligere potest [1] » Ex. gr., hoc iudicium, *Socrates dormit*, in qua verbum neutrum invenitur, intellectus ex eo efformat, quod *es-*

---

[1]) Id, ni fallimur, s. Thomas docuit his verbis: « . . . subiectum « enunciationis significatur, ut cui inhaeret aliquid, cum verbum « significet actionem per modum actionis, de cuius ratione est, « ut inhaereat »; *In lib. I Periher.*, lect. V.

se dormientem, tanquam Socrati inhaerens, intelligit illa enim enunciatio, perinde ac ceterae, in verbum *est*, et participium *dormiens* resolvitur, cum idem valeat, ac *Socrates est dormiens*. Hoc autem, *esse dormientem*, Socrati per quamdam actionem inhaerere intelligit, quia ex aliquo principio, quod in Socrate est, effici intelligit, ut Socrates dormiat. Quamobrem non solum verba, quae activa, et passiva, sed etiam ea, quae neutra a grammaticis dicuntur, logice considerata aliquid *per modum actionis*, *et passionis* significare concludendum est.

His perspectis, in promptu nobis est cognoscere num verbum, quemadmodum Aristoteles docuit, a nomine in eo vere differat, quod rem cum aliqua differentia temporis significat, sive, ut ipse ait, quod *tempus adsignificat*, τὸ προσσημαῖνον χρόνον. Ne status quaestionis perperam intelligatur, sciendum est hanc non in eo versari, utrum, necne verbum quidquid significat, cum aliqua differentia temporis significet, sed utrum significare differentiam temporis sit accidens verbi, an ad verbi essentiam spectet. Primum, ut diximus, post graecos, latinosque grammaticos Arnaldo, Condillacho, multisque eorum sectatoribus probatum est; alterum post Aristotelem, eiusque antiquos interpretes Scholastici propugnarunt, ad quos nuper Balmesius accessit. Iam, quisquis ea, quae modo ostendimus, parumper mente reputaverit, sententiam Stagiritae esse veritati consentaneam haud difficulter sibi persuadebit. Enimvero, verbum, ut modo ostensum est, a nomine differt, quia ipsum quidquid significat, non *simpliciter*, ut nomen, sed *per modum actionis et passionis*, hoc est, prout actioni, et passioni subiicitur, significat. Atqui aliquid, prout actioni, et passioni subiicitur, non aliter significare nobis licet, quam ipsum, tanquam tempori subiectum, significando. Verbum igitur a nomine differt, quia rem, secus ac nomen, tanquam tempori subiectam, significat, hoc est, quia non solum rem, sed etiam tempus, in quo res existit, significat. Assumptionem, ducibus Alberto M., et s. Thoma, de-

monstramus hunc in modum : Nos quidquam per actionem, et passionem existere non intelligimus, nisi ex eo, quod ipsum ab uno, tanquam a causa, proficisci, atque in aliud, tanquam effectum, desinere intelligimus. Atqui intelligere aliquid, veluti ab uno progrediens, et in alio inhaerens, sive sistens [1], idem est ac ipsum, tanquam motui subiectum, intelligere. Ergo nos non possumus aliquid intelligere, prout per actionem, et passionem existit, nisi ex eo, quod ipsum, veluti motui subiectum, intelligimus. Iam, quoniam mensura motus, uti alias ostendemus, est tempus, consequitur nos non posse aliquid, prout per actionem, et passionem existit, intelligere, nisi illud, tanquam tempori subiectum, intelligamus. Sed res, ut saepe innuimus, non alio modo significare possumus, quam quo ipsas intelligimus, quia voces sunt signa immediata conceptuum. Quoniam igitur verbo utimur ad significandum aliquid, quod, tanquam tempori subiectum, intelligimus, ipsum quidquid significat, tanquam alicui temporis vicissitudini subiectum, significet necesse est. En pauca verba s. Thomae, ex quibus hanc argumentationem confecimus: « Curro vero, cum sit verbum significans actionem, « consignificet tempus, quia proprium est motus tempo- « re mensurari, actiones autem nobis notae sunt in tem- « pore [2].

Id ipsum Albertus M. docuerat hoc in loco, in quo

---

[1]) Hoc pacto illud *per modum actionis* s. Thomas explicuit, cum ait: « Alio modo (*actio intelligi potest*) per modum actionis, « ut scilicet est egrediens a substantia, et inhaerens ei ut sub- « iecto » (*In lib. I Periherm.*, lect. V). Nec aliter eius coaevus Henricus Gand. locutus est, ubi discrimen innuit, quod hac in re inter verbum, et participium, et inter *nomen verbale* intercedit: « Verbum, et participium significant ipsum (*actum*), ut actu egre- « ditur ab agente, nomen autem verbale, ut solum ab ipso egre- « ditur etiam habitu »; *Op. cit.*, art. LIV, q. VI, n. 63.

[2]) *Op. cit.* ibid., cf eius verba, quae ex lect. IV adduximus p. 42, et 43.

discrimen inter verbum, et nomen, quae aliquam actionem, vel passionem significat, quoque adnotavit: « . . . « consignificare tempus . . . non est significare tempus, « vel significare rem, quae necessario est in tempore, « sed per modum, quo cum tempore, hoc est, per modum « agere, vel moveri : quia hoc nomen cursus significat « id, quod necessario est in tempore, tamen significat « illud, ut essentiam separatam a tempore, quia significat rem suam totam simul, et non distensam in tempore. Hoc autem non fit, nisi significando eam, ut « agere, vel moveri: quia sic agere in agente significatum est in fieri, et illius tempus est mensura [1] ». Verbum, ut idem B. Doctor animadvertit, tempus non significare, sed *consignificare* dicitur, quia, cum ipsum significet modum naturalem, quo verbum rem significat, significatio temporis significationem rei naturaliter concomitatur. Neminem profecto pigebit eum rursus audire: « . . . postquam (*verbum*) ad significandum rem suam determinatum est, rem suam significare cum tempore, vel « consignificare tempus habet ex necessitate : quia suum « significatum necessario significatur in aliqua differentia temporis esse: omne enim agere, et pati in aliqua « differentia temporis est, cum dicat Philosophus in 4 « Physic., quod idem est esse in tempore, et quadam « parte temporis mensurari [2] ».

Iamvero, si verbum a nomine ex eo differt, quod rem, tanquam tempori subiectam, significat, significare rem, tanquam tempori subiectam, procul dubio ad essentiam verbi pertinet, si quidem quaelibet res, ut saepe dictum est, per id, quod essentiam eius constituit, a ceteris rebus discriminatur. Hinc verbum a Scholasticis post Aristotelem iure, meritoque definitum fuit, *vox incomplexa ad significandum aliquid, tanquam varietati temporis subiectum, instituta.*

---

[1]) *Op. cit.*, tract. III, c. 2. Cf s. Thom., *Op. cit.*, lect. IV.
[2]) *Ibid.*

At, quandoquidem verbi diversa sunt tempora, et modi, inquirendum quoque nobis est, cuius modi, et cuius temporis verbum esse debet, ut officio praedicati in enunciatione fungi possit. Logici, et Scriptores grammaticae philosophicae hac de re vehementer digladiati sunt. Stoici essentiam verbi per modum eius infinitivum, ἀπαρέμφατον, potissimum significari senserunt, quippe quod modus infinitivus genericam vim verbi prae ceteris exhibet [2]. Hanc opinionem Apollonius, Dyscolus, amplexus est, pro viribusque suis propugnavit. Ipse enim putavit notionem verbi in modo infinitivo omni additamento personae, numeri, et affectionis animi exemtam inveniri, quia modus infinitivus actionem, aut passionem, verbi propriam, quae in aliis modis secundum personam, numerum, aliudque quodpiam accidens determinata significatur, simpliciter significat [2].

Huic opinioni e regione opponitur altera Tryphonis, quem Apollonius Dyscolus, ut ferunt, audivit [3]. Hic enim, quem alii Graeci, teste Macrobio [4], secuti sunt, con-

---

[1]) M. Schmidt (*De infinit.*, germ., p. 1, Ratisb. 1826), auctoritate Apollonii (*Synt.*, lib. I, c. 8), innixus, solum modum infinitum a Stoicis admissum fuisse tuitus est. Sed Rudol. Schmidt ex Diocle (apud Laert., lib. VII, segm. 58), et ex Ammonio (*In Arist.*, Περὶ Ἑρμην., *Schol.*, p. 105, a. 19, ed. Brand.) contrarium luculenter evicit; *Op. cit.*, § 10, et not. 65, p. 44 et 45. Vid. quoque Priscianum, lib. XVIII, t. II, p. 122, ed. Kr.

[2]) *Synt.*, lib. I, c. 8, et lib. III, c. 6, et 13 etc. ed. cit. Quocirca infinitum, ῥῆμα γενικόν, vel γενικώτατον, Stoicorum more, vocavit; *Op. cit.*, lib. III, c. 12, et 13. Cons. Bernhardy, *Syntax. scientif. linguae graecae*, p. 352 (germ.), Berolin. 1829.

[3]) Grammaticus Anonymus (apud Cramer, *Anecd.Oxon.*, t.III, p. 269, ed. cit.) Apollonium discipulum Tryphonis dixit; sed de hac re inter eruditos non omnino convenit. Vid. M. Schmidt, *De Tryphone alexandrino* Commentatio, p. II, Olsnae 1851, et A. de Velsen, *Tryphonis,grammatici alexandrini Fragmenta* etc., Berolini 1853.

[4]) *De differentiis, et societatibus graeci, latinique verbi*, c. 19, p. 323, ed. Biponti.

tendit tantum abesse, ut solus modus infinitivus perfectam notionem verbi significet, ut ipsum non aliud, qua *nomen verbi*, ὄνομα ῥήματος, sive, uti aiunt, *nomen verbale* sit. Argumentorum, quae attulit, potiora haec duo sunt, scilicet quod modus infinitivus notionem abstractam, proindeque indeterminatam rei, quae per verbum significatur, exhibet, et quod, instar nominum, articulum ante se quandoque habet [1]. Fuere, qui modum infinitivum esse verum, germanumque adverbium arbitrarentur, quippe quod ipsum, perinde ac adverbium, et cum aliis modis, puta *volo scribere*, et cum cunctis numeris, e. g., *volo scribere*, et *volumus scribere*, et cum cunctis personis, uti *volo scribere*, et *vis scribere* coniungitur. Hanc opinionem apud veteres satis vulgatam fuisse ex eo coniici potest, quod Apollonius ipsam pluribus confutandam curavit [2]. Omnes hi, qui modum infinitivum vel pro nomine verbali, vel pro adverbio habuerunt, perfectam notionem verbi in solo modo indicativo agnovisse videntur; si quidem ipsemet Apollonius se olim indicativum pro primo, praecipuoque modo *secundum nonnullos grammaticos* habuisse scripsit [3]. Sed hanc opinionem ante Stoicos Aristotelem propugnasse, diligenterque evolvisse certum est. Hic enim docuit verbum, quod officio praedicati in enunciatione fungitur, oportere esse 1° modi indicativi, quippe quod, cum in coniunctivo, aliisque modis orationis aliquid de aliquo non enuncietur, verbum in illis nihil de subiecto praedicat [4]; 2° temporis praesentis, quia actus mentis unum cum altero coniungentis, vel unum ab altero separantis, quem verbum significare debet, praesens est [5]. Ipse autem reliqua tempora, reliquosque modos *casus* verbi nuncupavit, quippe qui a praesente indicativi cadunt,

---

[1]) Cf Apollon., II, et Fragm. citt.
[2]) *Synt.*, lib. III, c. 13. — [3]) *Ibid.*
[4]) *De interpr.*, c. 3. — [5]) *Ibid.* c. 2.

hoc est deflectuntur [1]. Haec pronuntiata Aristotelis, post graecos, latinosque libri *de Interpr.* explanatores, B. Albertus, s. Thomas, Scotus, aliique, uti mox videbimus, accurate subtiliterque explicuerunt. Modum infinitum, sive, uti Scholastici, quos hodierni Germani sequuntur [2], aiebant, *infinitivum* [3], s. Thomas tum pro nomine, tum pro verbo accipi posse docuit; pro nomine, quia rem quamdam, nempe inhaerentiam actionis significat, puta *currere*, et pro verbo, quia actionem non significat abstractam, uti nomen, puta *cursus*, aut *ambulatio*, sed in subiecto concretam, uti *currere*, aut *ambulare* [4].

Inter recentes, ut de Bossueto [5], aliisque taceamus, Wolfius, cui fere omnes Logici adhaeserunt, sine ulla ambage docuit copulam enunciationis non aliam esse posse, nisi verbum substantivum temporis praesentis, scilicet *est*, quia nexus inter subiectum, et praedicatum, quem ipsa denotat, in omni iudicio « semper est ali- « quod praesens ». Ipse adiecit id quoque locum habere in illis iudiciis, quae circa praeteritum, et futurum versantur, puta *hic lapis fuit calidus*, aut *hic lapis erit calidus*. « Etenim in hoc casu, scribit, copula non « est verbum substantivum praeteriti, vel futuri tempo- « ris, fuit vel erit, sed copula tantum in eo latet; « ipsum vero praeteritum, vel futurum denotat statum, « in quo subiectum repraesentatur fuisse, vel demum « futurum, scilicet si dicitur: lapis fuit, vel erit cali- « dus, tum perinde est ac si diceremus, lapis, quem sci- « licet nunc cogitamus, est is, vel istiusmodi, qui fuit « calidus [6] ». Haec doctrina cum aristotelica in eo con-

---

[1]) Loc. cit.

[2]) E. g. Schmidt, *Op. cit.*, § 10, p. 44, et G. Fuisting, *De natura accusativi cum infinitivo apud Latinos*, Monasterii Guestph. 1838.

[3]) Hinc apud Scholasticos aliud est verbum *infinitivum*, de quo hic agimus, aliud vero *infinitum*, de quo inferius dicemus.

[4]) *In lib. I Periher.*, lect. V.

[5]) *Logique*, lib. II, c. 2, *Oeuvr. phil.*, p. 359, ed. cit.

[6]) *Log.*, part. 1, sect. 3, c. 1, § 199, ed. cit.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

sentit, quod verbum in enunciatione et modi indicativi, et temporis praesentis esse oportere statuit.

Plerique recentium grammaticae philosophicae scriptorum cum aristoteleis, et wolfianis in hoc consensere, quod verbum in enunciatione non aliud esse posse censerent, nisi *est*, sive hoc a praedicato seiunctum, sive cum eo unica voce coniunctum occurrat [1]. Quod vero ad infinitivum attinet, ipsi, Stoicorum, et Apollonii opinionibus neglectis, qui essentiam verbi per infinitivum maxime significari autumabant, ad Tryphonis, vel ad Scholasticorum placita accesserunt. Nonnulli enim cum Condillacho arbitrati sunt infinitivum esse « nomen substantivum, quod quamdam actionem, aut quemdam statum rei declarat [2] ». At Court de Gebelin, cum quo Sylvester de Sacy [3], aliique consenserunt, verbum infinitivum a nomine, quod actionem, vel passionem significat, discriminari contendit, quia actionem nomen sine ulla persona, et sine tempore, verbum infinitivum vero sine determinata persona, et cum tempore significat; sed, quandoquidem verbum infinitivum, si non ad determinatam, procul dubio ad genericam, et indeterminatam personam refertur, ipsum, tanquam nomen abstractum, posse considerari, proindeque cum articulo, et praepositione construi censuit [4].

Cunctas partes huius controversiae explanare volentes, principio asserimus nonnisi modi indicativi esse posse verbum, quod est enunciationis praedicatum. Id, si ea, quae hactenus diximus, parumper considerentur, adeo perspicuum est, ut demonstratione fere non egeat. Re vera, enunciatio est ea species orationis complexae, in

---

[1]) Vid. Condillac (*Op. cit.*, ll. citt.); Court de Gebelin (*Op. cit.*, sect. I, c. 5, p. 208-215, ed. cit.); Tracy (*Op. cit.*, ibid.), aliosque, quos brevitatis gratia praeterimus.

[2]) *Op. cit.*, part. 2, c. 9, p. 248, ed. cit.

[3]) *Principes de grammaire gènèrale*, p. 152, 3e ed., Paris 1815.

[4]) *Op. cit.*, lib. II, sect. 2, c. 3, p. 293-296, ed. cit.

qua unum de alio praedicatur, sive in qua verum, aut falsum est. Atqui in sola oratione complexa indicativa unum de alio praedicatur, in eaque sola verum, aut falsum significatur. Namque ipsa sola conceptum intellectus, quo unum cum alio coniungitur, vel unum ab alio separatur, sive, quod idem valet, in quo verum, et falsum inveniuntur, significat; reliquae vero orationes complexae, uti ostendimus, nonnisi ordinem, qui illum conceptum consequitur, denotant. Ergo sola oratio enunciativa, sive sola enunciatio est indicativa. Iamvero, oratio complexa ex verbo vim enunciandi sumit, quia per verbum, quemadmodum ostensum est, aliqua proprietas de subiecto enunciatur. Verbum igitur, quod est pars enunciationis, modi indicativi esse oportet. Audiamus Albertum M.: « Non tamen o-
« mnis vox literata et articulata complexa statim ve-
« rum, vel falsum significat: quia nec deprecativa, nec
« optativa, nec coniunctiva, nec infinitiva cum vero,
« vel falso significant, cum tamen sint voces comple-
« xae: sed aliquoties vox complexa significativa ad pla-
« citum semper cum vero, et falso significat, quando
« est indicativa, hoc de hoc enuntians, quae de re facit
« interpretationem perfectam [1] ». Post eum s. Thomas idem inculcavit, indeque confecit ceteros modos orationis modo enunciativo contineri: « Quia igitur istae qua-
« tuor orationis species (nempe *vocativa*, *interrogativa*,
« *imperativa*, et *optativa*) non significant ipsum conceptum
« intellectus, in quo est verum, vel falsum, sed solum
« in enunciativa, quae significat id, quod de rebus con-
« cipitur. Et inde est, quod omnes modi orationum, in
« quibus invenitur verum, vel falsum, sub enunciatione
« continentur, quam quidam dicunt indicativam [2] ».

---

[1]) *Op. cit.*, tract. II, c. 2. Et paulo inferius: « . . . non enim « omnis oratio enuntiatio est, sed illa sola inter perfectas ora- « tiones enuntiatio est, in qua indicative verum vel falsum est « significatum: hoc enim non omnibus inest perfectis orationi- « bus »; tract. IV, c. 1. — [2]) *In lib. I Periherm.*, lect. VII.

Argumentum, quod Apollonius post Stoicos attulit, nedum quidquam momenti ad eius sententiam probandam habet, ipsam omnino destruit. Etenim, cum enunciatio sit oratio, in qua unum de alio praedicatur, non modo subiectum, de quo aliquid enunciatur, sed etiam illud, quod de subiecto enunciatur, nempe verbum, certum, et determinatum sit oportet; alioquin quid subiectum sit, vel non sit, per verbum innotescere non posset. Atqui modus infinitivus verbi rem, quae per verbum significatur, sine ulla determinatione significat, quia ipsam sine ullis numeri, personae, vel cuiuspiam alicuius accidentis adiunctis, eodem Apollonio docente, significat. Ergo verbum modi infinitivi praedicatum enunciationis esse nequit. Itaque Apollonius ex eo, quod modus infinitivus rem sine adiunctis propriis verbi significat, perperam deduxit ipsum essentiam verbi perfectius, quam ceteros modos, significare, ideoque esse modum principem verbi; si quidem inde re ipsa fluit modum infinitivum esse omnium modorum infimum, cum rem minus, quam ceteri, determinatam significet. E contrario, quandoquidem modus indicativus rem, quam verbum significat, omnino determinatam exhibet, hunc esse omnium modorum principem, ceterosque modos, quemadmodum s. Thomas docuit [1], illo contineri manifestum est.

Vt id penitius perspiciatur, illud Alberti M. in memoriam revocandum nobis est, verbum, si per se, et non prout cum subiecto componitur, consideretur, esse potius nomen, quam verbum. Nam verbum, non secus ac nomen, ut modo diximus, aliquid certi, et determinati in enunciatione significare debet. Atqui verbum per se, et non prout aliquam proprietatem, vel accidens ad subiectum retorquet, consideratum, significat quidem aliquid determinati, quod est proprium nominis, nempe conceptum alicuius rei, sed non aliquid determinati, quod est proprium verbi, nempe determinatam compositionem. E. g. verbum *amat*, si ad nullum

[1] Loc. cit.

subiectum relatum, sive, ut cum B. Alberto loquamur, *reflexum* consideretur, sane aliquid, scilicet *amorem* significat, sed num in aliquo subiecto sit, minime significat; at, si ad Petrum, vel ad aliud quodcumque subiectum *reflexum* consideretur, non modo aliquid, nempe *amorem* significat, sed etiam hoc aliquid in Petro, aut in quolibet alio subiecto *esse*, aut, si cum negatione coniungitur, *non esse* significat. Ergo verbum, non prout per se sumitur, sed prout ad subiectum refertur, vere, et proprium verbum est [1]. Iamvero, quoniam verbum, prout ad subiectum refertur, sine adiunctis numeri, et personae intelligi nequit, quia eiusdem numeri, et personae, ac nomen., quo subiectum significatur, esse debet, liquet modum infinitivum, quippe qui rem sine adiunctis numeri, et personae significat, verbum proprie, et stricte sumtum dici non posse; tantum abesse, ut ceterorum modorum princeps sit.

At, si ab hac Stoicorum, et Apollonii sententia longe abhorremus, ne cum illis quidem sentimus, qui verba modi infinitivi pro adverbiis habuerunt. Etenim adverbium, ut s. Thomas post Apollonium, et Priscianum docuit, est pars orationis, quae *actum verbi determinat* [2], hoc est quae actionem, quam verbum significat,

---

[1]) Pauca ex laudato Alberto M. exscribamus: « Verbum autem « per se sumptum nondum significat verum, et falsum: non enim « significat de re si est, vel si non est per negationem. Et huius « causa est: quia verbum per se sumptum, neque est signum « esse rei, neque signum non esse .... Ad hoc autem, quod « significetur ut esse, oportet quod actu componatur cum re, « cuius esse secundum aliquem actum, vel passionem signifi- « cat: et tunc proprie est verbum: quia tunc concipit compo- « sitionem determinatam ad id, cuius est: unde secundum se « sumptum nihil habet de verbi significatione »; *Op. cit.*, tract. III, c. 3. Et paulo ante: « ... verbum secundum se « sumptum non concipit determinatam compositionem et fini- « tam, quae determinata sit per sua componentia, sive com- « posita ... Et ideo in oratione compositio, quae est in verbo, « finita est »; *Ibid.*, c. 2.

[2]) Quandoquidem verbum, eo quod praedicatum cum subiecto coniungit, ad utrumque refertur, sanctus Doctor quoque

quodam modo afficit, sive, ut aiunt, *modificat*[1]. Puta *velociter* verbo *currit* additum determinat modum actionis, nempe cursus, quam verbum *currit* significat[2]. At modus infinitivus verbi non significat aliquid, quod rem, quam verbum significat, peculiari modo determinat, sed eamdem rem cum ceteris modis, licet aliter, ac ipsi, uti mox dicemus, significat. Ita *currere*, perinde ac *curro*, et *curram*, non aliud significat, nisi actum currendi, sed hunc actum aliter, quam *curro*, et *curram*, significat.

Nemini negotium facessere debet, quod verbum modi infinitivi cum verbis aliorum modorum interdum coniungatur; illud enim cum his non coniungitur instar adverbii, sed instar nominis. Re vera, quoniam verba modi infinitivi, quemadmodum inferius dicemus, vim nominis quodammodo habent, inde fit, ut ipsa interdum in enunciatione locum subiecti sumant, puta *servire patriae iuvat*, interdum vero ab enunciatione regantur, ut in exemplo, quod Apollonius affert, *volo scribere*[3]. Certe, verba modi infinitivi neutro horum capitum, per quae dumtaxat cum verbis aliorum modorum coniungi queunt, vim adverbii habeant, quia nec id, quod subiectum enunciationis est, nec id, quod ab enunciatione pendet, actionem, aut passionem, quae verbo continetur, ullo modo immutant, sive, ut aiunt, determinant. Acce-

---

advertit adverbia in enunciatione tum subiecto, tum praedicato posse adiungi. En eius verba: « . . . adverbium . . . determinat « actum verbi: quia adverbium est adiectivum verbi; unde cum « verbum ratione compositionis coniungat praedicatum subie- « cto, et ad utrumque se habeat, congrue possunt ista adver- « bia tam ad subiectum, quam ad praedicatum adiungi »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXI, q. II, a. 1 *sol.*

[1]) Hinc s. Bonaventura, « Adverbium, scribit, est dispo- « sitio verbi »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXII, a. 1, q. 1 *ad arg.*

[2]) Vid. Apollonium, *De Adverbiis* (apud Bekk. *Anecd. grace.*, p. 259 sqq), et Priscianum (*Op. cit.*, lib. XV *initio*). De doctrina stoica adverbii, praeter Laërtium, Simplicium aliosque, quos Lersch laudavit (*Op. cit.*, p. 44, et 45), consulere licet Charisium, p. 171, 173, et 175, et Sergium, p. 1852, ed. Putsch.

[3]) *Syntax.*, lib. III, c. 13.

dit; quod, observante Apollonio, si verba modi infinitivi essent adverbia, reliquis modis omnium verborum, non secus ac adverbia, adiungi possent. At hoc est falsum; sunt enim quam plurima verba, quibus modus infinitivus alterius verbi adiungi nequit. Puta, ut exemplis, quae apud eumdem Apollonium leguntur, utamur, dici potest: *Malo scribere*, sed non quidem: *Rideo scribere.* Ergo verba modi infinitivi esse pura, putaque adverbia falsum est [1].

Ne illud quidem movere quemquam debet, quod verba modi infinitivi, perinde ac adverbia, cum cunctis numeris, et personis aliorum verborum concordare possunt. Etenim, numerus, et persona, uti Apollonius scite observavit, non pertinent ad essentiam verbi, sed sunt accidentia, quae verbo, ob relationem, quam cum subiecto habent, obveniunt [2]. Re vera, cum verbi proprium sit aliquid per modum actionis, aut passionis significare, procul dubio notione eius, prout in se est, nec numerus, nec persona continentur. At, quandoquidem in enunciatione id, quod verbum per modum actionis, aut passionis significat, in subiecto, quocum coniungitur, esse intelligitur, verbum, prout est pars enunciationis, a nomine, quod subiectum significat, numerum, et personam sumat necesse est [3]. Inde patet, quamvis verbum, prout est pars enunciationis, sine adiunctis numeri, et personae intelligi nequeat, tamen ipsum per se nullum determinatum numerum, nullamque determinatam personam requirere; sed numerum, et personam eius a nomine determinari, quod subiectum enunciationis est. Quamobrem ex eo, quod verba modi infinitivi nec ad ullum certum numerum, nec ad ullam certam personam coarctantur, ipsa esse adverbiis simil-

---

[1]) *Ibid.* — [2]) *Ibid.*

[3]) « Verbum . . . , s. Bonaventura inquit, semper trahit numerum a supposito »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXII, dub. 4; et s. Thomas: « . . . actus recipit numerum a suppositis: unde « etiam verbum significans substantiam per modum actus, dicitur de pluribus personis pluraliter »; *In lib. I Sent.*, Dist. XI, q. 1, a. 4 *sol.*

lima, immo mera adverbia concludendum non est.

Si autem scire velis, quonam ex capite verba modi infinitivi a verbis reliquorum modorum differant, et quare, tanquam nomina, adhiberi queant, discito a s. Thoma verba modi infinitivi cum verbis reliquorum modorum consentire, ex eo quod, perinde ac ista, essentiam propriam verbi habent, sed ex eo, per quod a verbis reliquorum modorum distinguuntur, quamdam similitudinem nominis prae se ferre. Enimvero, verba modi infinitivi essentiam propriam verbi habent, quia ipsa actionem significant, non prout est proprium nominis, nempe prout est quaedam res, sed prout est proprium verbi, nempe prout refertur ad subiectum, a quo emanat. At vero ex eo, per quod a verbis reliquorum modorum differunt, quamdam similitudinem nominis praeseferunt, quippe quod non significant actionem, prout a subiecto emanat, sed ipsum processum, et inhaerentiam actionis in subiecto. E. g. tam *Petrus currit*, quam *currere* non significat *cursum*, nempe *actum currendi* abstracte consideratum, uti hoc nomen *cursus*, sed actum currendi, prout refertur ad subiectum, a quo emanat; verum *currit* significat actum currendi, prout a Petro qui subiectum eius est, emanat, *currere* autem tam ipsum processum, seu actum currendi, quam eius inhaerentiam in aliquo subiecto, quippe quod, cum actus currendi maneat in ipso subiecto, quod est eius principium, *currere* et tanquam fluxus illius actus, et tanquam ipsemet actus, prout in aliquo subiecto est, intelligi potest. Quandoquidem autem tum processus actionis a subiecto, tum inhaerentia ipsius in subiecto, veluti quaedam res, intelligi possunt, et pars orationis, quae significat aliquid, prout est res quaedam, est nomen, liquet verba modi infinitivi per illud ipsum, per quod a verbis aliorum modorum differunt, cum nominibus quodammodo consentire, indeque fieri, ut in enunciatione, instar nominum, aliquando usurpari queant. En aureum locum, in quo sanctus Doctor naturam verbi infinitivi

luculenter exposuit: « . . . verba infinitivi modi, quando « in subiecto ponuntur, habent vim nominis. Vnde et « in graeco, et in vulgari locutione latina suscipiunt ad- « ditionem articulorum, sicut et nomina. Cuius ratio est, « quia proprium nominis est, ut significet rem aliquam « quasi per se existentem; proprium autem verbi est, ut « significet actionem, vel passionem. Potest autem actio « significari tripliciter. Vno modo per se in abstracto, « sicut quaedam res; et sic significatur per nomen, ut « cum dicitur actio, passio, ambulatio, cursus, et simi- « lia. Alio modo per modum actionis, ut scilicet est egre- « diens a substantia, et inhaerens ei ut subiecto; et sic « significatur per verba aliorum modorum, quae attri- « buuntur praedicatis. Sed quia etiam ipse processus, vel « inhaerentia actionis potest apprehendi ab intellectu, « et significari ut res quaedam; inde est, quod verba « infinitivi modi, quae significant ipsam inhaerentiam « actionis ad subiectum, possunt accipi ut verba ratio- « ne concretionis, et ut nomina, prout significant res « quasdam [1] ».

Postquam novimus verbum, quod pars enunciationis est, non alius modi esse posse, quam indicativi, inquirere in praesentia oportet, utrum unumquodque tempus huius modi, an aliquod dumtaxat officio praedicati in enunciatione fungi queat. Communis Philosophorum sententia post Aristotelem est solum tempus praesens modi indicativi esse praedicatum enunciationis, vel, uti recentes post Wolfium haud accurate aiunt, esse vinculum, quod praedicatum cum subiecto coniungit. Ad veritatem huius sententiae perspiciendam duo argumenta nobis suppetunt, quorum unum Albertus M., alterum autem s. Thomas innuit. Albertus M. ait: « . . . « nihil potest praedicari de re, vel etiam vere interpreta- « ri per infuisse, vel infore: sed quidquid praedicatur de « re, vel interpretatur de ea, hoc non fit, nisi per ines-

[1] *In lib. I Periherm.*, lect. V.

« se » ; et paulo post: « verba praeteriti temporis, vel « verba futuri temporis non sunt verba secundum lo- « gicum; quia non significant praesens, per quod potest « solum aliquid interpretari; quod insit, vel potest pro- « bari inesse [1] ». Ex his verbis Beati Doctoris, ni fallimur, hanc argumentationem conficere nobis licet, quae multum momenti habet. Quandoquidem logicus, ut saepe dictum est, voces considerare debet, prout conceptiones intellectus significant, inde patet verbum, quod est pars praecipua enunciationis, non alius temporis, secundum logicum, esse posse, quam illius, in quo intellectus id quod ipsum significat, intelligit. Iamvero, intellectus id, quod verbum in enunciatione significat, non alio in tempore, quam in praesenti, intelligere potest. Etenim verbum, prout est pars enunciationis, significat aliquam proprietatem, vel aliquod accidens, prout per copulam verbalem *est* [2] cum subiecto coniungitur, aut ab eo separatur. Copula autem in quolibet iudicio non alius temporis esse potest, nisi praesentis, quippe quod actus intellectus unum cum alio coniungentis, aut unum ab alio separantis, in quo ipsa consistit, in tempore praesenti semper efficitur. Et sane, intellectus, ut diximus, unum cum alio coniungere, aut unum ab alio separare non potest, nisi unum alii inesse, aut non inesse intelligat. Sed neutrum horum alio in tempore, quam in praesenti, intelligere quit; si quidem ad utrumque intelligendum opus ei est obiectum in elementa, ex quibus constat, *resolvere*, ut elementa, quae illi inesse comperit, cum illo coniungat, et elementa, quae illi non inesse cognoscit, ab illo separet. Igitur copula iudicii, quae hunc actum intellectus dividentis, et componentis denotat, nonnisi praesentis temporis esse potest. Hinc, quoniam verbum in enunciatione quae est manifestatio iudicii, significat aliquid,

---

[1]) *Op. cit.*, tract. III, c. 2.

[2]) « Verbum *est*, s. Thomas scribit,... est verbalis copula »; *In lib. V Met.*, lect. IX.

prout per copulam ad subiectum refertur, necesse est, ut verbum in enunciatione non alius temporis, quam praesentis, sit.

Non minus clarum, et firmum est argumentum ab Aquinate allatum, quod huc redit: Cum proprium sit verbi aliquid per modum actionis, aut passionis significare, tempus verbi in enunciatione non aliud esse potest, nisi illud, in quo actio, et passio proprie fiunt. Atqui tempus, in quo actio, et passio fiunt, non aliud esse quit, nisi praesens. Namque illa proprie agere, vel pati aliquid dicuntur, quae *actu*, hoc est, in tempore praesenti aliquid agunt, vel patiuntur, quia actio, et passio denotant vim agendi, et vim patiendi, prout ad *actum* reducuntur [1]; illa vero, quae in praeterito, aut futuro aliquid agunt, vel patiuntur, non dicuntur agere, vel pati aliquid *simpliciter*, sed ob aliquem respectum, nempe aut ex eo, quod aliquid egerunt, vel passa sunt, aut ex eo, quod aliquid actura, vel passura sunt. Verbum igitur, prout est pars enunciationis, nempe logice consideratum, non alius temporis, ac praesentis, esse potest. « Recte autem, sanctus Doctor subdit, ea, « quae consignificant tempus praeteritum, vel futurum, non « sunt verba proprie dicta: cum enim verbum proprie « sit, quod significat agere, vel pati, hoc est proprie « verbum, quod consignificat agere, vel pati in actu, « quod est agere, vel pati simpliciter, sed agere, vel « pati in praeterito, vel futuro est secundum quid [2] ».

Ex his iidem Doctores, secundum Aristotelem, merito deduxerunt verba praeteriti, et futuri temporis esse potius *casus* verbi, quam verba. Nam, quoniam tempus dicitur praeteritum, aut futurum, prout ad praesens refertur, nos intelligimus cum verba temporis praeteriti, tum verba temporis futuri ad verbum temporis praesentis referri, atque idcirco ab eo, perinde ac deno-

---

[1]) « Actio, s. Thomas inquit, est proprie actualitas virtutis »; I, q. LIV, a. 1 c. — [2]) *Op. cit.*, lect. V.

minativa a principali, et casus obliquos a recto, *cadere*, πεπτωκέναι. « Dicuntur autem, s. Thomas post Alber-
« tum scribit, verba praeteriti, vel futuri temporis ratio-
« nabiliter casus verbi, quod consignificant praesens tem-
« pus, quia praeteritum, vel futurum dicitur per respe-
« ctum ad praesens. Est enim praeteritum, quod fuit
« praesens, futurum autem, quod erit praesens [1] ».

Secundum hanc doctrinam Albertus M. quoque obser-vavit verba temporis praeteriti, et temporis futuri tempus praesens in se complecti. En eius eloquium: « . . . . Verba
« praeteriti temporis, et verba futuri temporis . . . si-
« gnificant duo tempora, quae praesens tempus com-
« plectuntur. Praesens abiit in praeteritum, et extendi-
« tur in futurum, et sic praesens, et futurum signifi-
« cant duo tempora, quae complectitur praesens, et
« quorum ipsum praesens continuatio est [2] ». Huius rei ratio, ni fallimur, huiusmodi est : In omni pro-positione, in qua verbum praeteriti, vel futuri tem-poris occurrit, de subiecto praedicatur aliquid ei olim convenisse, aut fore, ut conveniat. Atqui, uti, ex eo-dem Alberto diximus, unum de altero nonnisi in tem-pore praesenti praedicari potest. Ergo in qualibet pro-positione, in qua verbum temporis praeteriti, vel futu-ri occurrit, aliquod verbum temporis praesentis subin-telligatur oportet. Re sane vera, intellectus non potest intelligere aliquid in aliquo subiecto olim fuisse, aut futurum esse, nisi subiectum, quod ei praesens est, idem esse cum eo, in quo aliquid fuit, aut futurum est, intelligat. Hinc omnis propositio, in qua verbum prae-teriti, aut futuri temporis invenitur, aliquod verbum complectatur necesse est, quo identitas subiecti asseri-tur. Atqui verbum, per quod identitas alicuius subie-cti asseritur, nonnisi temporis praesentis esse potest. Ergo omnis propositio, in qua verbum praeteriti, vel

---

[1]) *Ibid.* Cf Albert. M., *Op. cit.*, tract. III, c. 2.
[2]) *Op. cit.*, ibid.

futuri temporis invenitur, verbum temporis praesentis complecti debet. Iam enunciatio proprie efficitur ex subiecto, et tempore praesenti; verbum enim praeteriti, vel futuri temporis non aliud denotat, nisi quamdam proprietatem, quae olim in subiecto fuit, aut deinceps futura erit. Puta, ut exemplum, quod deinceps Wolfius attulit, utamur, in hac propositione: *hic lapis fuit calidus*, subintelligitur haec altera: *hic est ille lapis*, adeo ut prior propositio resolvatur in istam: *hic est ille lapis, qui fuit calidus*. Idem dicito de propositione: *hic lapis erit calidus*; quippe quae resolvitur in hanc: *hic est ille lapis, qui futurus est calidus*. Ex quo vides doctrinam wolfianam de enunciationibus, in quibus verbum temporis praeteriti, vel futuri invenitur, ex pronuntiatis philosophiae scholasticae luculentius, subtiliusque, quam Wolfius praestitit, explicari.

Hic cum laudatis Doctoribus advertendum est, quamvis verbum non solum per modos, et tempora, sed etiam per numeros, et personas varietur; tamen numeros, et personas non posse *casus* verbi dici, quia numerus, et persona non variantur propter actionem, aut passionem, secundum quam proprium verbi est aliquid significare, sed propter subiectum, ad quod verbum refertur. « Cum autem, s. Thomas pergit, declinatio verbi varietur per modos, tempora, numeros, et personas, variatio, quae fit per numerum, et personam, non constituit casum, vel casus verbi, quia talis variatio non est ex parte actionis sed ex parte subiecti: sed variatio, quae est per modos, et tempora, respicit ipsam actionem: et ideo utraque constituit casus verbi [1] ».

Denique illud quoque indubium nobis videtur, quod idem Aristoteles decrevit, quemadmodum nomen infinitum non est nomen proprie acceptum, ita *verbum infinitum*, ἀόριστον ῥῆμα puta *non currit*, non esse verbum

---

[1]) *Op. cit.* ibid. Cf Alb. M., *Op. cit.* ibid.

stricte sumtum [1]. Eggerus hoc logicum pronuntiatum nuperrime reiecit, et Aristotelem in hunc errorem lapsum esse censuit, quod logicam, non vero grammaticam naturam verbi spectavit [2]. Mira sane haec obiectio est, quasi Aristoteles in libro *De interpr.* non logicum, sed grammaticum egerit! Certe, si verba infinita logice considerentur, ea, ut s. Thomas ait, « deficiunt a perfecta « ratione verbi [3] ». Nam « omne verbum, ad hanc rem « aiente Boëtio [4], finitum aliquid designat », quia singulae partes enunciationis logice consideratae, uti ante ostensum est, quidquam certum, et definitum significare debent. Atqui verba infinita, ut idem Aquinas advertit, « removent actionem, vel passionem potius, « quam aliquam determinatam actionem, vel passionem « significant [5] ». Ita in exemplo, quod adduximus, *non currit*, actum currendi, quem verbum significat, removet, quin aliam certam actionem innuat. Ergo verba infinita perfectam rationem verbi non habent.

Albertus M., et Scotus post Boëtium [6], ut huius aristotelici pronuntiati vim exponerent, simulque veritatem demonstrarent, adverterunt negationem verbo adiectam aliud significare, cum verbum secundum se sumitur, aliud vero, cum verbum pars enunciationis est. Et sane, verbum, prout pars enunciationis est, uti ex dictis patet, duo complectitur, nempe aliquam *rem*, et aliquam *compositionem* [7], si quidem ipsum significat aliquam pro-

---

[1]) *Op. cit.*, c. 3, p. 124, etc.

[2]) *Op. cit.*, c. 5, p. 143. Eggerum in logica aristotelica omnino rudem esse illud ostendit, quod verbum infinitum cum negante confundens Aristotelem omni modo loquendi negativo vim verbi denegasse scripsit; *ibid.*

[3]) *In lib. I Periherm.*, lect. V.

[4]) *In lib. Arist. De interpr.* edit. 1ae, lib. I, p. 225 ed. cit.

[5]) *Op. cit.*, ibid.

[6]) *In lib. Arist. De interpr.* edit. 2ae, lib. I, p. 402 et 403 ed. cit.

[7]) « . . verbum, Scotus scribit, aggregatur ex duobus, scilicet « ex re, et compositione, qua significatur aliquid esse, vel non « esse »; *In lib. I Periherm., Oper. sec.* q. I, n. 3.

prietatem, vel accidens, prout ad subiectum refertur, nempe prout quodam modo cum subiecto componitur. Iam, negatio, cum additur verbo, quod pars enunciationis est, non ad rem, sed ad compositionem refertur, quia, cum in enunciatione verbum ad certum, definitumque subiectum referatur, negatio rem, quam verbum continet, cum subiecto haud convenire significat. Atqui verbum, quod aliquid subiecto haud convenire significat, est verbum, quod negativum dicitur [1]. Ergo negatio quoties verbo in enunciatione posito additur, ipsum non efficit infinitum, sed negativum. At, negatio, cum adiicitur verbo, non prout est pars enunciationis, sed prout secundum se sumitur, non ad compositionem, sed ad rem verbi refertur, quia, cum verbum per se sumptum ad certum, definitumque subiectum non referatur, certa definitaque compositio in eo intelligi nequit. Quocirca ipsa non tollit compositionem verbi, hoc est, non significat, non convenire subiecto rem, quam verbum significat, sed tollit ipsam rem, quam verbum significat [2]. Iam, quoniam nos, uti ex iis, quae de natura nominis infiniti perspicitur, intelligere non possumus tolli rem, quam verbum significat, nisi aliquam aliam rem indeterminatam relinqui intelligamus, liquet negationem, verbo per se sumto additam, tollere rem certam, quam verbum significat, et relinquere rem indeterminatam, quae ad indeterminatum subiectum refertur [3]. Puta, cum dicitur, *non cur-*

---

[1]) « Et ideo in oratione, ait Albertus M., compositio, quae est « in verbo, finita est: et ideo in oratione necesse est negationem « referri ad compositionem: quia eiusdem est divisio, cuius est « compositio: et ideo negatio tunc faciet orationem negativam, « et non verbum infinitum »; *Op. cit.*, tract. III, c. 2. Et Scotus « . . . verbum infinitum in oratione positum non differt a « pure negativo »; *Op. cit.*, ibid.

[2]) « Et hoc, idem Doctor inquit, ideo est: quia verbum secun- « dum se sumptum non concipit determinatam compositionem, « et finitam, quae determinata sit per sua componentia, sive com- « posita: et ideo ad compositionem referri non potest negatio, sed « ad rem, et formam verbi »; *Ibid.* Vid. Scotum, *Op. cit.*, q. cit.

[3]) « Huius autem causa, laudatus Doctor subdit, est: quia, sicut in

rit, quemcumque alium peculiarem actum, qui ad indeterminatum subiectum refertur, praeter *actum currendi* significari intelligimus. Cum vero, ait Boëtius, « dicit *non currit*, ipsum quidem cursum videtur auferre, « sed utrum sedeat, an iaceat, an ambulet, an aliquid « aliud faciat, non relinquit [1] ». Iamvero, verbum, quod rem determinatam tollit, et indeterminatam relinquit, non aliter, ut idem Boëtius advertit, intelligi potest, nisi veluti *infinitum*, seu indeterminatum [2]. Negatio igitur, quoties verbo secundum se sumto adiicitur, verbum infinitum efficit.

Ex his perspicis illos omnino falli, qui verbum, ab Aristotele *infinitum* nuncupatum, a verbo negativo haud distingui contendunt, quia in illo, perinde ac in isto, per negationem verbo additam, id, quod verbum significat, a subiecto removetur. Ipsi enim non adverterunt verbum, cui negatio praecedit, posse considerari et prout in enunciatione, et prout extra enunciationem est, et, si primo modo consideratum, est negativum, consideratum secundo modo non posse esse, nisi infinitum.

S. Thomas vero post Ammonium [3] censuit verbum, cui negatio praecedit, tum quoque, cum pars enunciationis est, posse esse infinitum, idque evenire, quoties non *in vi duarum dictionum*, sed *in vi unius dictionis* sumitur. Etenim, si verbum, cui negatio praecedit, sumitur *in vi duarum dictionum*, nempe, prout negatio, et verbum duae dictiones sunt, ipsum procul dubio est negativum, quia negatio, cum consideratur veluti dictio distincta a verbo, non rem, quam verbum significat, sed

---

« nomine infinito privatur forma, et remanet substantia infinita, « quae nec ad ens, nec ad non ens finita est. . . : ita verbum infi- « nitum privat rem verbi, et relinquit actum infinitum ordina- « tum ad substantiam infinitam »; *ibid.*

[1]) *In lib. Arist. De interpr.* edit. 1ae, lib. I, p. 215, ed. cit.

[2]) « . . . quoniamque id, quod tollit, finitum est, quod vero ponit, « infinitum, propter hoc, verbum vocabitur infinitum »; *ibid.*

[3]) *In lib. I Periherm.*, c. 1, ed. cit.

repugnantiam eius cum subiecto denotat. At, si verbum cum negatione sumitur *in vi unius dictionis*, nempe, prout unicam dictionem cum negatione efficit, ipsum est infinitum, quia negatio, cum consideratur veluti dictio non distincta a verbo, non aliud, nisi rem, quam verbum significat, tollere potest. Hinc sanctus Doctor inquit: « Differunt tamen huiusmodi verba (*infinita*) a verbis « negativis, quia verba infinita sumuntur in vi unius « dictionis, verba autem negativa in vi duarum dictio- « num [1] ». Exemplo res clarior fit. Haec enunciatio, *Petrus non currit*, si verbum in ea accipitur *in vi duarum dictionum*, resolvitur in hanc, *Petrus non est currens*, et, si verbum accipitur *in vi unius dictionis*, resolvitur in hanc, *Petrus est non currens*. Atqui prima enunciatio est negativa, quia negatio, cum verbum *est* afficiat, praedicatum a subiecto removet, altera est *infinita*, quia negatio, cum non verbum *est*, sed participium *currens* afficiat, denotat quidquam aliud convenire subiecto praeter id, quod *currens* significat. Ergo verbum in enunciatione non modo finitum, sed etiam infinitum esse potest [2].

ARTICVLVS QVARTVS

De veritate et falsitate enunciationis

Postquam nomen, et verbum, quae enunciationi con-

---

[1]) *Op. cit.*, lect. V.

[2]) Ne quispiam fortasse existimet hanc doctrinam de verbo infinito esse omnino futilem, atque inter peripateticas quisquilias amandandam, iuvat exscribere hunc locum s. Thomae: « Dicen- « dum, quod cum dicitur, *Filius Dei non est ubique homo*, locutio « non verificatur secundum quod negatio absolute fertur ad ho- « minem, sed secundum quod fertur ad hominem cum hoc quod « est esse ubique; sed quando additur sibi per compositionem, « negatio non fertur extra terminum illum; et ideo removet hu- « manitatem absolute, et non respectu eius, quod dicitur ubique, « vel alicubi; et propter hoc haec est falsa: *Christus alicubi est « non homo*; sed haec est vera: *Non est ubique homo* »; *In lib. III Sent.*, Dist. XXII, q. I, a. 2 ad 4.

stituendae inserviunt, singillatim explicuimus, necesse est, ut ipsa, prout partes enunciationis sunt, seu, quod idem valet, ut enunciationem, quae ex ipsis constituitur, expendamus.

Atque in primis de veritate, et de falsitate enunciationis dicendum nobis est. Etenim enunciatio, ut diximus, est oratio, in qua unum de alio affirmatur, vel negatur; ipsa enim actum significat, quo intellectus aliquid cum alio coniungit, aut ab alio separat, prout unum alii inesse, aut non inesse comperit. Iamvero, accidere potest, quemadmodum Albertus M. advertit, nosque inferius ostendemus, ut intellectus aliquid cum alio coniungat, quod ipsi re vera inest, et aliquid ab alio separet, quod ipsi re vera non inest, aut ut aliquid cum alio, cui re vera non inest, coniungat, et aliquid ab alio, cui re vera inest, separet. Enunciatio, quae primum iudicium significat, dicta est *vera*, ἀληθής, quia conceptum naturae rei, ad quam refertur, consentaneum significat; atque e contrario enunciatio, quae secundum iudicium significat, *falsa*, ψευδής, vocata est, quia conceptum significat, qui a natura rei dissentit [1]. Ex quo patet veritatem, et falsitatem enunciationis ad ipsam eius essentiam pertinere, quia *inesse*, ὑπάρχειν, et *non inesse*, μὴ ὑπάρχειν, in quibus ipsae fundamentum habent, sunt principium, sive ratio affirmationis, et negationis, quae iudicium constituunt [2], proindeque enunciationem ab Aristotele illam

---

[1]) « Contingit autem enuntiare, ait Albertus, et id, quod ve-
« rum est esse, sicut enuntiatur Deum esse. Contingit autem etiam
« enuntiare id, quod verum est, non esse, ut si dicam Deum non
« esse, enuntio id quod est, non esse. Contingit etiam enunciare
« aliquando id quod non est, esse, ut si dicam chimeram esse.
« Et iterum contingit enuntiare quod non est, non esse, ut si di-
« cam chimeram non esse »; *Op. cit.*, tract. V, c. 1. Cf s. Thom. *In lib. I Periherm.*, lect. IX.

[2]) *De interpr.* c. 4, t.I, p. 125, et *Analyt. prior.* c. 1, p. 146, ed. Waitz. Lubet afferre ad hanc rem haec pauca Trendelenburgii: « Is verbi ὑπάρχειν apud Aristotelem usus, ut quod in natura rei
« inest (ὑπάρχει), id in enunciatione de re tanquam subiecto prae-

orationem merito dictam fuisse, in qua verum, aut falsum, τὸ ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι, invenitur [1]. Perspicuum autem est utramque affectionem enunciationis a logico explicandam esse, quia, cum conceptus, quem enunciatio significat, verus, aut falsus esse queat, logicus, qui enunciationem considerat, prout conceptum intellectus significat, quid ipsam veram, quidque falsam efficiat, inquirere debet.

Vt autem, quid veritatem, aut falsitatem enunciationis efficit, perspiciatur, duo prae oculis habenda sunt, quae alias ostendemus, scilicet 1° res esse obiectum intellectus, prout sunt *entia*, unde « unumquodque, aiente « s. Thoma, inquantum habet de esse, intantum est co- « gnoscibile [2] »; 2° res, ut idem Aquinas advertit, non dici veras, nisi ex eo, quod ad intellectum referuntur, ita ut veritas spectet *esse* rerum, prout ad intellectum refertur, nempe prout est *cognoscibile* [3]. Iam, quoniam res, quatenus sunt entia, ab intellectu cognoscuntur, liquet intellectum tum solum res cognoscere, cum *esse* illarum, quale re vera est cognoscit, ob idque, uti s. Damascenus post s. Augustinum docuit, intellectum cum *esse* rerum non cognoscit, quale est, res ipsas omnino

« dicetur (κατηγορεῖσθαι). Verbum enim ὑπάρχειν ita in rei natura, et « veritate detinetur, ut adeo fictis cogitandi commentis oppona- « tur » (*Elem. log.*, § 6, p. 60 et 61, ed. cit.). Hic usus verbi ὑπάρχειν, *inesse*, quem a Scholasticis ante Trendelenburgium frequenter adnotatum vidimus, Aristoteli (*Ethic. Nic.*, lib. IV, c. 13, ed. Bekk., et alibi) cum Epicureis (Sext. Emp. *Adv. Mat.*, lib. VII, sect. 205), et Stoicis (*ibid.* sect. 426) communis fuit.

[1]) *Op. cit.*, c. 4, p. 125, ed. cit. — [2]) I, q. XVI, a. 3 c.

[3]) « . . . cum verum sit in intellectu, prout conformatur rei in- « tellectae, necesse est quod ratio veri ab intellectu, ad rem in- « tellectam derivetur, ut res etiam intellecta vera dicatur, se- « cundum quod habet aliquem ordinem ad intellectum » (I, q. XVI, a. 1 c.). Quocirca idem sanctus Doctor inquit: « Hoc est « ergo, quod addit verum supra ens, scilicet conformitatem sive « adaequationem rei et intellectus, ad quam conformitatem, ut « dictum est, sequitur cognitio rei » (*Qq. dispp.*, *De Verit.*, q. I, a. 1 c.); atque alibi dixit verum addere supra ens « comparatio- « nem ad intellectum »; I, q. XVI, a. 3 c.

non cognoscere, hoc est, ignorare. « Atqui cognitionem « dico, veram illam eorum, quae sunt, notitiam. Scien- « tiae siquidem versantur circa ea, quae sunt: unde fal- « sa cognitio, utpote notitia illius, quod non est, igno- « ratio potius, quam notitia fuerit. Falsum enim nihil « est aliud, nisi id, quod non est [1] ». Praeterea, quandoquidem res, ex eo, quod ad intellectum referuntur, sunt verae, illud etiam perspicuum est, intellectum vera notitia rerum potiri, cum res, quales re ipsa sunt, cognoscit, falsa vero, cum res non cognoscit, quales re ipsa sunt. « Prima ergo, s. Thomas ait, compara- « tio entis ad intellectum est, ut ens intellectui cor- « respondeat: quae quidem correspondentia adaequatio « rei, et intellectus dicitur: et in hoc formaliter ratio « veri perspicitur [2] ». Hinc veritas in universum considerata cum eodem Aquinate, et s. Bonaventura, definiri potest *adaequatio*, sive *convenientia rei, et intellectus*, et falsitas *inaequalitas rei, et intellectus* [3]. Id ipsum, ne cunctos Doctores recitemus, Durandus adamussim explicuit, cum docuit veritatem consistere in consensu τοῦ *esse in-*

---

[1]) *Dialect.*, c. I. Breviter s. Augustinus: « Omnis, qui fallitur, « id, in quo fallitur, non intelligit. Quisquis igitur ullam rem ali- « ter, quam est, intelligat, non eam intelligit; non ergo potest quid- « quam intelligi, nisi ut est »; *Lib. LXXXIII Qq.*, q. XXXII.

[2]) *Qq. dispp.*, *De Verit.*, q. I, a. 1 c. Vnde « ratio veritatis, ut « ipse etiam ait, in duobus consistit: in esse rei, et in apprehen- « sione virtutis cognoscitivae proportionata ad esse rei »; *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. V, a. 2 *sol.*

[3]) « Veritas, s. Bonaventura ait, venit ex concordia intellectus « ad rem cognitam; haec autem concordia non est aliud, quam « adaequatio rei, et intellectus. . . falsitas venit ex discordia intel- « lectus ad cognitum »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVIII, a. II, q. 1 *ad arg.* Ex multis locis s. Thomae haec brevia seligimus: « . . . sicut « veritas consistit in adaequatione rei, et intellectus, ita falsitas « consistit in eorum inaequalitate » (*Qq. dispp.*, *De Verit.*, q. I, a. 10 c.). « Convenientiam vero entis ad intellectum exprimit hoc « nomen verum » (*ibid.*, a. 1 c.). « Falsitas autem causata ab inae- « qualitate intellectus humani, et rei non est in rebus, sed in in- « tellectu »; *Cont. Gent.*, lib. I, c. 61, n. 6.

tellecti cum τῷ *esse reali* rei, nempe τῷ *esse*, quod res in intellectu habet, cum τῷ *esse*, quod res habet extra intellectum. « Veritas, ait, est conformitas intellectus ad « rem, inquantum id, quod de re enunciative appre- « henditur, est conforme, vel potius idem cum identi- « tate rei, et sic est relatio eiusdem ad seipsum secun- « dum esse, intellectum, et esse reale [1] ».

Vt veritas, de qua hic agimus, probe cognoscatur, iuvat diversas species veritatis breviter declarare. Iam, sciendum est res ad intellectum duobus modis referri posse. Etenim ipsae ad intellectum referuntur, vel quia intellectus ipsas producit, vel quia ipsae ad cognitionem sui in intellectu gignendam concurrunt. Ita, domus ad intellectum artificis refertur, tamquam ad causam sui, quia exemplar eius, quod artifex in intellectu suo sibi efformavit, in causa est, cur ipsa existat, atque e contrario ad intellectum illam cognoscentem, tamquam causa, quae cognitionem sui in eo gignit, quia domus ex eo, quod speciem sui in organo visus figit, in causa est, cur ab intellectu cognoscatur. Manifestum vero in primis est rem per se referri ad intellectum, qui eius causa est, et per accidens ad intellectum eius, in quo cognitionem sui gignit, propterea quod res existere potest, quin cognitionem sui in nullo intellectu producat, sed existere non potest sine actione intellectus, per quam producitur. Audiatur rursus s. Thomas: « Res autem intellecta ad intellectum « aliquem potest habere ordinem vel per se, vel per « accidens. Per se quidem habet ordinem ad intellectum, « a quo dependet secundum suum esse; per accidens « autem ad intellectum, a quo cognoscibilis est: sicut « si dicamus, quod domus comparatur ad intellectum « artificis per se, per accidens autem comparatur ad « intellectum, a quo non dependet [2] ».

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. 5, fol. 73. — [2]) I, q. XVI, a. 1 c.

Praeterea , manifestum quoque est quamlibet rem se habere ad intellectum, qui ipsas producit, tanquam aliquid mensuratum ad suam mensuram, et ad intellectum, qui illas cognoscit, tanquam mensuram ad suum mensuratum: si quidem res est vera, cum exemplari , quod in intellectu artificis est , respondet , et conceptus rei , quem intellectus sibi conficit, est verus, cum naturae rei consentaneus est. Quoniam vero intellectus, qui res cognitione sua producit, est vel intellectus creatus , vel increatus , sive divinus , liquet intellectum divinum esse mensuram omnium rerum naturalium , proindeque principium , et fontem veritatis earum , quia ipse illas e nihilo producit ; res naturales esse mensuratas ab intellectu divino , atque idcirco ab eo omnem veritatem suam agnoscere , quia ab intellectu divino esse suum accipiunt ; intellectum creatum denique esse mensuratum a rebus naturalibus, et esse mensuram rerum artificiosarum, quia veritas conceptuum eius ab esse rerum naturalium , et veritas rerum artificiosarum ab eo pendet. Ex his perspicitur res naturales et mensurari ab intellectu divino, et mensuram esse intellectus humani , quia, si ipsae ex eo verae sunt , quod conceptibus intellectus divini respondent , conceptus intellectus humani veri non sunt , nisi cum naturis rerum , quas repraesentant , consentanei sunt. Ex multis locis s. Thomae hunc seligimus, in quo sanctus Doctor intellectum vocans *practicum*, quatenus res cognitione sua producit, et *speculativum* , quatenus res iam productas cognoscit, inquit : « Sed scien-
« dum est , quod res aliter comparatur ad intellectum
« practicum , aliter ad speculativum. Intellectus enim
« practicus causat res, unde est mensuratio rerum, quae
« per ipsum fiunt; sed intellectus speculativus , quia ac-
« cipit a rebus, est quodammodo motus ab ipsis rebus;
« et ita res mensurant ipsum. Ex quo patet quod res
« naturales , ex quibus intellectus noster scientiam ac-
« cipit, mensurant intellectum nostrum . . . , sed sunt
« mensuratae ab intellectu divino , in quo sunt omnia

« creata , sicut omnia artificiata in intellectu artificis. « Sic ergo intellectus divinus est mensurans, non men- « suratus ; res autem naturalis mensura , et mensurata ; « sed intellectus noster est mensuratus , non mensurans « quidem res naturales, sed artificiales tantum [1] ».

Ex his divisionem veritatis, a recentibus traditam, in *metaphysicam* , *logicam* , et *moralem* , intelligere pronum est. Scilicet veritas *metaphysica* , sive *ontologica* illa vocatur , quam res naturales ob convenientiam sui cum intellectu divino habent ; *logica* vero illa , quam conceptiones intellectus nostri ob convenientiam sui cum rebus , quas repraesentant , habent ; *moralis* denique illa, quae in vocibus , ob convenientiam sui cum rebus, quas significant , invenitur. Quocirca veritas metaphysica definiri potest *convenientia rei cum intellectu, a quo producitur* ; logica autem *convenientia intellectus cum re, quam ipse apprehendit*; moralis demum *convenientia vocum cum rebus, quae per illas significantur* [2]. Haec postrema definiri etiam quit cum s. Bonaventura, *adeaquatio vocis , et intellectus* [3] , et cum s. Thoma *aequalitas signi ad rem signatam* , vel *conformitas signi ad significatum* [4]. Perspicuum porro est *falsitatem*

---

[1]) *Qq. dispp., De Ver.*, q. I, a. 2 c.; cf *Cont. Gent.*, lib. I, c. LXI, n. 6; I, q. XVI, a. 1 c.

[2]) 2^a 2^{ae}, q. CIX, a. 1 c.; cf ibid., q. CX, a. 1 c.

[3]) *Luminaria Ecclesiae*, Serm. IV.

[4]) I, q. XXI, a. 2 ad 2. Quandoquidem voces, ut saepe dictum est, *immediate* conceptus mentis, et *mediate* res, quas conceptus repraesentant, significant, in veritate morali relatio vocum, seu quorumlibet aliorum signorum cum ad res, tum ad conceptus consideranda est. Prima efficit rationem *materialem*, sive, ut recentes aiunt, *obiectivam*, altera autem rationem *formalem*, sive *subiectivam* veritatis moralis; quocirca forma, seu essentia veritatis moralis non in consensu vocum cum rebus, quas conceptus repraesentant, sed in consensu vocum cum conceptibus, qui res repraesentant, posita est. Et sane, veritas, aut falsitas moralis existit, cum homo res ita uti intelligit, vel aliter, ac intelligit, significat. Veritas moralis secundum rationem formalem *veracitas*, et falsitas moralis *mendacium* pro-

logicam in dissensione conceptus cum re, quam conceptus repraesentat [1], consistere, et *falsitatem moralem* in dissensione vocis cum conceptu, quem vox significat. Falsitatem metaphysicam, quam Wolfiani post Leibnitium, Baldinottius, aliique recentes admittunt, et malum metaphysicum appellant, consulto omisimus, quia eius notio omnino absurda est. Scilicet, Leibnitius malum metaphysicum in limitatione entis consistere dixit, et, quandoquidem haec cuiusque rei creatae propria est, in cunctis rebus creatis huiusmodi malum inveniri decrevit [2]. Audiamus Wolfium, qui definitionem mali metaphysici ex Leibnitii placitis tradidit: « Malum metaphysicum dicitur quod per es-« sentiam, et naturam suam rem imperfectiorem red-« dere censetur, quam foret, si abesset, adeoque in li-« mitatione determinationum essentialium consistit ». Hinc « finitudo et limitatio originaria intellectus nostri, « eo aiente, habetur pro malo metaphysico [2] ». Baldinottius, qui hanc doctrinam amplexus est, inde confecit naturas rerum ita comparatas esse, ut in eis malum cum bono coniungatur. « Bonum hoc metaphysi-« cum, ait, cuiusvis rei finitum necessario est; in eo i-« gitur limites, defectus, privatio: bono scilicet malum « sociatum est. Quaevis ergo res praeter Deum habet in « se malum metaphysicum, et ab ea inseparabile est [4] ».

---

priis vocibus designantur (vid. s. Thomam, *ll. cit.*). S. Bonaventura, qui *veracitatem*, ut diximus, per adaequationem vocis, et intellectus explicuit, *mendacium* ita definivit: « Mendacium est « falsa significatio vocis cum intentione fallendi »; *Pharetrae* lib. 3. Nos veritatem moralem *materialiter* spectatam definivimus, quia ipsam formaliter considerare ad ethicam spectat.

[1]) Haec, uti ex s. Augustino, et sancto Damasceno diximus, potius ignoratio, quam falsitas dicenda est.

[2]) Vid. *Causa Dei asserta per iustitiam eius*, etc. § 35, p. 655, et *Thèodicèe*, part. 2, § 118, p. 535, et § 209, p. 568 ed. cit.

[3]) *Theol. Nat.*, part. 1, c. 3, § 372, ed. cit.

[4]) *Tentamin. metaph., Met. gener.*, c. 5, § 258, p. 129, Patavii 1817.

Iam, quisquis videt, si hoc malum metaphysicum in cunctis rebus creatis re ipsa inveniretur, falsitatem metaphysicam, sive ontologicam admittendam esse. Nam, malum metaphysicum defectum in τῷ *esse*, sive in realitate rerum denotat. Atqui defectum in τῷ *esse* alicuius rei non aliter esse intelligi potest, quam si rem exemplar sui, quod in intellectu divino est, adamussim in se non exprimere intelligatur. Ergo, si malum metaphysicum in rebus creatis inveniretur, falsitas metaphysica admittenda foret. At falsitas metaphysica omnino absurda est. Etenim, si falsitas metaphysica in rebus inveniretur, ipsa repeti non posset, nisi ex eo, quod res exemplaribus, sive ideis suis, quae in intellectu divino sunt, non responderent. Atqui id asserere, nedum absurdum, impium est; namque inde necessario flueret Deum adeo imperitum artificem esse, ut opera ideis suis consentanea perficere nesciret. Ergo res in se, et extra intellectum divinum eiusmodi esse debent, ut ideis suis, quae in intellectu divino sunt adamussim respondeant. Quandoquidem autem, quidquid intellectui, a quo efficitur, est consentaneum, verum est, nullam in rebus naturalibus falsitatem, nullamque idcirco malum metaphysicum posse inveniri pro certo habendum est [1]. Ne pigeat Aquinatem rursus audire: « Res autem . . . intelle-
« ctui divino comparatur, sicut mensuratum mensurae,
« quantum ad ea, quae in rebus positive dicuntur, vel
« inveniuntur: quia omnia huiusmodi ab arte divini intelle-

[1]) Id diserte, ut solet, s. Hilarius exposuit: « . . . non enim « verbi huius apprehendo rationem, si dicatur mihi: Ignis est, « sed non est verus ignis; aut aqua est, sed non est vera aqua: « et quaero, in quo eiusdem generis veritas a generis eius- « dem veritate dissentiat? Quod enim ignis est, non potest « esse, ne verus sit: nec natura manens eo potest carere quod « vera est. Perime aquae, quod aqua est: et per id potes abo- « lere, ne vera sit. Ceterum, si aqua maneat, etiam in eo ne- « cesse est persistat ut vera sit. Potest ita demum natura pe- « rire, si non sit: verum non potest non vera esse, si ma- « neat »; *De Trinit.*, lib. V, c. 14, ed. PP. MM., Parisiis 1693.

« ctus proveniunt; alio modo sicut cognitum ad cogno-
« scens; et sic etiam negationes et defectus divino intelle-
« ctui adaequantur: quia omnia huiusmodi Deus cogno-
« scit, quamvis ea non causet. Patet ergo, quod res,
« quantumcumque se habeat sub quacumque forma exi-
« stens vel privatione, vel defectu, intellectui divino ad-
« aequatur. Et sic patet, quod res quaelibet in compara-
« tione ad intellectum divinum vera est, ut Anselmus di-
« cit in libro *de Verit.* (c. VII, VIII, XI et XII*). Igi-
« tur est veritas in omnibus, quae sunt entia, quia hic
« sunt, quae in summa veritate sunt. Vnde per compa-
« rationem ad intellectum divinum nulla res est falsa [1] ».

Cum huiusmodi pronuntiata indubia sint, luce meridiana clarius est nihil mali, nihilque falsitatis in rebus inveniri posse, eo quod *esse* illarum non est infinitum, neque in una, prout comparatur cum alia, quae magis, quam ipsa, particeps entis est. Etenim, in primis, cum divina exemplaria rerum, prout ad res referuntur, quemadmodum alias finita sint, res aliqua ex parte falsae dicendae non sunt, eo quod *esse* illarum finitum est; si quidem veritas rerum, uti vidimus, ex convenientia sui cum divinis exemplaribus efficitur. Apposite s. Augustinus: « Et re-
« spexi alia, et vidi Tibi debere, quia sunt, et in Te cun-
« cta finita, sed aliter non quasi in loco, sed quia res
« omnitenens manu veritate [2] ». Praeterea, quoniam res magis, minusve entis habent, inde fit, ut magis, minusve perfectionis, non vero, ut magis, minusve mali, sive falsitatis in illis inveniatur, quia unaquaeque res, cum tantum entis habeat, quantum divinum eius exemplar expostulat, perinde ac ceterae, divino sui exemplari respondet, ideoque, perinde ac ceterae, vera est. Quam ob rem cum s. Augustino dicendum est omnes res, eo ipso, quod sunt, esse veras, erroremque tantum in intellectum ca-

---

*) In editione a p. Gerberone exornata, quam nos citamus, sunt capita VII, IX, X, XI. — [1]) *Qq. dispp., De Verit.*, q. I, a. 10 c. [2]) *Confess.*, lib. VII, c. 15, n. 21.

dere, cum hic putat esse id, quod re ipsa non est. « Omnia vera sunt, in quantum sunt, nec quidquam est « falsitas, nisi cum putatur esse, quod non est [1] ».

At, si nihil falsitatis in rebus per se inveniri potest, negandum non est res aliquando *per accidens* falsas esse, scilicet cum ipsae quodammodo in causa sunt, cur intellectus falsum iudicium de ipsis conficiat. Quomodo id eveniat, s. Thomas explicuit hoc modo : « . . per « comparationem ad intellectum humanum invenitur interdum inaequalitas rei ad intellectum, quae quodammodo ex ipsa re causatur : res enim notitiam sui facit in anima per ea, quae de ipsa exterius apparent, « quia cognitio nostra initium e sensu sumit, cuius per « se obiectum sunt sensibiles qualitates ; . . . et ideo, « quando in aliqua re apparent sensibiles qualitates demonstrantes naturam, quae eis non subest, dicitur res « illa esse falsa. Vnde Philosophus dicit VI *Met.*, quod « illa dicuntur falsa, quae nata sunt videri aut qualia « non sunt, aut quae non sunt, ut aurum falsum, in « quo exterius apparet color auri, et alia huiusmodi accidentia, cum tamen interius natura auri non sub« sit [2] ». Hanc doctrinam Aquinas a s. Augustino didicit, qui haec habet: « *Ratio.* Dicimus item falsam arborem, « quam pictam videmus, et falsam faciem, quae de spe« culo redditur, et falsum turrium motum navigantibus, « falsamque infractionem remi, ob aliud nihil nisi quod « verisimilia sunt. *Aug.* Fateor. *R.* Ita et in gemi« nis fallimur, ita in ovis, ita et in singulis sigillis uno « annulo impressis, et in caeteris talibus. *A.* Sequor « omnino, atque concedo. *R.* Similitudo igitur rerum, « quae ad oculos pertinet, mater est falsitatis. *A.* Ne« gare non possum [3] ».

---

[1]) *Loc. cit.*

[2]) *Qq. dispp., De Verit.*, q. I, a. 10, c.; cf I, q. XVII, a. 1 c.

[3]) *Soliloq.*, lib. II, c. 6, n. 10. Atque inferius: « *R.* Ergo appa« ret nos in omnibus sensibus. . . [aut similitudine lenocinante « falli; aut etiamsi non fallimur suspendentes consensionem, seu

Ex dictis quoque perspicitur veritatem logicam, ab ontologica, et moralem a logica pendere. Enimvero, cum veritas logica in convenientia conceptuum mentis nostrae cum rebus, quas repraesentant, consistat, ipsa profecto existere non potest, nisi res, quas conceptus mentis nostrae repraesentant, verae sint, propterea quod, si ipsae verae non essent, ad veram notitiam sui in intellectu nostro efficiendam concurrere non possent. Iam, quoniam veritas, quae rebus ob convenientiam sui cum exemplaribus divinis convenit, est ontologica, seu metaphysica, veritas logica ab ontologica pendere dicenda est. « Res autem, s. Thomas ait, existens extra animam « per formam suam imitatur artem divini intellectus; « et per eamdem nata est facere de se veram apprehen- « sionem in intellectu humano [1] ». Veritas moralis autem a logica pendet; nam, quoniam ipsa ex consensu vocum cum conceptibus, quos significant, efficitur, consequens est orationem, quae ex vocibus constat, non posse esse veram, nisi veri sint conceptus, quos voces significant. Quod si veritas moralis a logica, et logica ab ontologica pendet, liquido patet intellectum divinum esse principium primum, et supremum omnis veritatis; si quidem, cum ipse sit causa veritatis ontologicae, causa quoque dicenda est tum veritatis logicae, quae ab ontologica pendet, tum veritatis moralis, quae in utraque fundatur. Audire e re est eumdem sanctum Doctorem: « Vnde dico, quod verum per prius dicitur de verita- « te intellectus; et de enuntiatione dicitur, inquantum « est signum illius veritatis; de re autem dicitur, in- « quantum est causa. Vnde res dicitur vera, quae nata « est de se facere veram apprehensionem, quantum ad

---

« differentiam dignoscentes, tamen eas res falsas nominare, « quas verisimiles deprehendimus »; *Ibid.*, n. 12.

[1]) *Qq. dispp., De Verit.*, q. I, a. 8 c. Hinc s. Bonaventura scribit: « In comparatione ad principium, dicitur veritas summae « veritatis, et primae repraesentatio, sive imitatio »; *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, p. I, a. 1, q. 1 *resol.*

« ca , quae apparent exterius in ipsa : et similiter dici-
« tur falsa res, quae nata est facere , quantum ad id,
« quod apparet exterius de ipsa, falsam apprehensionem,
« sicut aurichalcum dicitur aurum falsum. Et inde est
« etiam, quod homo dicitur falsus, qui dictis, vel fac-
« tis ostendit de se aliud, quam sit: et per oppositum
« intelligitur veritas, quae est virtus in dictis, et factis
« consistens . . . Vtraque autem veritas, scilicet intel-
« lectus, et rei, reducitur sicut in primum principium
« in ipsum Deum: quia suum esse est causa omnis es-
« se, et suum intelligere est causa omnis cognitionis [1] ».

Diversis hisce veritatis speciebus explicatis, licet nobis penitius introspicere naturam veritatis logicae, quae propria enunciationis est. Advertendum est cum s. Thoma tria in veritate logica nobis occurrere, quae notatu digna sunt, scilicet *fundamentum*, *rationem formalem*, et *effectum*, qui ipsam consequitur; si quidem veritas logica, ut sanctus Doctor docuit [2], considerari potest vel « secun-
« dum id, quod praecedit rationem veritatis, et in quo ve-
« rum fundatur », vel « secundum id, quod formaliter ratio-
« nem veri perficit », vel « secundum effectum consequen-
« tem », seu, uti alibi tenet, « secundum hoc, quod ve-
« ritas complectitur in manifestatione intellectus [3] ». Iam, veritas logica, si primo modo consideretur , definiri pot-

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. V, a. 1 *sol.* Brevius, sed fortasse efficacius s. Bonaventura dixit supremam veritatem esse 1° causam, cur res sunt, nempe principium veritatis metaphysicae; 2° rationem, ob quam res intelligimus, nempe principium veritatis logicae, et normam, cui actiones nostras accommodare debemus, nempe principium veritatis moralis. « Respi-
« cit (*veritas*) originans principium in ratione triplicis causae,
« originantis, exemplantis, et terminantis. Nam ex ipso , per
« ipsum , et in ipso sunt omnia , ergo veritas indicat , quod
« mens nostra fertur naturali inclinatione ad veritatem, secun-
« dum quod est causa essendi , ratio intelligendi et ordo vi-
« vendi »; *Luminaria Ecclesiae*, Serm. IV.

[2]) *Qq. dispp., De Verit.*, q. I, a. 1 c.

[3]) *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. V, a. 1 *sol.* Vid. s. Bonaventuram, *In lib. I Sent.*, Dist. III, part. I, dub. 4.

est cum s. Augustino, quem Avicenna, aliique secuti sunt, *Verum est id quod est* [1], quia veritas conceptuum mentis nostrae, uti dictum est, in τῷ *esse*, sive realitate rerum, quam ipsi repraesentant, fundamentum habet. Sin secundo modo spectetur, secundum Isaacum, philosophum arabem, ipsa definire licet: *adaequationem rei*, et *intellectus* [2], si quidem, uti ex dictis etiam patet, consensio conceptus cum re, quam conceptus repraesentat, veritatem logicam constituit. Denique, si tertio modo consideretur, cum eodem s. Augustino definiri potest: *Veritas est, qua ostenditur id, quod est* [3], quia oratio, conceptus rerum significando, ad rerum, quas conceptus repraesentant, significationem spectat. Nos illa definitione utemur, quae rationem formalem veritatis significat, quamque s. Thomas secundum Isaac concinnavit hunc in modum: « *Veritas est adaequatio intel-* « *lectus, et rei, secundum quod intellectus dicit esse,* « *quod est, et non esse, quod non est* [4] ». Veritatem hoc modo, ni fallimur, consideratam s. Anselmus definivit his verbis: *Veritas est rectitudo sola mente percepti-bilis* [5]. Nam oratio, ut sit vera, debet significare id, quod est, hoc est debet esse *recta* [6], et hanc rectitudi-

---

[1]) « . . . nam verum mihi videtur esse id, quod est »; *Soliloq.*, lib. II, c. 5, n. 8. Iuvat integrum caput legere. Vid. inter antiquos Plat., *Phaedr.*, et *de Repub.*, lib. V, et inter recentes Bossuet, *De la connoissance de Dieu, et de soi-même*, c. I, § 16, p. 51, et 52 ed. cit., et Fénélon, *Traitè de l' existence, et des attributs de Dieu*, part. 2, n. 12, Paris 1787.

[2]) Apud s. Thomam, *Qq. dispp., De Verit.*, q. I, a. 1 c.

[3]) *De vera Religione*, c. 36, n. 66. Cf s. Hilarium, *De Trinit.*, lib. V, passim, ed. cit.

[4]) *Cont. Gent.*, lib. I, c. 59, n. 1. Hanc definitionem, quam nonnulli recentes Philosophi christiani amplexati sunt, comes Demaistreus adeo admiratus est, ut illam *fulgur veritatis, quae se ipsam definivit*, vocaret; *Soirèes de St. Pétersbourg*, Entret. II, vol. I, p. 141, ed. 2, Paris 1831.

[5]) *Dialog. De Verit.*, c. 11 (alit. 12), *Opp.* ed. Gerberon, p. 113, Parisiis 1721. Vid. s. Thom., *Qq. dispp., De Verit.*, q. I, a. 1, et I, q. XVI, art. 1 c.

[6]) « *Mag.* Quid igitur tibi videtur ibi (*in enunciat.*) veritas?

nem cognoscere, ut mox dicemus, solius intellectus est [1].

Vnica quaestio hic dirimenda nobis est, scilicet, utrum veritas logica sit propria iudicii, an perceptioni etiam conveniat. Hac de re Philosophi mediae, et recentis aetatis vehementer digladiati sunt. Durandus [2], et plerique e schola s. Thomae, inter quos Caietanus [3], atque ex recentibus Lockius [4], Bossuetus [5], aliique, quibus Galluppius [6], et Rosminius [7] adstipulati sunt, nullam veritatem, aut falsitatem in ideis esse censuerunt, quia ideae non continent affirmationem, et negationem, sine quibus veritas, et falsitas existere nequeunt. Contra hos alii permulti pugnarunt; sed hi quoque in contrarias sententias abierunt. Alii enim, duce Cartesio [8], omnes ideas esse veras contenderunt; si quidem hae, cum e rebus, quae sensus percellunt, proficiscantur, fieri nequit, quin

---

« *Disc.* Nihil aliud scio, nisi quia cum significat esse, quod est; « tunc est, in ea veritas, et est vera. *Mag.* Ad quid facta est affir- « matio? *Disc.* Ad significandum esse, quod est. *Mag.* Hoc ergo « debet? *Disc.* Certum est. *Mag.* Cum ergo significat esse, quod « est; significat quod debet. *Disc.* Palam est. *Mag.* At cum signi- « ficat quod debet, recte significat. *Disc.* Ita est. *Mag.* Cum au- « tem significat recte; recta est significatio? *Disc.* Non est du- « bium. *Mag.* Cum ergo significat esse, quod est; recta est signi- « ficatio? *Disc.* Ita sequitur. *Mag.* Item cum significat esse, « quod est; vera est significatio? *Disc.* Vere et recta et vera « est; cum significat esse, quod est. *Mag.* Idem igitur est illi, « et rectam, et veram esse, id est significare esse, quod est? « *Disc.* Vere idem. *Mag.* Ergo non est illi aliud veritas, quam « rectitudo. *Disc.* Aperte nunc video veritatem hanc esse re- « ctitudinem »; *Ibid.*, c. 9, p. 110.

[1]) Vid. *Ibid.*, c. 11, p. 113. — [2]) *Op. cit.*, ibid.

[3]) *Comment. in Sum. Theol. s. Thom.*, part. I, q. XVI, a. 2, t. I, p. 132, et 133, Patavii 1698.

[4]) *Essais* etc., lib. II, c. 32 ed. cit.

[5]) *De la connoissance de Dieu, et de soi même*, c. I, § 7, p. 37, et 38 ed. cit.

[6]) *Lezioni* etc., lez. XXXVIII, t. I, p. 198 ed. cit.

[7]) *N. S.*, etc., sez. VI, part. 4, c. 2, a. 3, § 1249, vol. III, p. 155, Torino 1853.

[8]) *Les principes de la phil.*, part. I, § 29, 30, et 33; *Oeuvr. phil.*, vol. I, p. 243-245 ed. cit.

res, secus ac re ipsa sunt, ad mentem transmittant. Alii vero, uti Aegidius, Ferrariensis, Fonseca [1], atque inter recentes Thomasius, Buddeus, Titius, Werenfelsius [2], et nuper Laromiguiereus [3], simplices apprehensiones modo veras, modo falsas esse opinati sunt, quia cum rebus, ad quas referuntur, convenire, vel ab eis dissentire possunt.

Nos, secundum s. Thomam, existimamus veritatem, et falsitatem proprie, et perfecte inveniri in iudicio, hoc est, ut Scholastici aiunt, in *intellectu dividente*, et *componente*, et *secundum quid* in apprehensione, hoc est, in *intellectu quidditatem rei apprehendente*. Ad huius rei intelligentiam animo recolamus oportet aliud esse cognoscere aliquod verum, aliud autem cognoscere aliquod verum, prout est verum. Primum apprehensioni, sive primae operationi intellectus, qua ipse essentiam rei apprehendit, procul dubio convenit. Nam, cum simplices conceptus, quos intellectus per apprehensionem sibi conficit, essentias rerum, prout in rebus sunt, repraesentent, ipsi profecto aliquod verum significant, quippe quod omnes naturae rerum, quemadmodum innuimus, verae sunt. Diximus conceptus intellectus essentias rerum, ad quas referuntur, prout ipsae in se sunt, repraesentare, quia, uti alias ostendemus, cum essentia rerum sit obiectum proprium intellectus, fieri non potest, ut intellectus in essentiis rerum cognoscendis decipiatur [4]. At cognoscere aliquod verum idem non est, ac

---

[1]) Apud eumdem Suaresium, *Op. cit.*, sect. cit., § 5, p. 209.

[2]) Apud Iacob. Brukerum, *Historia de ideis*, sect. III, § 5, not. (r), p. 290, Augustae Vindel. 1723.

[3]) *Leç. de philos.*, leç. X, part. 2, t. II, p. 298, Paris 1833.

[4]) « Quidditas autem rei, s. Thomas ait, est proprie obie-« ctum intellectus: unde sicut sensus sensibilium propriorum « semper est rectus, ita intellectus in cognoscendo quod quid « est »; *Qq. dispp., De Verit.*, q. I, a. 12 c. Quomodo autem falsitas *per accidens* in prima operatione intellectus occurrere possit, alias videbimus. Legatur interea, si lubet, eumdem *lib.* sanctum Doctorem, loc. cit., necnon I, q. XVII, a. 3 c., et *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. V, a. 1 ad 7.

cognoscere veritatem, aut falsitatem alicuius rei, seu cognoscere aliquod verum, aut falsum, prout est verum, vel falsum. Etenim ad cognoscendam veritatem, aut falsitatem alicuius rei oportet cognoscere convenientiam, aut discrepantiam conceptus cum re, quam conceptus significat. Ad rem Aquinas: « . . . per conformitatem « intellectus, et rei veritas definitur: unde conformita- « tem istam cognoscere est cognoscere veritatem [1] »; atque ante eum s. Augustinus: « Nemo falsa novit, nisi cum « falsa esse novit [2] ». Iam, intellectus convenientiam, aut discrepantiam sui conceptus cum re, quam conceptus repraesentat, nonnisi per secundam operationem suam, hoc est, per *iudicium* cognoscere quit. Nam ipse non potest cognoscere conceptum suum, prout cum τῷ *esse* rei, quam repraesentat, consentit, aut ab eo dissentit, nisi utrum id, quod in re apprehendit, rei insit, necne, cognoscat. Atqui utrum, necne aliquid alicui insit, cognoscere, uti ostensum est, non aliter potest, quam per *analysim*, et *synthesim*, quae sunt actiones intellectus dividentis, et componentis, hoc est, per *iudicium*. Ergo cognoscere aliquod verum, aut falsum, prout verum, aut falsum est, seu cognoscere veritatem, aut falsitatem rei non ad simplicem apprehensionem, sed ad iudicium pertinet.

Hanc argumentationem, quam ex s. Thoma [3] sumpsi-

---

[1]) I, q. XVI, a. 2 c. — [2]) *De Trinit.*, lib. XV, c. 10, n. 17.

[3]) Post pauca verba, quae modo exscripsimus, s. Thomas, subdit: « Intellectus autem conformitatem sui ad rem intelligi- « bilem cognoscere potest; sed tamen non apprehendit eam, se- « cundum quod cognoscit de aliquo, quod quid est. Sed quando « iudicat rem ita se habere, sicut est forma, quam de re ap- « prehendit, tunc primo cognoscit, et dicit verum: et hoc fa- « cit componendo, et dividendo. . . Et ideo proprie loquendo ve- « ritas est in intellectu componente, et dividente, non autem « in sensu, neque in intellectu cognoscente, quod quid est ». Atque alibi: « Veritas est solum in mente, sicut scilicet in « cognoscente veritatem. Cognoscere autem praedictam con- « formitatis habitudinem nihil aliud est, quam iudicare ita esse « in re, vel non esse, quod est componere, et dividere »; *In lib. I Periherm.*, lect. III.

mus, Scotus paucis his exposuit verbis: « . . . intelle-
« ctus simplex est verus, licet non cognoscat verum;
« quia cognoscere verum est cognoscere conformitatem
« intellectus ad rem. Intellectus autem hoc non facit,
« nisi quia iudicat ita esse in re, et propter hoc com-
« ponit, vel dividit, propter quod nullus intellectus, prae-
« ter componentem, vel dividentem, verum cognoscere
« potest [1] ».

Accedit, quod, observante eodem Aquinate, veritas, cum sit adaequatio intellectus, et rei, in ea operatione intellectus solum inveniri potest, quae diversa complectitur, quia unum, idemque cum se ipso adaequari nequit. Iamvero, huiusmodi operatio nonnisi iudicium est. Etenim, ut in *Dynamilogia* ostendemus, intellectus, quando prima operatione essentiam rei apprehendit, non aliud in se habet, nisi speciem, seu similitudinem rei, quae extra animam est; verum, quando de re apprehensa iudicat, tunc duo ei praesto sunt, scilicet conceptus rei, qui in ipso intellectu est, et res, quae isti conceptui extra ipsum intellectum respondet. Quocirca in sola secunda operatione intellectus, hoc est, in iudicio adaequatio intellectus, et rei inveniri potest [2]. Rursus igitur liquet veritatem nonnisi in iudicio proprie inveniri.

---

[1]) *In duos libros Periher.*, Op. sec., q. III, n. 3. Alibi ait: « Ens potest concipi simplici intelligentia, et tunc concipitur « illud, quod verum est: sed ratio veritatis non concipitur, « nisi intelligentia componente, vel dividente »; *In lib. I Sent.*, Dist. III, q. IV, n. 2 et 3. Adde s. Bonavent., *In lib. I Sent.*. Dist. XLVI, a. unic., q. 4 *resol.*, et Henr. Gandav., *Op. cit.*, art. XXXIV, q. 5, n. 20 ed. cit.

[2]) « Veri enim ratio, sanctus Doctor scribit, consistit in adaequa-
« tione rei, et intellectus; idem autem non adaequatur sibi ipsi,
« sed aequalitas diversorum est: unde ibi primum invenitur ratio
« veritatis in intellectu, ubi primo intellectus incipit aliquod pro-
« prium habere, quod res extra animam non habet, sed aliquid
« ei correspondens; inter quae adaequatio attendi potest. Intelle-
« ctus autem formans quidditates, non habet, nisi similitudinem
« rei existentis extra animam, sicut et sensus, inquantum accipit
« speciem rei sensibilis; sed quando incipit iudicare de re appre-

Illud denique cum eodem sancto Doctore observandum est, veritatem non in illa operatione intellectus quaerendam esse, quae circa essentiam, sed in illa, quae circa *esse* rerum versatur; si quidem veritas tum existit, cum intellectus rem ita esse intelligit, ut res in se ipsa est. Atqui primae operationis intellectus obiectum est essentia, secundae vero est *esse* rei, quippe quod intellectus per secundam operationem aliquid alicui inesse, aut non inesse cognoscit. Ergo veritas in secunda operatione intellectus, hoc est, in iudicio proprie invenitur [1].

Ex quibus omnibus concludere licet veritatem, et falsitatem, quemadmodum post Doctores Scholae Rosminius, et Galluppius docuerunt, in iudicio solum inveniri, et, si quodammodo, veritas in simplici apprehensione etiam invenitur, in ea falsitatem *per se* [2] nunquam esse posse; si quidem conceptus simplices intellectus, ex eo, quod essentias rerum, prout in se sunt, repraesentant, omnes, uti Cartesianis placuit, veri sunt, non vero, ut multis Wolfianis visum est, vel veri, vel falsi.

Quod si iudicium est vel verum, vel falsum, et esse verum, aut falsum ad ipsam eius naturam pertinet, consequens est enunciationem, quae iudicium significat,

---

« hensa, tunc ipsum iudicium est quoddam proprium ei, quod non « invenitur extra in re. Sed quando adaequatur ei, quod est extra « in re, dicitur iudicium verum esse. Tunc autem iudicat de re « apprehensa, quando dicit, quod aliquid est, vel non est; quod « est intellectus componentis, et dividentis »; *Qq. dispp., De Verit.*, q. I, a. 3 c.

[1]) « . . . cum sit duplex operatio intellectus; una . . . quae con- « sistit in apprehensione quidditatis simplicis . . . ; alia. . . . quae « consistit in compositione, vel divisione propositionis: prima o- « peratio respicit quidditatem rei; secunda respicit esse ipsius. Et « quia ratio veritatis fundatur in esse, et non in quidditate, ut di- « ctum est (in corp.), ideo veritas, et falsitas proprie invenitur in « secunda operatione, et in signo eius, quod est enunciatio, et non « in prima, vel signo eius, quod est definitio, nisi secundum quid»; *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. V, a. 1 ad 7.

[2]) *Per se*, inquimus, quia falsitas, uti antea innuimus (p. 121), *er accidens* in prima operatione etiam inveniri potest.

aut veram, aut falsam esse posse. Enunciatio vera est, quae significat esse in re id, quod in ipsa est, vel non esse id, quod in ipsa non est; falsa autem, quae significat, non esse in re id, quod in ipsa est, aut esse id, quod in ipsa non est. Apposite s. Bonaventura : « Ab « eo, quod res est, est oratio vera, quae significat ipsam « esse, et ab eo, quod non est, est falsa, quae signi- « ficat esse ipsam; et ab eo, quod non est, est vera, « quae significat non esse, et ab eo, quod est, est falsa, « quae significat eam esse [1] ».

ARTICVLVS QVINTVS

Diversae species enunciationis enumerantur

Postquam naturam enunciationis novimus, diversas eius divisiones investigare haud difficile nobis erit. In qualibet enunciatione duo considerare nobis licet, nimirum elementa, ex quibus ipsa constat, et modum, quo elementa ad ipsam efficiendam concurrunt. Iam, enunciatio ex utroque capite multas divisiones habet, quas singillatim exponamus oportet.

A priori capite ordientibus illud in primis sciendum est enunciationem hac ex parte aliter dividi, si conceptus, quem ipsa significat, aliter vero, si voces, quibus conceptus significatur, in ea spectentur, hoc est aliter, si *logice*, aliter, si *grammatice* ipsa consideretur; si enim recentes Philosophi hocce discrimen advertissent, falsas enunciationis ex hac parte consideratae divisiones minime tradidissent. Re vera, enunciationis, prout aliquem conceptum significat, elementa consideranti palam fit ipsam vel *unam*, vel *multiplicem* esse, quia conceptus, quem enunciatio significat, unum, vel plura complecti potest. Enunciatio, sive, uti Aristoteles ait, oratio enunciativa, λόγος ἀποφαντικος, est una, εἷς, si unum quidpiam, ἕν τι, significat, sive hoc unum sit huiusmodi per se, puta *homo currit*, sive aliqua coniunctione, ob quam plures enunciationes unam

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. XLVI, a. unic., q. 4 *resol.*

constituunt, ὁ συνδέσμῳ εἷς, puta, *si dies est, lux est.* Enunciatio autem multiplex, sive, ut idem Aristoteles ait, πολλοί, *plures*, est, si plura, πολλά, significat, quae ad quandam unitatem conceptus non reducuntur, sive sint plura nomina, vel plura verba, vel plura nomina, et verba, sive plures enunciationes ἀσύνδετοι, scilicet non coniunctae [1]. Enunciatio multiplex ex parte subiecti, seu nominis est: *Socrates, Plato, Alcibiades ambulant*; ex parte praedicati, seu verbi, *Plato ambulat, philosophatur, incalescit*; ex parte tum subiecti, tum praedicati, *Socrates, Plato, Alcibiades ambulant, philosophantur, incalescunt*; denique ob plures enunciationes non coniunctas, multiplex est haec, *Socrates philosophatur, Plato scribit, Aristoteles disputat* [2].

Sin elementa enunciationis, prout vocibus significantur, hoc est, *grammatice* spectaveris, enunciationem vel *simplicem*, vel *compositam* esse nullo negotio comperies; si quidem ipsa, uti ex dictis perspicere licet, modo per duas voces, modo per plures voces significetur necesse est. Simplex, ἁπλῆ, secundum Aristotelem, est illa, in qua cum subiectum, tum praedicatum unica simplici voce significantur, puta *Socrates est albus*; composita

[1]) « ... enunciatio, s. Thomas subdit, vel est una absolute, scili-« cet, quae unum de uno significat, vel secundum quid, scilicet, « quae est coniunctione una. Per oppositum autem est intelligen-« dum, quod enunciationes plures sunt, vel ex eo, quod plura si-« gnificant, et non unum: et hoc opponitur primo modo unitatis: « vel ex eo, quod absque coniunctione proferuntur; et tales oppo-« nuntur secundo modo unitatis »; *In lib. I Periherm.*, lect. VIII.

[2]) *De interpr.*, c. 5, vol. I, p. 125, et 126, ed. Waitz. Hic adnotatum volumus nos, quoties ex singulis hominibus exempla petere opus nobis est, nomina *Socratis, Platonis,* aliorumque veterum adhibere, quia haec a Scholasticis post Aristotelem, qui *Socratem, Calliam, Dionem* saepe nominavit, eodem fere modo frequentata sunt, quo apud Iurisconsultos nomina Caii, Titii, Lucii, et Sempronii. Cons. Plutarchum (*Quaest. Roman., Opp.* t. II, p. 271, interp. Guil. Xylandro, Francofurti 1620), et inter nuperos Creuzerum (*ad Plot.* Enn. V, lib. I, c. 4, p. 903, Oxonii 1835), et Trendelenburgium, *Elem. Log.*, § 6, p. 60, ed. cit.

autem, σύνθετος, illa, in qua plures voces, unum non absolute simplex, vel plura significantes, aut ex parte subiecti, aut ex parte praedicati constituuntur, puta, *homo est animal rationale*, et *animal rationale ambulat* [1].

Quandoquidem Aristoteles hanc secundum divisionem enunciationis suboscure exposuit, inter graecos, latinosque Interpretes lis orta est, utrum ipsa eadem cum prima sit, an ab ista differat. Quaestio, ut patet, in eo versatur, utrum, necne omnis enunciatio *una*, Aristotelis iudicio, sit etiam *simplex*, et omnis enunciatio *multiplex* sit etiam *composita*. Nos cum Ammonio [2], quem Boëtius [3], Albertus M., s. Thomas [4], aliique secuti sunt, arbitramur Aristotelem divisionem enunciationis in *simplicem*, et *compositam* ab ea, quae in *unam*, et *multiplicem* instituerat, re ipsa discriminasse. Nam, praeterquam quod Philosophum, plus fortasse, quam aequum est, pressi, strictique sermonis studiosum, eamdem divisionem brevissimo intervallo repetivisse nemo facile sibi persuaderet, illud certum est, eum simplex ab uno distinxisse, si quidem in *Metaph.* uni multiplex, et simplici compositum opposuit [5]. Iam, si Aristoteles notiones *unius*, et *simplicis*, necnon *multiplicis*, et *compositi* pro diversis habuit, divisionem enunciationis in simplicem, et compositam pro eadem, ac divisionem eius in unam, et simplicem tradere profecto non potuit. Praeterea, secundum eosdem Philosophos asserimus distinctionem unius divisionis ab alia esse veritati prorsus consentaneam. Etenim enunciatio, ut s. Thomas post Gazalium observavit, dicitur una non ex eo, quod unum, vel plura nomina habet, sed ex eo, quod unicum, vel plures conceptus simplices intellectus significat [6]. Iam, si res ita se

---

[1]) *Op. cit.* ibid. — [2]) *In loc. cit.* Arist. *De interp.* ed. cit.
[3]) *In lib. Arist. De interpr.*, lib. I, *Opp.* t. I, p. 131, et 132, ed. cit.
[4]) Horum loca paulo post innuemus. — [5]) Lib. XI, c. 7, ed. Bekker.
[6]) « . . . enunciatio est iudicanda una non ex unitate nominis, « sed ex unitate significati, etiamsi sint plura nomina, quae unum « significant »; *Op. cit.*, ibid., lect. VIII.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

habet, liquet nec omnem enunciationem unam posse solis duabus vocibus proferri, quarum una subiectum, altera praedicatum significet, nec omnem enunciationem multiplicem opus habere plus, quam duabus vocibus, ut vel plura subiecta, vel plura praedicata significet. Re vera, enunciatio, quae est coniunctione una, plures, quam duas voces, habere debet, quia opus est in ea vel significare plures conceptus simplices, qui ad unicum conceptum compositum subiecti, aut praedicati reducuntur, vel plures enunciationes simplices, quae, ob aliquod vinculum, in unam compositam coëunt. E contrario, quandoquidem sunt voces, scilicet *aequivocae*, quae plures, diversosque conceptus significant, fieri potest, ut enunciatio multiplex quandoque ex duabus solis vocibus efficiatur, puta *canis movetur*, id enim tum de cane *marino*, tum de *terrestri*, tum de *coelesti* intelligi potest. Secundum hanc doctrinam statuendum est cum s. Thoma, 1° enunciationem unam esse vel simplicem, vel compositam, nempe simplicem, si est absolute una, et compositam, si est coniunctione una; 2° enunciationem multiplicem esse proprie compositam, licet quandoque, ob aliquam vocem plura significantem, quae in ea occurrit, simplex sit [1]. Illud hic etiam adver-

---

[1]) « Circa quod considerandum est secundum Boëtium quod u-
« nitas, et pluralitas orationis potest referri ad significatum: sim-
« plex autem, et compositum attenditur secundum ipsas voces. Et
« ideo enunciatio quandoque est simplex, et una: puta cum solum
« ex nomine, et verbo componitur in unum significatum, ut cum
« dico, homo est albus. Est etiam quandoque una oratio, et com-
« posita, quae quidem unam rem significat, sed tamen composita
« est vel ex pluribus terminis, sicut si dicam, animal rationale
« mortale currit, vel ex pluribus enunciationibus, sicut in condi-
« tionalibus, quae quidem unum significant, et non multa... Quan-
« doquidem autem in enunciatione est pluralitas; et compositio,
« puta cum ponuntur plura in subiecto, vel in praedicato, ex qui-
« bus non fit unum, sive interveniat coniunctio, sive non, puta si
« dicam: Homo albus musicus disputat: et similiter est, si coniun-
« gantur plures enunciationes sive cum coniunctione, sive sine
« coniunctione, ut si dicam, Socrates currit, Plato disputat »;
Op. cit., lect. VIII. Plura videre licet apud Albertum M., *Op. cit.*, lib. I, tract. IV, c. 2.

tere iuvat Stoicos, post Eudemum et Theophrastum Aristotelis discipulos [1], enunciationem absolute unam, vel compositam ex pluribus terminis, quae in unum subiectum, vel praedicatum coeunt, vocasse *categoricam*, seu, Apuleio vertente, *praedicativam*, et omnem enunciationem, quae ex pluribus aliquo vinculo coniunctis efficitur, *hypotethicam*, sive, eodem Apuleio auctore, *conditionalem* [2], quia in ea praedicatum ad subiectum *absolute*, in hac autem sub aliqua *hypothesi*, seu conditione refertur.

Quae cum ita se habeant, recentes Philosophi reprehensionem profecto merentur, quod, neglecta divisione enunciationis in unam, et multiplicem, alteram in simplicem, et compositam dumtaxat explicuissent. Cum enim prior divisio logica, posterior potius grammatica, quam logica sit, inde factum est, ut ipsi logicum discrimen inter enunciationes categoricas, et hypotheticas, necnon inter hypotheticas, et multiplices haud intelligerent, ideoque, uti mox videbimus, vel falsas, vel certe leves, rudesque enunciationum hypotheticarum notiones traderent.

Quoniam simplicitas, et compositio non sunt principia, ob quae enunciationes logicae spectatae inter se specie differunt, ideo nos, neglecta hac divisione, alteram persequemur, quae ad unitatem, vel multiplicitatem enunciationis pertinet, quaeque ex natura logica enunciationis oritur. Iam, cum enunciatio hoc modo spectata, uti s. Thomas advertit [3], si vel *categorica*, vel *hypothetica*,

---

[1]) Vid. Boëtium, *De syllog. hypoth.*, lib. I, p. 606.

[2]) *De syll. categ.*, *Opp.*, part. 2, vol. II, p. 374, Basileae 1596. Cf Boëtium, *In lib. I de Interp.*, Ed. 2ª, lib. I, p. 330, ed. cit., et *De syllog. hypoth.*, lib. I, p. 606, et 607.

[3]) « Secundum autem hoc quaedam (*enunciatio*) est simpliciter « una, inquantum unum significat, quaedam est simpliciter plu« res, inquantum plura significat, sed est una secundum quid, in« quantum est coniunctione una. Quaedam sunt simpliciter plu« res, quae neque significant unum, neque coniunctione aliqua « uniuntur »; *Op. cit.*, ibid.

vel *multiplex*, primo de enunciationibus categoricis, deinde de hypotheticis, postremo loco de multiplicibus agemus; si quidem, cum enunciatio ex ea parte, quatenus aliquem conceptum intellectus significat *categorica*, vel *hypothetica*, vel *multiplex* sit, logico, enunciationem, prout aliquem conceptum significat, consideranti, de hac triplici enunciationis specie tractandum est.

ARTICVLVS SEXTVS

De enunciationibus categoricis

A categoricis exordientes principio adnotamus omnes Philosophos post Aristotelem illas in *universales*, *particulares*, et *singulares* divisisse, prout illarum subiectum vel aliquid universale, vel aliquid particulare, vel quoddam individuum, seu singulare est. Ad hanc triplicem divisionem intelligendam in memoriam nobis revocemus oportet, etsi quidquid in rerum natura existit, sit individuum, et singulare, tamen nos in rebus aliquid intelligere, quod eis vel ut genus, vel ut species commune, est, atque conceptus intellectus illud repraesentantes, quod pluribus rebus commune est, illos esse, qui universales in Scholis dicuntur.

Iam, quandoquidem partes enunciationis conceptus intellectus nostri repraesentant, consequens est subiectum, quod quantitatem enunciationis determinat, esse posse vel conceptum alicuius rei singularis, sive alicuius individui, puta *Socratem*, aut *Platonem*, vel conceptum, qui id, quod pluribus individuis commune est, repraesentat, scilicet conceptum universalem, puta *animal*, aut *hominem*, ideoque subiectum enunciationis esse vel *singulare*, vel *universale*. At vero, advertendum est cum eodem Stagirita, si quidquid de subiecto singulari praedicatur, de eo *singulariter*, καθ' ἕκαστον, semper praedicatur, aliquid de subiecto universali posse praedicari vel *universe*, καθόλου, seu, καθ' ὅλου, vel *non universe*, μὴ

καθόλου, sed *ex parte*, ἐν μέρει, aut κατὰ μέρος [1], hoc est, ut Scholae aiunt, *universaliter*, vel *particulariter*, quia de ipso praedicari potest aut quidquam, quod omnibus individuis eius ambitu comprehensis, aut quidquam, quod dumtaxat aliquibus eorum convenit. Primum fit, cum illud, quod subiecto universali tribuitur, ad essentiam subiecti pertinet, aut cum essentia eius necessario coniungitur, puta cum de homine esse *animal*, aut esse *risibilem* praedicatur; si quidem illud, quod ad essentiam rei pertinet, aut ab ea necessario emanat, in cunctis individuis, in quibus illa essentia est, seu quae eodem genere, aut eadem specie continentur, inveniatur necesse est. Alterum vero fit, quoties illud, quod subiecto universali tribuitur, accidens subiecti est, e. g., si de homine esse *philosophum*, aut *medicum*, aut *iurisperitum* dicitur, quia, cum illud, quod κατὰ συμβεβηκὸς, nempe *per accidens* in subiecto est, subiectum necessario non concomitetur, nec in cunctis individuis, nec semper in ipsis invenitur. Ex quo vides subiectum enunciationis esse oportere aut τὸ καθ' ἕκαστον, *singulare*, vel τὸ καθόλου, *universale*, καθόλου, sive *universe* acceptum, quod in Scholis *universale* simpliciter dictum est, vel τὸ καθόλου, *universale*, ἐν μέρει, sive *ex parte* sumtum, quod in Scholis, auctore Apuleio [2], *particulare* audiit [3].

---

[1]) *De interp.*, c. 7, p. 127, et *Analyt. prior.*, lib. I, c. 1, p. 146, ed. Waitz. Vid. Biese, *Op. cit.*, vol. I, p. 390, not. 5; et Waitz, *Op. cit.*, vol. I, p. 334, et 335.

[2]) *Op. cit.*, p. 380, ed. cit.

[3]) Cf s. Thom., *Op. cit.*, lect. X, in qua haec omnia luculenter explicuit. Alibi idem Aquinas naturam notionis particularis ita definivit: « Particulare dicitur eo quod particulatur in ipso natura « communis, cuius partem accipit secundum virtutem, qua potest « esse in pluribus, quamvis accipiat totam rationem eius » (*In lib. I Sent.*, Dist. XXIII, q. I, a. 2 ad 4). Trendelenburgius ad l. cit. Aristotelis observavit universale, et particulare in enunciationibus « non simpliciter, sed comparate dici », quia illud ipsum subiectum, quod comparatum cum alio, quod minus patet, est *universale*, est *particulare*, si cum alio, quod latius patet, conferatur; proindeque enunciationem, quae relata ad ea, quae ipsi subsunt,

Iamvero, manifestum est nulla nota opus esse enunciationi singulari, ut ab universali, et a particulari distinguatur; si quidem subiectum singulare nonnisi uno modo, hoc est, prout rem aliquam individuam, a ceterisque omnibus seiunctam denotat, accipi potest. At, quandoquidem subiectum universale duobus modis, nimirum vel *universe*, vel *ex parte* accipi potest, liquet non posse cognosci, utrum enunciationes, in quibus subiectum, in se spectatum, est universale, sint universales, an particulares, nisi quaedam notae, sive, ut Scholastici secundum graecos aiunt, *determinationes*, προσδιορισμοὶ [1], subiecto adiiciantur, ex quibus patescat, utrum subiectum

---

est universalis, tanquam particularem intelligi, si ad enunciationem magis universalem referatur (*Elem. log.*, § 6, p. 60, ed. cit.). At Vir eruditus ex eo falsus est, quod notionem in se spectatam cum notione, prout subiectum enunciationis est, confudit. Etenim, si notio universalis cum alia magis universali, cui subiicitur, comparetur, particularis dici potest, quippe quod ipsa ad superiorem, tanquam pars eius, refertur. Puta, notio *hominis*, si ad notionem *animalis* referatur, tanquam particularis intelligitur, quia, cum non omne animal sit homo, ipsa *non omnis*, sed *alicuius* animalis propria est (vid. p. 226, et 227). Verum, quoniam subiectum universale, Trendelenburgio non dissentiente, immo docente, est illud, quod cuncta individua, certa quadam specie, aut genere comprehensa, complectitur, consentaneum est notionem universalem, prout est subiectum enunciationis, tum quoque, cum relata ad aliam, quae latius patet, consideratur, nonnisi tanquam universalem, intelligi posse, quippe quod hoc modo considerata, si non complectitur omnia individua, quae notione latius patente continentur, procul dubio illa omnia complectitur, quae ad certam aliquam speciem, vel genus pertinent. Ex quo perspicitur enunciationem universalem, si cum alia comparetur, non posse unquam intelligi veluti particularem, sed intelligendam esse veluti magis, vel minus universalem, prout subiectum unius ad subiectum alterius, vel tanquam genus ad speciem, vel tanquam species ad genus, refertur.

[1]) De προσδιορισμῶ vid. *Schol. in Arist.*, p. 113, a. 44. Audi s. Thomam: « Ad designandum autem diversos modos attributionis in« ventae sunt quaedam dictiones, quae possunt dici determinatio« nes, vel signa, quibus designatur, quod aliquid de universali « hoc, aut illo modo praedicatur »; *Op. cit.*, lect. X.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

universale *universe*, an *ex parte* solum accipiendum sit. Huiusmodi notae, uti ex iis, quae Stagirita passim scripsit, colligitur, sunt pro enunciatione universali *omnis*, πᾶς, si est *affirmans*, et *nullus*, οὐδείς, si est *negans*; pro particulari autem *aliquis*, vel *quidam*, τις, et *non omnis*, οὐ πᾶς, prout vel *affirmans*, vel *negans* est [1]. Quod si enunciatio, cuius subiectum, in se consideratum, est universale, sine nota vel universi, vel partis, ἄνευ τοῦ καθόλου ἢ κατὰ μέρος, proferatur, ipsa nec universalis, τὸ καθόλου, nec particularis, ἐν μέρει, sed *indefinita*, ἀδιόριστος, vocatur; quoties enim sine ulla nota profertur, non apparet, utrum id, quod de subiecto praedicatur, cunctis individuis notione eius comprehensis, an solum quibusdam eorum conveniat. « Sic igitur, Aquinas concludit, tria « sunt genera affirmationum, in quibus aliquid de uni- « versali praedicatur. Vna, in qua de universali prae- « dicatur aliquid universaliter, ut cum dicitur, *Omnis « homo est animal.* Alia, in qua aliquid praedicatur de « universali particulariter, ut cum dicitur, *quidam ho- « mo est animal.* Tertia vero, in qua aliquid de uni- « versali praedicatur absque determinatione universalita- « tis, vel particularitatis; unde huiusmodi enunciatio so- « let vocari *indefinita.* Totidem autem sunt negationes

---

[1]) *De interpr.*, c. 7, p. 127, ed. cit. Cons. s. Thomam, loc. cit.

[2]) *Analyt. prior.*, lib. I, c. 4, p. 151 ed. cit. Ἀδιόριστον et ἀόριστον, ut Waitzius ostendit, apud Aristotelem in eo differunt, quod illud significat id, quod certis limitibus non est circumscriptum, hoc vero, quod nullis limitibus coercetur (*Op. cit.*, vol. I, p. 383, et 384, ubi loca Aristotelis notantur). Hoc discrimen Albertus M. luculenter explicuit his verbis: « . . . infinitum dicitur a privatione « finis intus, et extra finientis, cuius ultimum non est accipere. « Indefinitum autem dicitur a privatione certificantis ipsum ad « hoc, vel illud, sicut neutrum genus dicitur indefinitum, hoc est, « incertum ad formam masculini, et foeminini: et sic dicitur pro- « positio indefinita, nec ad universale, vel particulare certificata « per signum ad alterum dictorum certificans subiecti quantita- « tem » (*In lib. I Prior. Analyt.*, tract. I, c. 3). Plures alios sensus, quos ambae voces apud Aristotelem habent, idem Waitzius exposuit, *Op. cit.*, ibid.

« oppositae . . . Si igitur tribus praedictis enunciationi-
« bus addatur singularis, erunt quatuor modi enuncia-
« tionum ad quantitatem ipsius pertinentes, scilicet *u-*
« *niversalis*, *singularis*, *indefinitus*, *particularis*[1] ».

His statutis, pronum est species enunciationis, de quibus hic agimus, definire. Omissa singulari, quae, uti ex se patet, illa est, quae aliquid uni certo individuo inesse, aut non inesse significat, universalis cum Aristotele ea dici potest, *quae quidquam omni*, *aut nulli inesse significat*, puta *omnis homo est iustus*, aut *nullus ho-*

[1]) *Op. cit.* ibid. Carolus Waddingtonus contendit nullam dari enunciationem singularem, sed omnem enunciationem esse aut universalem aut particularem, quippe quod in quantitate enunciationis dimetienda non oportet inspicere, num subiectum eius sit individuum, an species, an genus, sed, quemadmodum Aristoteles in *Anal. Prior.* scite advertit, utrum subiectum sive individuum, sive genus, sive species, *universe*, an ex *parte* accipiatur; unde voces καθόλου, et ἐν μέρει, quas Stagirita adhibuit, non *universalem*, et *particularem*, sed *totalem*, et *partialem* vertendas edixit. Hanc ob causam P. Ramum, et Auctorem *Artis cogitandi* redarguit, quod duabus enunciationibus *universali*, et *particulari* ab Aristotele enumeratis tertiam, nempe singularem adiecerint (*Essais de Log.*, Ess. III, n. 1, p. 123, et 124, Paris 1857). At in hisce omnibus vehementer erravit. Primum, si Aristoteles in *Anal. Prior.*, prout ratio syllogismi expostulabat (vid. Albert. M., In *lib. I Prior. Anal.*, tract. I, c. 3), enunciationem in universalem *universe*, et in universalem *ex parte* divisit, in lib. *De interpr.*, ut vidimus, praeter universalem, duplici hoc modo consideratam, singularem recensuit. Hanc triplicem divisionem omnes Interpretes, et Scholastici, uti ex dictis etiam patet, amplexati, et tuiti sunt; unde ipsam Ramo, et Auctori *Artis cogitandi* per summam ignorantiam Waddingtonus tribuit. Tum, quoniam « est de ratione individui, uti s. Thomas ait (3, q. LXXVII, a. 2 c.), quod non possit in pluribus esse », profecto fieri non potest, ut individuum *universe*, aut *ex parte* accipiatur. Quapropter aut negandum est dari enunciationes, quarum subiectum est individuum, aut enunciationes singulares admittendae sunt. Horum cum primum Waddingtonus non neget, alterum fateatur necesse est. Denique nemo sibi facile persuadebit Waddingtonum indolem cum graecae, tum latinae linguae melius novisse quam Apuleium, et Boëtium (*Opp. citt.*, ll. citt.), necnon alios latinos, qui καθόλου, *universale*, et ἐν μέρει, *particulare*, verterunt.

mo est lapis; particularis autem, *quae aliquid alicui, aut alicui non, seu non omni inesse denotat*, e. g. *aliquis est iustus*, aut *aliquis homo non est iustus*, sive *non omnis homo est iustus: indefinita* demum, *quae aliquid inesse, aut non inesse significat, omissa universi, aut partis nota*[1], uti *homo est animal*, aut *homo non est sapiens*. Recentes Scholastici aiunt enunciationem universalem esse illam, quae nota quadam universali afficitur: particularem, quae particularem notam prae se fert; indefinitam, cuius subiectum est universale, sed nulla nota affectum; singularem denique, cuius subiectum est singulare.

Quandoquidem enunciatio indefinita certum, et definitum conceptum non significat, non iniuria Trendelenburgius in laudatum locum Aristotelis scripsit formam, seu modum enunciationis indefinitae non esse vere logicum, quippe quod partes enunciationis secundum logicum, uti ostensum est, certos, et determinatos conceptus intellectus significare debent. « In quo eloquendi « modo, ait, quoniam utrum universum genus, an ge- « neris pars intelligendum sit, desideratur, minus certa « differentia, quam laxa quaedam dicendi libertas cer- « nitur, ut hanc logica formam quasi propriam iure « suo non receperit[2] ». Re sane vera, ille modus enunciationis stricto sensu logicus dici nequit, in quo non apparet, quaenam sit quantitas enunciationis. Atqui huiusmodi est modus, qui dicitur indefinitus. Nam, cum subiectum universale enunciationis indefinitae nulla nota afficiatur, inde non patet, utrum praedicatum subiecto secundum quamlibet, an solum secundum aliquam partem ipsius insit: quocirca ad quantitatem eius dignoscendam opus est notiones subiecti, et praedicati scrutari, et perspicere, utrum praedicatum ad essentiam sub-

---

[1]) *Analyt. prior.*, lib. I, c. 1, vol. I, p. 146, ed. cit. Digni sunt, qui hac de re legantur Albertus M., et s. Thomas, *Op. citt.* ibid.

[2]) *Elem. log.*, § 6, p. 61.

iecti pertineat, ideoque cunctis individuis eius ambitu comprehensis insit, an sit accidens eius, ob idque quibusdam individuis solum conveniat. Ita, nos cognoscere non possumus harum enunciationum, *homo est animal*, et *homo est philosophus*, primam esse *universalem*, et alteram *particularem*, nisi postquam *esse animal* ad essentiam hominis, et *esse* sapientem ad accidentia eius pertinere compertum nobis fuerit [1]. Liquet igitur enunciationem indefinitam non esse stricto sensu logicam. Nihilominus hoc genus enunciationis esse omnino futile pu-

---

[1]) S. Augustinus, sacras Litteras exponens, saepe advertit, quoties aliquid de subiecto universali *indefinite*, hoc est, sine nota universi, aut partis, praedicatur, necesse esse, ut praedicatum, si non *universe*, saltem *ex parte* subiecto conveniat. Ita, explicans illud I. Christi apud Matth. (c. XII, v. 31), *Spiritus autem blasphemia non remittetur*, ait: « Ista ergo sententia ex toto, id est, universaliter « pronuntiaretur, si diceretur, Omnis blasphemia Spiritus non re- « mittetur.... Ex parte autem, id est, particulariter pronuntiare- « tur, si diceretur, Quaedam blasphemia Spiritus non remittetur, « Quia ergo nec universaliter, nec particulariter enuntiata sen- « tentia est (non enim dictum est, Omnis blasphemia Spiritus; aut « quaedam blasphemia; sed tantummodo indefinite dictum est, « *Spiritus blasphemia non remittetur*...); non est necesse, ut omnem « blasphemiam, vel omne verbum intelligamus, sed necesse est « plane, ut quandam blasphemiam, et quoddam verbum voluerit « intelligi Dominus » (*Serm.* LXXI, c. 6, n. 10). Alterum exemplum attulit, ubi explicuit illa verba I. Christi apud Ioann., *Si non venissem, et locutus fuissem, peccatum non haberent*. Inquit enim: « Cum ergo ipse etiam alibi dicat, *Non veni vocare iustos, sed pec- « catores* (Matth. IX, 13); quomodo si non venisset, peccatum non « haberent, nisi quia sententia ista nec universaliter, nec particu- « lariter, sed indefinite pronuntiata non omne peccatum cogit in- « telligi?.... Non ergo ait, Si non venissem, et locutus fuis- « sem eis, nullum peccatum haberent; ne Veritas mentiretur. Nec « rursus definite dixit, Si non venissem, et locutus fuissem eis, « quoddam peccatum non haberent: ne pium studium parum exer- « ceretur.... Quia ergo non est dictum, Peccatum nullum habe- « rent, non perturbemur, cum peccatores Iudaeos, etiamsi Domi- « nus non venisset, agnoscimus. Sed tamen, quia dictum est, *Si « non venissem, peccatum non haberent*; inde necesse est, etiamsi « non omne, aliquod tamen eos, ex adventu Domini, quod non ha- « bebant, contraxisse peccatum »; *Serm.*, cit., c. 7, n. 11.

tandum non est. Philippus Melanchtonus, qui acuti, et elegantis peripatetici nomen inter Protestantes habuit, duos veros, utilesque usus enunciationis indefinitae adnotavit. Quorum primus est, quoties subiectum universale *absolute*, nempe non relatum ad ea, quae ipsi subiiciuntur, consideramus, puta *virtus est sibi praemium*; alter autem, cum praedicatum, si non omnibus, certe plerisque individuis, quae notione subiecti continentur, inesse significatum volumus, puta *Cretenses sunt mendaces*, aut *Matres liberis nimium indulgent*, aliaeque id genus multae [1].

Quod ad enunciationem universalem attinet, quaedam de ea monere par est, ne enunciationes universales stricte, et proprie sumtae cum aliis, quae latiori sensu universales dicuntur, confundantur. Atque in primis, universalis illa enunciatio etiam dicitur, in qua aliquid praedicatur non de omnibus individuis cuiusdam generis, aut speciei, sed de quibusdam individuis vel omnium specierum, quae alicui generi, vel omnium generum, quae uni superiori generi subiiciuntur. Ita, cum *omne animal in arca Noëtica fuisse* in ss. Litteris dicitur, haec enunciatio non significat omnia, et singula individua cuiusque generis animantium, sed quaedam individua omnium et singulorum generum in arca noëtica fuisse, ita ut universalitas eius non ad omnia individua, quae diversis generibus animantium, sed ad omnia diversa genera a-

---

[1]) *Dialectica*, p. 118, Vittembergae 1530. Recentes Philosophi docent, cum praedicatum non omnibus, sed plerisque individuis notione subiecti comprehensis, convenit, universalitatem enunciationis *moraliter* accipi, quia huiusmodi enunciationes in rebus, quae ad mores hominis spectant, adhiberi solent. Huiusmodi illam Horatii esse observant:

« Omnibus hoc vitium est cantoribus inter amicos,
Vt nunquam inducant animum cantare rogati,
Iniussi nunquam desistant »; *Satyr.* lib. II, Sat. 3, v. 1 sqq.

In sacris Litteris non est infrequens harum enunciationum usus, puta, ubi *Psal.* XIII, 3, dicitur: *Omnes inutiles facti sunt*. Cf s. Aug., *Op. imperf. cont. Iul.* c. 175.

nimantium, quibus individua subiiciuntur, referatur. « Isto loquendi modo, ut alterum exemplum a s. Augustino petamus, et Dominus usus in Evangelio, ubi ait Pharisaeis: *Decimatis mentam, et rutam, et omne olus*. Neque enim Pharisaei et quaecumque aliena, et omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant [1] ».

Est etiam alia imperfecta species enunciationis universalis, in qua aliquid non de singulis individuis subiecti notione contentis, sed de cunctis, quae subiectum complectitur, praedicatur, e. g. *Omnes Apostoli sunt duodecim*. Hinc enunciatio universalis in *distributivam*, et in *collectivam* a Scholasticis divisa fuit. Nomen enunciationis *distributivae* datum est duabus prioribus enunciationibus, quas ante exposuimus, quippe quod in illis praedicatum vel in singula individua aliquo genere contenta, vel in aliqua individua singulorum generum *distribuitur* [2]; *collectivae* nomen vere tertiae enunciationi, quam modo innuimus, quia in hac praedicatum individuis, quae subiectum complectitur, non seorsum, sed simul sumtis, seu *collectis* convenit.

Quae hactenus exposuimus, ad enunciationes categori-

---

[1]) *Enchir.*, c. 103, n. 27. Huiusmodi quoque sunt enunciatio, quae *Exod.* c. XXXII, v. 26 legitur: *Omnes filii Levi congregati sunt*, aliaeque multae. Vid. laudatum Doctorem, *Op. imperf. cont. Iul.*, lib. IV, c. 124.

[2]) Hanc divisionem enunciationis s. Thomas innuit, ubi dixit distributionem in enunciatione universali posse fieri vel *pro singulis generum*, vel *pro generibus singulorum*. Ad id declarandum iuvat locum exscribere, in quo exponens diversas sententias Patrum de interpretatione illorum verborum Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, inquit: « Secundo potest intelligi, ut fiat distributio pro generibus singulorum, et non pro singulis generum, secundum hunc sensum: Deus vult de quolibet statu hominum salvos fieri, mares, et foeminas, Iudaeos, et Gentiles, parvos, et magnos; non tamen omnes de singulis statibus »; I, q. XIX, a. 6 ad 1. Cf s. Aug., *Enchir.*, loc. cit., necnon *De nat. grat. cont. Pel.*, c. 41, n. 48.

cas in universum spectatas pertinet. At harum, ut diximus, aliae efficiuntur ex uno nomine, et uno verbo, aliae vero ex pluribus nominibus, et pluribus verbis, quae unum significant. Quocirca enunciationes categoricae in *simpliciter* unas, et in *secundum quid*, κατά τι, unas dividuntur. Illa sunt, quarum tam subiectum, quam praedicatum unica voce significantur; haec autem, in quibus vel subiectum, vel praedicatum, vel utrumque pluribus vocibus significantur. Quod ad enunciationes categoricas simpliciter unas attinet, nihil iam dictis adiicere opus nobis est; nam, quandoquidem in ipsis unum nomen, et unum verbum sunt, quorum utrumque unum significat, nemini dubium esse potest, quin ipsae unum conceptum complexum intellectus denotent. At breviter declarandum nobis est, quomodo enunciatio, cuius vel subiectum, vel praedicatum, vel alterutrum ex pluribus vocibus constat, una esse queat; nam, quoniam cuiuslibet vocis propria significatio est, enunciatio, cuius vel praedicatum, vel subiectum, vel utrumque plures voces efficiunt, una dici non posse videtur. Ad huius rei intelligentiam illud nobis in memoriam revocemus, quod in *Introductione* statuimus, scilicet primum fontem Logicae esse naturas rerum; si quidem logicus non potest faciliter, et perfecte cognoscere ordinem, quem intellectus ad scientiam rerum assequendam inter conceptus suos ponere debet, nisi ex ipsa contemplatione rerum adiuvetur. Iam, quandoquidem unaquaeque rerum, quae in natura sunt, quemadmodum in *Idealogia* ostendemus, *una* est, omnis enunciatio una sit oportet, quia omnis enunciatio aliquid, prout alicui inest, significat. Verum, quoniam unumquodque eorum, quae sunt, uti egregie s. Augustinus observavit [1], vel est unum per se, vel unum ob concordiam partium, ex quibus constat, consequitur necesse non esse, ut omnis enun-

[1]) « Nihil, ait, est esse, quam unum esse....nam simplicia per se « sunt, quia una sunt: quae autem non sunt simplicia, concordia « partium imitantur unitatem »; *De morib. Manich.*, lib. II, c. 6, n. 8.

ciatio sit per se, sive *simpliciter* una, sed ipsam esse posse unam vel *simpliciter*, vel *secundum quid*, prout conceptus, quos subiectum, et praedicatum significant, vel sunt simplices, vel ex simplicibus conceptibus componuntur. Apposite s. Thomas: « Enunciatio quaedam « est una simplex, quaedam est coniunctione una. Sic- « ut etiam in rebus, quae sunt extra animam, aliquid « est unum simplex, sicut indivisibile, vel continuum; « aliquid est unum colligatione, compositione, aut or- « dine. Quia enim ens, et unum convertuntur, necesse « est, sicut omnem rem, ita omnem enunciationem « aliqualiter esse unam [1] ».

Illud diligenter advertendum est cum Alberto M., et s. Thoma, quorum loca ante adduximus [2], unum, vel plures conceptus, qui conceptui per nomen, aut per verbum significato adduntur, tum solum cum nomine, aut verbo unum subiectum, aut unum praedicatum efficere, cum ipsi ad conceptum, quem nomen, aut verbum significant, perficiendum concurrunt. Hinc s. Thomas docuit unitatem absolutam enunciationis neque per compositionem, quae verbo continetur, neque per plura nomina, quae subiectum efficiunt, tolli. Etenim praedicatum ad subiectum, et plura nomina, quae primo adduntur, ad primum, tanquam forma ad materiam, se habent; si quidem subiectum per accidens, quod verbum ad ipsum refert, et substantia, quam primum nomen significat, per proprietates, quas nomina ei addita denotant, determinantur [3]. Atqui ex materia, et forma aliquid simpliciter unum efficitur. Ergo, quemadmodum subiectum, et praedicatum, ita plura nomina, quae essentiam subiecti, aut praedicati componunt, unitatem absolutam enunciationis non tollunt.

---

[1]) *In lib. I Periher.*, lect. VIII.
[2]) Pag. 72 et 73. — [3]) *Op. cit.*, lect. VIII.

ARTICVLVS SEPTIMVS

De enunciationibus hypotheticis

Enunciationibus *categoricis* expositis, ad *hypotheticas*, seu coniunctione unas declarandas accedamus. Aristoteles has, uti vidimus, innuit quidem, sed minime explicuit; nam, cum in *Analyt.*, ut infra dicemus, de solo syllogismo, qui *categoricus* deinde vocatus fuit, tractare sibi proposuisset [1], non de aliis enunciationibus, quam quae syllogismum categoricum efficiunt, in *Interpr.* disserere debuit [2]. At Stoici, post Theophrastum, et Eudemum discipulos Aristotelis [3], et Megaricos cum in syllogismis hypotheticis exponendis non mediocrem operam navassent, de illis ex industria tractarunt, eorumque doctrinam omnes Interpretes Aristotelis, et praesertim Boëtius diligenter evolverunt. Verum, hac de re plura, ubi de syllogismo hypothetico agemus, dicturi, in praesentia naturam enunciationis hypotheticae diligentius exponamus, eiusque diversas species enumeremus oportet.

Vt notio enunciationis hypotheticae planior fiat, advertendum est ipsam a categorica differre, quod huius partes sunt nomen, et verbum, illius autem sunt cate-

---

[1]) Vid. s. Thom., *Op. cit.*, lect. I.

[2]) Divisio enunciationis in *categoricam*, et *hypotheticam* apud Aristotelem nuspiam invenitur. Nec quemquam moveat, quod ipse προτάσεως κατηγορικῆς mentionem fecit (*Anal. prior.*, lib. I, c. 2, ed. cit.); si quidem, inter omnes eruditos convenit, per κατηγορικὴν, intelligit illam enunciationem, quam καταφατικὴν, *affirmantem*, plerumque vocat. Cuius rei illud firmo, et evidenti argumento est, quod propositionem *categoricam neganti*, ἀποφατικῇ, constanter opposuit. (Cf Trendel., *Elem. log.*, § 14, p. 75 ed. cit.) Oppositio enunciationis categoricae, et hypotheticae, λόγου κατηγορικοῦ, et ὑποθετικοῦ graecis interpretibus debetur, inter quos videre licet Ammonium, *Schol.*, ed. Brandis, p. 110, 631, et 35.

[3]) Cons. Boëtium, *De syllogismo hypothetico*, lib. I, p. 606, ed. cit.

goricae enunciationes, quarum secunda per aliquam coniunctionem ad primam refertur. Quocirca coniunctio, ut a Boëtio scite observatum fuit, in enunciatione hypothetica eodem officio, ac verbum *est* in enunciatione categorica, fungitur. Nam, quemadmodum in enunciatione categorica, per verbum *est* aliqua proprietas, vel accidens, quod cum ipso verbo praedicatum efficit, ad subiectum refertur, sive, uti Albertus M. aiebat, *retorquetur*; ita in hypothetica per aliquam particulam coniungentem una enunciatio ad aliam retorquetur. E. g. in hac enunciatione hypothetica, *Si dies est, lux est*, coniunctio *si* enunciationem, *lux est*, ad aliam, *dies est*, retorquet, quippe quod ipsa veritatem illius a veritate huius pendere significat. « Cum enim, scribit, dico, dies « est, vis tota in verbo est. Si autem cum coniunctio- « ne proferam, si dies est, tota vis in coniunctione « consistit [1] ».

Iamvero, inde primo perspicitur omnem enunciationem hypotheticam re ipsa esse unam, quia unum, non plura significat. Re vera, enunciatio hypothetica non significat ea, quae enunciationes categoricae ipsam componentes denotant, sed duntaxat *consequentiam*, seu, si ita loqui fas est, *dependentiam*, quae inter categoricas intercedit. Atqui consequentia, seu dependentia nonnisi tanquam unum intelligitur. Enunciatio hypothetica igitur unum, non vero plura significat. Vt idem exemplum urgeamus, illa enunciatio, *Si dies est, lux est*, non significat, nec *diem esse*, nec *lucem esse*, sed tantum connexionem harum duarum enunciationum categoricarum *dies est*, et *lux est*. « Est autem, ait laudatus Boëtius, « praeter has alia composita oratio ex propositionibus « coniunctione coniunctis, unam significans rem, ut cum « dico: Si dies est, lux est. Duae enim propositiones « quidem sunt istae, dies est, lux est, si coniunctione « copulantur, sed haec oratio non significat multa, ne-

---

[1]) *In lib. Arist. De interp.* ed. 2, lib. I, p. 327.

« que enim diem esse, et lucem proponit esse, sed si « dies est, lucem esse. Quocirca significat consequentiam « quamdam, non existentiam propositionis: non enim « dicit utrasque esse, sed si una est, aliam consequi, « quod utrumque in unam quodammodo intelligentiam « congruit [1] ».

Secundo, illud quoque patet, essentiam enunciationis hypotheticae, seu *conditionalis*, quae coniunctione est una *in conditione*, et essentiam categoricae, seu *praedicativae*, *in sola praedicatione* positam esse; si quidem enunciatio hypothetica non praedicat, quemadmodum categorica, aliquid de aliquo, sed conditionem significat, ex qua, utrum necne aliquid de aliquo praedicari queat, intelligi potest. « Primum igitur, idem Boëtius scribit, dicendum « est, quod praedicativa propositio vim suam non in con- « ditione, sed in sola praedicatione constituit. In con- « ditionali vero consequentiae ratio ex conditione su- « scipitur [2] ». Hinc ambas enunciationes definivit his verbis: « Praedicativa est, in qua aliud praedicatur de « alio, hoc modo: homo animal est. Hic enim animal « de homine praedicatum est. Hypothetica est, quae cum « quadam conditione denuntiat esse aliquid, si fuerit « aliud, veluti cum ita dicimus: Si dies est, lux est [3] ».

Inde tertium fluit, scilicet veritatem, aut falsitatem enunciationis hypotheticae non in eo consistere, quod enunciationes simplices, quae ipsam componunt, sunt verae, aut falsae, sed in eo quod in ipsis aliquid re ipsa est, vel non est, per quod ita inter se coniunguntur, ut unam enunciationem efficiant. Enimvero, quandoquidem essentia enunciationis hypotheticae non consistit in eo, quod aliquid alicui inesse, aut non inesse, sed in eo, quod unam enunciationem ab alia

---

[1]) Loc. cit.

[2]) *De syllogismo hypoth.*, lib. I, p. 606, et 607. « Dicendum, s. « Thomas tenet, quod haec coniunctio *si*. . potest importare ordi- « nem consequentiae »; *Quodlib.* V, a. 4 c.

[3]) *De syllog. hypoth.*, ibid.

pendere, aut quolibet alio modo cum alia coniungi significat, consequens est enunciationem hypotheticam esse semper veram, quoties inter enunciationes simplices ipsam constituentes illa coniunctio, quam ipsa significat, re ipsa intercedit, et semper esse falsam, quoties illa coniunctio, seu vinculum desideratur. E. g., haec enunciatio, *si dies est, lux est*, est vera, quia dies in causa est, cur lux sit, sed haec alia, *si nox est, pluit*, est falsa, etiamsi rei ipsa nocte pluat, quippe quod, cum possit esse nox, quin pluat, secunda enunciatio a prima non pendet. Id Boëtius quoque advertit, quippe qui ait: « Veritatis enim, aut falsitatis rationem sola coniunctio tenet, quae conditionem proponit; cum dicit, si « dies est, lux est, si enim illud est, illud evenit [1] ». Quem secutus s. Thomas inquit: « Hypothetica enunciatio non continet absolutam veritatem. . . sed significat aliquid verum esse ex suppositione [2] ».

Quarto, perspicuum etiam est in enunciatione hypothetica haud declarari, utrum aliquid alicui insit, necne, sed aliquid dumtaxat sumi, hoc est, ut Scholae aiunt, aliquam *suppositionem*, ὑπόθεσιν, fieri, quia ipsa, uti ex Boëtio vidimus, consequentiam, non existentiam enunciationum, ex quibus constat, significat. Vnde illud in proloquio apud Scholasticos fuit, *conditionalis nihil ponit in esse*. E. g., hae duae enunciationes, *Si dies est, lux est*, aut, *si dies est, non est nox, lucem*, aut *noctem*, nec esse, nec non esse, sed aut esse, aut non esse significant. Ex quo perspicis enunciationem hypotheticam non esse enunciationem perfectam. Nam, quoniam natura enunciationis in eo posita est, ut aliquid alicui inesse, aut non inesse significet, perfecta enunciatio ea dici non potest, quae neutrum definit, sed alterutrum incertum relinquit [3].

---

[1]) *Op. cit.*, ibid. — [2]) *In lib. I Periher.*, lect. I.

[3]) Hoc profecto in causa fuit, quare Aristoteles enunciationes hypotheticas non explicaret. Nam, cum ipse, observante s. Thoma (*Op. cit.*, lect. I), de enunciatione, prout demonstrationi, seu syllo-

Quinto demum advertendum est, quoniam enunciatio hypothetica non constat ex subiecto, et praedicato, sed ex enunciationibus, ipsam per se, nempe prout est hypothetica, non esse universalem, aut particularem, aut singularem, propterea quod triplex haec divisio enunciationis, uti ostensum est, a natura subiecti oritur.

His ad notionem enunciationis hypotheticae declarandam praestitutis, diversas eius species breviter exponendas suscipimus. Tres praecipuae a Stoicis enumeratae sunt, scilicet *connexa*, *coniuncta*, et *disiuncta*, quippe quod tres sunt praecipui modi, quibus enunciationes simplices secum coniungi possunt. Enunciatio *connexa*, seu, ut Cicero ait[1], *connexum*, τὸ συνημμένον, ea dicitur, in qua simplices enunciationes constant per coniunctionem *si*, vel *siquidem*, διὰ τοῦ εἰ ἤ εἴπερ συνδέσμου; puta *si dies est*, *lux est*, aut *lux est*, *si quidem dies est*. Ex duabus enunciationibus connexum efficientibus illa, quae post coniunctionem *si*, εἰ, vel *si quidem*, εἴπερ, collocatur, *antecedens*, ἡγούμενον, vel *primum*, πρῶτον, vocatur; illa autem, quae sine coniunctione est, *consequens*, seu *desinens*, λῆγόν, vel *secundum*, δεύτερον, dicitur[2]. Ipsae autem, ut a Stoicis observatum est, has de-

---

gismo demonstrativo conficiendo inserviit, tractare decrevisset, de perfecta enunciatione disseruit, quia haec sola syllogismi demonstrativi, qui scientiam gignit, pars esse potest. E contrario, doctrina de enunciatione hypothetica, nec non de syllogismo, qui ab eiusmodi enunciationibus componitur, a Stoicis, qui argutiarum logicarum studiosi erant, et a Megaricis, qui ἐριστικοί, *litigiosi*, nuncupabantur (Laert., lib. II, segm. 106), praesertim exculta fuit, quia ipsa ad argutias concinnandas, litesque movendas magno usui erat.

[1]) *Acad.*, lib. II, c. 30, *Opp. phil.*, ed. I. A. Ernestus, t. I, p. 71, Rotterodami 1804. Aulus Gellius illud *adiunctum* quoque vertit, *Noct. Att.*, lib. XVI, c. 8, Lugduni Batavorum 1706.

[2]) Audiatur Sextus Empir.: « Ex iis autem pronuntiatis, quae « sunt in connexo, id, quod est collocatum post coniunctionem *si*, « aut consecutionem *si quidem*, vocatur antecedens, et primum, re- « liquum autem desinens, seu consequens, et secundum, etiamsi « inverso ordine efferatur totum pronuntiatum, utpote sic, lux est, « si quidem dies est; etenim in eo desinens seu consequens quidem

nominationes semper retinent, quocumque ordine efferantur. Namque enunciatio, cui coniunctio adiicitur, *antecedens*, vel *primum* dicitur, non quod primo loco collocatur, sed quod in causa est, aiente s. Bonaventura[1], cur consequens existat; causam autem esse effectu, saltem natura, priorem intelligimus, licet prius effectum, quam causam, plerumque cognoscamus [2].

Iam, ex iis, quae de enunciatione hypothetica universe spectata statuimus, patet connexum esse *verum*, ἀληθὲς, seu *bonum*, ὑγιὲς, vel *falsum*, ψεῦδος, seu *vitiosum*, μοχθηρὸν, non cum antecedens, aut consequens sunt vera, aut falsa, sed cum *cohaerentia*, συνάρτησις, aut *inchoaerentia*, διαρτησις, inter antecedens, et consequens est [3]. Id s. Thomas nos docuit, cum secundum Stoicos ait: « Ad veritatem conditionalis non requiritur neque « veritas antecedentis, neque consequentis, sed necessaria « habitudo unius ad alterum [4] ». Hinc connexum, ut scite s. Augustinus post antiquos advertit, potest esse bonum, etiamsi enunciationes, ex quibus constat, sint falsae, et esse falsum, etiamsi enunciationes, sint verae, quia, cum « sint verae connexiones non solum verarum, sed etiam « falsarum sententiarum [5] », connexum non solum inter veras, sed etiam inter falsas enunciationes existere potest. Puta, hoc connexum, *si cerebrum cogitat, aliqua materia cogitat*, est verum, licet et cerebrum, et materiam cogitare falsum sit; si quidem, cum cerebrum re ipsa quae-

---

« appellatur illud, lux est, etiamsi primo pronuntietur: antece- « dens autem hoc, dies est, etiamsi secundo loco dicatur, propterea « quod sit collocatum post coniunctionem *si quidem* »; *Advers. Logic.*, lib. VIII, sect. 110.

[1]) « Antecedens est causa consequentis »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVIII, a. 1, q. 2 *ad arg.*

[2]) De vocum graecarum, quas adhibuimus, usu, et vi consulendus est Sextus Empir., *Pyrr. Hypot.*, lib. II, c. 11, et 13 passim, et *Advers. Log.*, lib. VIII, sect. 108 sqq.

[3]) *Pyrr. Hypot.*, lib. II, c. 11, sect. 114.

[4]) *In lib. III Sent.*, Dist. XII, q. II, a. 1 *sol.*

[5]) *De Doctr. Christ.*, lib. II, c. 31, n. 49.

dam materia sit, profecto omne id, quod de cerebro asseritur, aut negatur, de aliqua materia asseritur, aut negatur. E contrario, quamvis verum sit hominem esse tum animal, tum ratione praeditum; tamen falsum est hoc connexum, *si homo est animal*, *ratione pollet*, quia homo non pollet ratione ex eo quod est animal [1]. « Nil « prohibet, idem Aquinas subdit, conditionalem esse ve- « ram, licet antecedens, et consequens sint impossibilia, « ut patet in hac : Si homo volat, habet alas [2] ».

Quod si certum est *cohaerentiam*, συνάρτησιν, sive, ut apud eumdem Sextum legitur, *consequentiam consequentis ad antecedens*, τὴν ἀκολουθίαν τοῦ λήγοντος πρὸς τὸ ἡγούμενον, efficere veritatem enunciationis connexae, inquirere oportet, undenam haec cohaerentia, seu consequentia diiudicanda sit. Veteres Logici, cum naturam connexi in connexione consequentis cum antecedente concorditer agnoscerent, in criteriis connexionis statuendis valde dissenserunt. « Nam, Sextus inquit, communiter quidem di- « cunt omnes Dialectici rectum esse connexum, quan- « do id, quod in eo est consequens, sequitur ex eo, quod « est in illo antecedens, quando autem, et quemadmo- « dum sequatur, inter se dissident; et inter se pugnantia « criteria statuunt, quibus aiunt iudicari consequentiam [4] ». Chrysippus, quem non solum Stoici, sed etiam Philo, quartae Academiae auctor [5], secuti sunt, docuit con-

---

[1]) *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. I, a. 6 ad 3; cf I, q. XXV, a. 3 ad 2.

[2]) « . . . videtur autem, Sextus ait, (*connexum*) profiteri eius- « modi pronuntiatum, id, quod est in ipso secundum ac conse- « quens, sequi id, quod est in ipso primum seu antecedens, ita ut « si sit antecedens, futurum sit etiam consequens. Vnde, si ea qui- « dem servetur professio, et consequens sequatur ex antecedente, « fit verum etiam connexum, sin autem non servetur, falsum »; *Advers. Log.*, lib. VIII, sect. 111.

[3]) *Pyrr. Hypot.*, lib. II, c. 11, sect. 114.—[4]) *Op. cit.*, ibid., sect. 112.

[5]) Cicero scripsit aliud de hac re Philonem, aliter autem Chrysippum decrevisse. « In hoc ipso, inquit, quod in elementis diale- « ctici docent, quo modo iudicare oporteat verum, falsumne sit, « si quid ita connexum est, ut hoc: *Si dies est, lucet*; quanta con- « tentio est! Aliter Diodoro, aliter Philoni, Chrysippo aliter pla-

nexionem inter antecedens et consequens existere, 1° cum connexum incipiens a vero desinit in verum, puta *si dies est, lux est*, 2° cum incipit a falso, et desinit in falsum, e. g., *si terra volat, alata est terra*; 3° cum incipit a falso, et desinit in verum, veluti *si volat terra, est terra*; tum vero dumtaxat esse falsum, cum incipit a vero, et desinit in falsum, puta *si est terra, volat terra* [1]. At nemo non videt falsa esse haec indicia, quae Chrysippus ad veritatem, aut falsitatem enunciationis connexae dignoscendam exposuit. Nam, quoniam veritas omnis enunciationis hypotheticae, ut dictum est, non ex veritate enunciationum, quae ipsam componunt, sed ex veritate connexionis earum efficitur, liquet 1° connexum posse esse falsum etiamsi enunciationes, ex quibus efficitur, sint ambae verae, aut ambae falsae, idque semper evenire, cum veritas, aut falsitas antecedentis non est causa veritatis, aut falsitatis consequentis; 2° quemadmodum falsum est, Chrysippo docente, con-

---

« cet » (*Acad.*, lib. II, c. 47, p. 96, ed. Ernest.). At memoria deceptus fuisse videtur; namque simillima sunt, quae Sextus Empir. utrique tribuit cum in *Instit. Pyrrhon.* (lib. II, c. 11, sect. 106, et 110), tum maxime *Advers. Log.* (lib. VIII, sect. 113, et 114). Falsus porro est Tennemanus (*Manuale* etc., part. I, period. I, c. 2, § 4, vol. I, p. 155, Napoli 1855), quod hunc Philonem Megareum ab Academico distinxit; si quidem nonnisi unum Zenonem, Diodori Croni coaevum, ab antiquis commemoratum invenimus (Cicer., *Acad.*, lib. II, c. 6, p. 31 ed. cit., et Numen. apud Euseb., *Praep. Evang.*, lib. XIV, c. 4), eumque successorem Clitomachi, quartaeque Academiae auctorem fuisse legimus (Sext. Empir. *Pyrr. Hypotyp.*, lib. I, c. 33, sect. 220; cf I. Alb. Fabric. in h. l., vol. I, p. 96, not. n, et o, Lipsiae 1840). Quapropter Aegidio Menagio assentimur opinanti Philonem in primis Diodorum Cronum Megareum audivisse, deinde eius adversarium, et in Academia successorem Clitomachi extitisse (Ap. Laert. lib. VII, segm. 16, *Observ.*, p. 273 ed. cit.). Consulere e re est Mallet, *Histoire de l'école de Mégare, et des écoles d' Élis, et d' Érétrie*, Ecol. de Mèg., c. 12, p. 105, not. 3, Paris 1845.

[1]) Vid. Sext. Emp. *Pyrrhon. Hypotyp.*, lib. II, c. 11, sect. 105; cf eiusdem *Advers. Log.*, lib. VIII, sect. 113, et 114.

nexum, quod incipit a vero, et desinit in falsum, ita esse quoque falsum connexum, quod incipit a falso, et desinit in verum, quia sicut falsum a vero, ita verum a falso oriri nequit.

Vt trium priorum modorum, quos Chrysippus pro veris habuit, falsitatem exemplis illustremus, vitiosum est, ut vidimus, illud connexum, *si homo est animal, cogitat*, quippe quod hominem esse animal non est causa, ob quam ipse cogitat; vitiosum est etiam hoc, *si terra volat, cogitat*, quia, etsi perinde falsum sit terram volare, ac terram cogitare, tamen primum non ideo est falsum, quod falsum est secundum; falsum denique est illud Chrysippi, et Philonis, *si terra volat, terra est*, quia, quamvis verum sit terram esse, id tamen non ex eo repetendum est, quod ipsa volat.

Quoniam adeo incerta, immo falsa sunt iudicia, quae Stoici proposuere, ea refellere Sexto Empirico, Scepticorum teterrimo, haud difficile fuit. Accommodatius criterium Diodorus Cronus proposuit. Hic Chrysippo obiecit non esse bonum omne connexum, quod incipit a vero, et non desinit in falsum, contenditque connexum tum solum esse verum, cum « neque unquam contigit, ne- « que potest contingere, ut bonum connexum incipiat « a vero, et in falsum desinat [1] », hoc est, quod non modo non desinit in falsum, sed ne fieri quidem potest, ut in falsum desinat. Re vera, ipse subdit, illud connexum Philonis: *Si dies est, ego disputo*, « falsum « videtur, quia, die quidem existente, me autem tacere « incipiente, a vero incipiens in falsum desinit [2] ». At, quamvis hoc criterium sit certum, tamen non est satis luculentum, quia causam non explicat, quare verum sit illud connexum, quod a vero incipiens in falsum nunquam desinere possit. Hanc causam feliciter perspexisse nobis videntur illi Logici, qui, ut a Sexto Empirico traditum est, docuerunt criterium *cohaerentiae*, seu con-

---

[1]) *Pyrrh. Hypotyp.*, lib. II, c. 11, sect. 110. — [2]) *Ibid.*

nexionis, ex qua veritas connexi efficitur, esse hoc, cum id, quod repugnat consequenti, antecedenti etiam adversatur [1]; si quidem, quoties oppositum consequentis antecedenti adversatur, fieri non potest, ut, existente antecedente, consequens non existat. Ita bonum est illud connexum, *si dies est, lux est*, quia, cum *tenebrae*, quae luci opponuntur, diei quoque adversentur, haud possibile est, existente die, non lucem, sed tenebras existere. Ex quo vides criterium *incohaerentiae*, ob quam connexum est falsum, esse hoc, cum oppositum consequentis antecedenti non repugnat. Etenim, si id, quod consequenti repugnat, non repugnat etiam antecedenti, necesse non est, ut, existente antecedente, consequens quoque existat. Ita, ob defectum cohaerentiae, παρὰ διάρτησιν, vitiosum est illud Philonis *si dies est, ego disputo*, quia, cum τὸ *tacere*, quod τῷ *disputare* opponitur, *nocti* non opponatur, necesse non est, ut, existente die, ego disputem, sed fieri potest, ut, antequam dies cesset, ego a disputando desistam. Duplex hocce criterium, ex quo veritas, aut falsitas connexi dignoscitur, s. Thomas probavit, hisque paucis exposuit: « Contrarium antecedentis nullo modo potest stare cum « consequente. . . ; unde hoc accidere necesse est in « qualibet conditionali, si vera sit. . . ; et si hoc non « inveniatur in conditionali, nullo modo erit vera; unde et haec conditionalis est falsa: Si sol movetur, arbor floret [2] ».

Enunciatione connexa, quae inter hypotheticas potior est, satis, superque explicata, coniunctam, et disiunctam breviter exponemus. Coniuncta enunciatio, seu coniunctum, συμπλοκή, est, in qua enunciationes simplices per negationem coniunguntur, puta, *non dies*

---

[1]) « At, Sextus inquit, qui cohaerentiam connexionis iubent re« spicere, minime vitiosum connexum esse aiunt, cum id, quod « oppositum est consequentis, antecedenti connexi adversatur »; *Ibid.*, sect. III.

[2]) *Qq. dispp., De Verit.*, q. II, a. 12 ad 7.

est, et nox est, vel non est mortuus Plato, et vivit Plato [1]. Stoici, ut apud Ciceronem legitur, ad coniunctum significandum usi sunt hoc loquendi modo : *non hoc, et illud* [2]. Iam liquet coniunctum tum esse verum, seu bonum, cum enunciationes, ex quibus constat, sibi invicem opponuntur, ita ut una existere nequeant; secus esse falsum, seu vitiosum, nam, si sibi invicem non opponantur, fieri potest, ut simul existant. Ita vera sunt coniuncta, quae, exempli gratia, adduximus, quippe quod nox, et dies nec non vita, et mors eiusdem individui, cum sibi invicem adversentur, simul esse nequeunt. Contra ea, falsum est hoc coniunctum, *non legit Plato, et ambulat Plato*, quia, cum *legere*, et *ambulare* sibi non opponantur, nihil prohibet, quin Plato una legat, et ambulet.

Enunciatio disiuncta, seu *disiunctum*, διεζευγμένον, est, in qua enunciationes categoricae per disiunctionem *aut* ab se separantur, puta *aut dies, aut nox est* [3]. Huiusmodi enunciationes, eodem Tullio aiente, a Stoicis in universum efferebantur hoc modo, *aut hoc, aut illud* [4]. Illud perspicuum est, 1° disiunctum tum esse verum, cum inter enunciationes, ex quibus constat, *perfecta pugna*, μάχη τελεία, existit [5], ita ut nulla inter illas media esse possit; alioquin aliud verum esse posset, quam quod ipsae innuunt; 2° in disiuncto unam enunciationem veram esse; alteram, vel, si plures duabus sint, alias esse falsas; si quidem, cum pugnantia se invicem tollant, simul vera esse nequeunt. Vnde Cicero illud decrevit « ... in disiunctione plus uno verum esse non potest [6] ».

---

[1]) Sext. Emp., *Pyrrhon. Hypot.*, lib. II, c. 13, sect. 158, et Laert. lib. VII, segm. 80. — [2]) *Topic.*, n. 14; *Opp.* t. I, p. 583, Genevae 1743.

[3]) Vid. Sext. Emp. *Op. cit.*, ibid., sect. 158, et 161; Laert., *ibid.*, segm. 81, et Cicer., *Op. cit.*, ibid.

[4]) *Op. cit.*, ibid.

[5]) Sext. Emp., *Op. cit.*, lib. cit., sect. 162, et Aldobrandinum ad l. cit. Laertii, p. 413, not. 279 ed. cit.

[6]) *Op. cit.*, ibid. Haec duo, quae de disiuncto statuimus, Aulus

Quin porro hae tres species enunciationis hypotheticae sint, dubitari non potest. Plerique recentes Logici unam enunciationem, quam cum Stoicis connexam, sive *connexum* vocavimus, hypotheticam appellant, eamque hoc nomine a coniuncta, et a disiuncta discriminant. At perperam; nam non modo connexum, sed etiam coniunctum, et disiunctum enunciationes hypotheticae sunt, sive in ipsis consideretur materia, sive forma. Enimvero, si materiam spectes, ipsae nihil affirmant, aut negant, sed tantum aliquam *sumtionem* sive, ut aiunt, suppositionem ὑπόθεσιν statuunt. Ita, cum inquimus, *si dies est, non est nox*, aut *vel dies est, vel nox est*, nec asserimus, nec negamus esse diem, aut noctem, sed alterutrum sumimus. Sin formam consideres, coniunctum, et disiunctum ad formam connexi, quae manifeste hypothetica est, nullo negotio revocantur. Revera, hae enunciationes *non dies est, et nox est*, et, *aut dies est, aut nox est*, afferri possunt hunc in modum: *si dies est, non est nox*, et, *si nox est, dies non est* [1].

Gellius luculenter exposuit his verbis: « Omnia autem, quae disiunguntur, pugnantia esse inter sese oportet: eorumque opposita (ἀντικείμενα Graeci dicunt), ea quoque ipsa inter sese adversa esse: ex omnibus, quae disiunguntur, unum verum esse debet, falsa caetera. Quod si aut nihil omnium verum, aut omnia, plurave, quam unum, vera sunt, aut quae disiuncta sunt, non pugnabunt, aut quae opposita eorum sunt, contraria inter sese non erunt; tunc id disiunctum mendacium est, et appellatur παραδιεζευγμένον; sicuti hoc est: *Aut curris, aut ambulas, aut stas*. Nam ipsa quidem inter sese adversa sunt: sed opposita eorum non pugnant, *non ambulare* enim, et *non stare*, et *non currere* contraria inter sese non sunt: quoniam contraria ea dicuntur, quae simul vera esse non queunt, possis enim simul, eodemque tempore neque ambulare, neque stare, neque currere »; *Op.cit.*, lib. XVI, c. 8, ed. cit. Παραδιεζευγμένον, quod Gellius hic innuit, latine reddi potest *vitiose disiunctum*.

[1]) Si quis ea nosse cupit, quae a recentibus Scholasticis circa enunciationes hypotheticas observata, et adiecta sunt, adeat Petrum Mosnerium; hic enim de his copiosissime disseruit in sua *Logica analytica* ex praelectionibus P. Honorati Fabry excerpta, Lugduni 1646.

ARTICVLVS OCTAVVS

De enunciatione multiplici

Restat, ut de enunciationis multiplicis natura, et diversis modis aliquid delibemus. Enunciatio multiplex, uti diximus, ea est, quam plures enunciationes simplices non coniunctae, ἀσύνδετοι, efficiunt, puta Plato *ambulat, et sedet*. Nonnulli recentes Scholastici *copulatam* vocarunt omnem enunciationem ex pluribus simplicibus constantem, quae nullum ordinem ad se invicem habent; e. g. *Socrates sedet, et Plato ambulat*. At perperam. Nam, cum neutra earum ad alteram referatur, nulla inter ipsas coniunctio existit; quocirca ipsae sunt duae enunciationes categoricae prope positae, sed unicam enunciationem hypotheticam, quae coniuncta dicitur, non efficiunt. Apposite Hier. Savonarola: « Non « enim proprie est una propositio, sed multae congre- « gatae, cuius signum est, quia nullum alium penitus « sensum habent, praeter illum, quem habent catego- « ricae coniunctae. Sed hypotheticae longe diversum « habet sensum a categoricis [1] ».

Vehementius falsi hac in re sunt post Auctorem *Artis cogitandi* [2] plerique recentes Philosophi. Hi enunciationem coniunctam, seu copulatam esse dixerunt non solum illam, quae plures enunciationes complectitur, sed etiam illam, quae vel plura nomina, vel plura verba habet, quin ulla coniunctio inter conceptus, quos plura verba, et nomina, et plures enunciationes significant, existat. At observandum est plura verba, vel plura nomina in enunciatione, vel plures enunciationes simplices non posse unicam enunciationem compositam, quocumque nomine haec designetur, efficere, ex eo tantum, quod continua

---

[1]) *Compendium Logicae*, lib. VII, n. 24, p. 41, Venetiis 1534.
[2]) Part. II, c. 7, p. 87, Lugduni 1703.

oratione efferuntur; sed tum solum unicam enunciationem efficere, cum non solum sine intermissione efferuntur, sed etiam conceptus, quos significant, ita coniunguntur, ut ad quamdam unitatem revocentur. Nam, si hoc modo inter se non coniunguntur, quamvis continua oratione efferantur, non unam, sed multiplicem enunciationem efficiunt. Apposite Boëtius inquit: « Et proficit quidem aliquid « continua prolatio ad perficiendam unam orationem, « sed ipsa sola non sufficit, nisi unumquodque subiectum « sit . . . nam neque sufficit ad constituendam unam « orationem propinquitas proferendi, nihilque prohibe- « ret quae naturaliter essent multiplices, eas continue, « et propinque prolatas unas videri [1] ». Cuius rei hanc rationem s. Thomas assignavit, « quia contingit hanc « continuitatem prolationis servari in his, quae non « sunt simpliciter unum, sed per accidens, ut si di- « cam, homo albus musicus [2] ». E. g., hae enunciationes, *Plato, et Socrates philosophantur*, *Socrates philosophatur, et ambulat*, et *Socrates philosophatur, et Plato ambulat* sunt multiplices, quia unaquaeque illarum duas enunciationes simplices continet, quae, cum per nullam coniunctionem ad unitatem revocentur, unicam enunciationem compositam efficere nequeunt. Re vera, quoniam in prima plura, quae constituunt subiectum, scilicet *Socrates*, et *Plato*, et in secunda plura, quae constituunt praedicatum, nempe *philosophari*, et *ambulare*, plura significant, quae inter se non coniunguntur, tam prima, quam secunda enunciatio non est unica, quae ex duabus, quasi partibus suis, conflatur, sed est multiplex, nempe enunciatio, quae duas enunciationes diversas exhibet. Tertia quoque est multiplex, quia, cum conceptus, quos duae enunciationes simplices exhibent ad unitatem nullo modo revocentur, ipsa unica composita esse nequit.

---

[1]) *In lib. Arist. De interp.*, edit. 2ª, *Opp.* t. I, p. 327.
[2]) *In lib. I Periher.*, lect. VIII.

Nec nos movere debet, quod enunciatio multiplex, quae ex enunciationibus absolute simplicibus conflatur, a graecis συμπεπλεγμένον, atque a latinis *copulatum*, seu *coniunctum* quandoque nuncupata fuerit. Nam, cum coniunctio in id genus enunciationibus non relationem inter conceptus, quos enunciationes simplices repraesentant, sed continuitatem, qua ipsae proferuntur, significet, appellatio enunciationis coniunctae, seu copulatae, non logice, sed grammatice accipienda est. Huiusmodi profecto est exemplum, quo ad συμπεπλεγμένον illustrandum A. Gellius usus est. « Item, ait, quod illi (Graeci) « συμπεπλεγμένον, nos vel coniunctum, vel copulatum di- « cimus, quod est eiuscemodi: *P. Scipio, Pauli filius, « et bis consul fuit, et triumphavit, et censura functus « est, et collega in censura L. Mummii fuit* [1] ».

Cum haec ita se habeant, illud tenendum est, quod ante innuimus, 1° enunciationem, in qua plura sunt vel ex parte subiecti, vel ex parte praedicati, esse unam, et simplicem, si ea plura essentiam subiecti constituunt, puta *animal rationale currit*, et esse compositam, et multiplicem, si eorum quaedam extra essentiam subiecti sunt, seu accidentalia sunt, puta *Socrates philosophus, iustus, disertus disputat*, vel *Socrates disputat, et ambulat*; 2° enunciationem esse quoque multiplicem, cum conflatur ex duabus enunciationibus, quarum una ad alteram neutiquam refertur, puta *Socrates ambulat, Plato disputat*, quia nihil in his existit, per quod ad aliquam unitatem revocantur. Itaque multiplex est omnis enunciatio, in qua sunt vel plura nomina, aut plura verba, quae non omnia ad essentiam subiecti, aut praedicati pertinent, vel plures enunciationes, quarum conceptus secum haud coniunguntur. Illud cum Boëtio [2], s. Thoma [3], aliis-

---

[1]) *Noct. Att.*, lib. XVI, c. 8. Ceterum Gellius, ni fallimur, *coniunctum*, quod Megaricorum, et Stoicorum proprium est, cum enunciatione multiplici Aristotelis confudit.

[2]) *In lib. I De interp.*, p. 332 ed. cit.

[3]) *In lib. I Periherm.*, lect. VIII.

que notandum est, nihil interesse, utrum vel plura sive verba, sive nomina, vel plures enunciationes aliqua particula coniunctiva, an sine hac continuentur, quippe quod, quoties in huiusmodi euunciationibus aliqua coniunctio adhibetur, ea non coniunctionem conceptuum, sed continuationem orationis significat. Ita, sive dixeris, *Socrates ambulat*, *Plato disputat*, sive *Socrates ambulat*, et *Plato disputat*, enunciatio semper multiplex est.

Ad has autem enunciationes quod spectat, notandum est, si in eis una enunciatio simplex falsa sit, totam enunciationem *multiplicem*, sive, ut Gellius ait, totum *copulatum* esse vitiosum; si quidem, cum enunciatio sit multiplex ob complexum omnium enunciationum, quae ipsam componunt, veritas enunciationis multiplicis nonnisi ex veritate omnium enunciationum simplicium, quae ipsam componunt, effici potest [1]. Apposite Gellius: « In omni autem coniuncto, si unum est mendacium, « etiamsi caetera vera sunt, totum esse mendacium dicitur, « nam si ad ea omnia, quae de Scipione illo vera dixi, « addidero, *et Scipionem in Africa superavit*, quod est « falsum, universa quoque illa, quae coniuncte dicta « sunt, propter hoc unum, quod falsum accesserit, quia « simul dicentur, vera non erunt [2] ».

Ex his proclive est perspicere, quid re vera sint illae enunciationes, quas recentes Philosophi *complexas* vocant. Complexae enunciationes, eorum sententia, eae sunt, in quibus vel subiecto, vel praedicato, vel utrique alia enunciatio adnectitur; puta, *homo, qui est iustus, laude dignus est*, vel *homo est animal, quod rationem habet*, vel *animal, quod rationem habet, actiones exerit, quae praemium, vel poenam merentur*. Enunciatio, cuius vel subiecto, vel praedicato, vel utrique alia

---

[1]) Id profecto s. Bonaventura sibi voluit, cum inquit: « Verum « dictum de complexo respicit compositionem »; *In lib. I Sent.*, Dist. XLVI, a. unic., q. 4 *ad arg.*

[2]) *Op. cit.*, ibid. Cf s. Thomam, *In lib. I Sent.*, Dist. XIV, q. I, a. 1 ad 5.

assuitur, *principalis* ab eis dicitur, quia ipsa iudicium significat, quod intellectus in praesentia efformat; enunciationes vero, quae eius terminis adiunguntur, *incidentes* appellantur, quia inter loquendum earum incidit mentio. Praeterea, quandoquidem enunciationes incidentes conceptum, quem sive subiectum, sive praedicatum significat, vel *explicare*, vel *restringere*, seu *determinare* possunt, eae ab eisdem recentibus in *explicativas*, et *restrictivas*, seu determinativas dividuntur. E. g., in illa complexa, *homo est animal, quod rationem habet*, incidens est restrictiva, quia conceptum genericum animalis ad conceptum specificum animalis rationalis, nempe *hominis* cogit, subiectumque enunciationis principalis determinat [1]. E contrario, in hac complexa, *Socrates, qui est simius, disputat*, incidens est explicativa, si quidem haec subiectum tantummodo declarat, sive explicat. Iamvero, quisquis, nobis non monentibus, ex dictis haud difficulter perspicere potest, 1° omnem enunciationem complexam, in qua una, pluresque incidentes *restrictivae* sunt, logice consideratam esse unam, et simplicem, propterea quod incidentes restrictivae, cum notionem subiecti, aut praedicati, aut utriusque determinent, ad alterutrius, vel utriusque essentiam pertinent, ob idque neutrum efficiunt multiplex; 2° omnem enunciationem complexam, in qua incidentes sunt explicativae, non solum grammatice, sed etiam logice consideratam, esse multiplicem, quia, cum incidentes in ea non determinent, sed tantum declarent notiones subiecti, et praedicati, subiectum, aut praedicatum, aut utrumque multiplex efficiunt. Re vera, hae enunciationes, quae a recentibus *complexae* vocantur, *homo est animal, quod capax scientiae est*, et *Socrates, qui est simius, disputat*, idem valent, ac si efferantur

[1]) « Cum dicitur, Aquinas scribit, animal rationale mortale, si-« gnificat animal naturam animalis, prout abstrahitur ab omnibus « speciebus, et per differentiam additam trahitur in determinatam « speciem »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXV, q. I, a. 1 ad 7.

hunc in modum : *homo est animal capax scientiae* , et *Socrates simius disputat*; quia, si in harum prima praedicatum , et in secunda subiectum resolvantur , ad formam illarum reducuntur.

Omnes divisiones enunciationis , quas explicuimus, ad quantitatem enunciationis pertinent , si quidem elementa , ex quibus enunciatio constat , materiam eius efficiunt. Nec plures enumeratis excogitari possunt; nam quaerenti *quanta* sit aliqua enunciatio , non aliud responderi potest, nisi ipsam esse *unam*, aut *multiplicem*, *simplicem*, aut *compositam*, *singularem*, aut *particularem*, aut *universalem*.

ARTICVLVS NONVS

De divisione enunciationis in aientem, et negantem

Postquam divisiones enunciationis , quae ex elementis ipsam efficientibus enascuntur , exposuimus , in praesentia illas persequamur oportet , quae ad modum , quo elementa in enunciatione copulantur , pertinent. Iam, si illae divisiones ad quantitatem enunciationis , hae ad eius qualitatem procul dubio referuntur. Nam modus, quo elementa in enunciatione copulantur, cum ad enunciationis formam spectet, qualitatem eius constituit; si quidem , ut saepe innuimus , omnis forma est qualitas rei, vel essentialis , si materiam , veluti species genus , determinet , vel accidentalis , si rei ex genere , et specie iam constitutae addatur.

Enunciatio, ἀπόφανσις, hoc altero modo considerata, in *aientem*, et *negantem*, sive, uti Aristoteles tenet, in *affirmationem*, et *negationem* [1], principio dividitur, quia haec divisio, ut mox videbimus, ab ipsa essentia enunciationis oritur. Enunciatio affirmans , sive affirmatio , κατάφασις, aiente Aristotele, est , quae aliquid alicui, τινος κατὰ

---

[1]) *Op. cit.*, c. 5, p. 125, ed. cit.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

τινος tribuit; enunciatio negans vero, seu *negatio*, ἀπφὸασις, est, quae aliquid ab aliquo, τινος ἀπό τινος, seiungit[1]. Vt huius divisionis ratio perspiciatur, principium, et fundamentum eius exponere iuvabit. Enunciatio, uti ex dictis patet, ad naturam rerum, tanquam ad normam necessariam, exigenda est; si quidem, cum ipsa iudicium significet, quod intellectus de rebus efformat, naturam rerum, circa quas iudicium versatur, sequi debet. Hinc, quoniam res, rerumque actiones a natura vel coniunguntur, vel disiunguntur, ideo notiones in et nunciatione vel coniungendae, vel disiungendae sunt. Apposite Trendelenburgius, quo duce in hac doctrina Stagiritae exponenda utimur, inquit: « In affirmando, « enegando tantum abest, ut mens quasi ludat, vel suo ar- « bitrio agat, ut rerum naturam sequi debeat sive con- « iungentem, vel dirimentem, sive, ut aptius dixeris, gi- « gnentem vel repellentem[2] ». Iam vero, enunciatio, quae

---

[1]) *Ibid.*, c. 6, p. 126. Κατάφασίς δέ ἐστιν ἀπόφανσίς τινος κατὰ τινος, ἀπόφασις δέ ἐστιν ἀπόφανσις τινος ἀπό τινος, hoc est, ut Trendelenburgius vertit, « affirmatio est enunciatio rei ad rem relatae, negatio « enunciatio rei a re disiunctae » (*Elem. log.*, p. 25). His praepositionibus τινος κατὰ τινος, *alicuius ad aliquid*, et τινος ἀπό τινος, *alicuius ab aliquo*, Aristoteles, observante eodem Trendelenburgio (*Op. cit.*, § 4, p. 57), vim affirmandi, et negandi, quae in sola mente est, cum externa spatii, et motus similitudine coniunxit, ut illam quasi prae oculis poneret. Cf *De interp.*, c. 10, p. 134, et *Analyt. post.*, lib. I, c. 1, p. 146 ed. Waitz; *Met.*, lib. IV, c. 6, p. 1011, et lib. VIII, c. 3, p. 1043, ed. Bekk.; *De An.*, lib. III, c. 6, § 7, p. 93, ed. Trendel.

[2]) *Op. cit.*, § 4, p. 56. Certe, cuilibet rei ea vis inest, ut quae naturae suae conveniunt, in se gignat, et quae naturae suae adversantur, a se repellat. Hinc ab Aristotele *prosecutio*, δίωξις, et *fuga*, φυγή, quae sunt actus appetitus, affirmationi, et negationi assimilantur (*Eth. Nicom.*, lib. IV, c. 2, p. 1139, ed. Bekk., et *De An.*, lib. III, c. 7, § 2, p. 94, ed. Trendel.), quia prosecutio ad coniunctionem spectat, fuga disiunctionem molitur. Operae pretium est audire s. Thomam: « Intellectus enim in iudicando habet duos actus, « scilicet affirmationem, qua assentit vero, et negationem, qua dis- « sentit a falso. Quibus duobus respondent duo proportionabiliter « in vi appetitiva, scilicet prosecutio, qua appetitus tendit in bo-

notiones rerum natura coniunctarum coniungit, *aiens*, sive, ut Scholae aiunt, *affirmativa*, et enunciatio, quae notiones rerum natura disiunctarum disiungit, *negans*, seu *negativa* vocatur.

Quamvis divisio enunciationis in aientem, et negantem ex ipsa notione enunciationis, ut vidimus, sponte sua fluat; tamen ipsa nonnullos adversarios inter veteres, et maxime inter recentes nacta est. In antiqua aetate Menedemus ex Eretria, qui Scholae Eretriacae auctor fuit [1], contendit nulla esse *pronunciata*, seu *proloquia* negantia, ἀξιώματα ἀποφατικά, sed omnia esse aientia, καταφατικά [2]. Quibus rationis momentis ad hanc opinionem tuendam permotus fuerit, ex veteris philosophiae monumentis, quae supersunt, haud constat. At, P. Buffierius e S. I., qui inter recentes eamdem opinionem instauravit, illam demonstrare studuit. Scilicet ipse sensit omni enunciatione quamdam affirmationem contineri, quia natura enunciationis in eo posita est, ut convenientiam, aut discrepantiam alicuius attributi cum subiecto affirmet; sed elegantiam sermonis non sinere, ut relatio attributi cum subiecto modo coniunctivo semper significetur. « Quid aliud, ipse subdit, significat haec « enunciatio negans: *spiritus turbulentus est incommo-*

« num, et inhaeret ei, et fuga, qua recedit a malo, et dissentit »; *In lib. VI Ethic.*, lect. II.

[1]) Cicer., *Acad.*, lib. II, n. 42, ed. cit. De hoc Philosopho, qui primo Athenis Platonem audivit, dein Megaris Stilponem, tum Elide Anchypillum, et Moschum, denique Scholam Eretriacam incepit, vide Laert., lib. II, segm. 125 sqq. Legere e re est Malletum, *Op. cit.*, *École d'Érétrie*, p. 177-194, ed. cit.

[2]) « Tollebat, aiente Laertio, et proloquia negativa, affirmativa « vero ponebat » (*Ibid.*, segm. 135). Quod ab Aristotele ἀπόφανσις, et a Scholasticis post Boëtium *enunciatio*, a Stoicis, Megaricis, et Eretriacis ἀξιώμα dictum est, quod Varro *proloquium*, et Cicero *pronuntiatum* vertit. Audi Gellium: « ... omnino quicquid ita dicitur « plena atque perfecta verborum sententia, ut id necesse sit aut « verum, aut falsum esse, id a Dialecticis ἀξιώμα appellatum est, a « M. Varrone, sicut dixi, *proloquium*, a M. autem Cicerone *pro-* « *nuntiatum* »; *Noct. Att.*, lib. XVI, c. 8. Vid. Cicer., *Quaest. Tuscul.*, lib. I, c. 7, *Opp. phil.* t. II, p. 7 ed. cit.

« *dus*, nisi hoc: *spiritus turbulentus est non commodus*, « sive *incommodus*? [1] » Ratio, quam Buffierius attulit, Gomiti Tracyo probata est, ab eoque hoc exemplo declarata: « Si aio, *Petrus non est magnus*, non conficio, « ut Logici vulgo opinantur, iudicium negans, namque « ergo reipsa, seu *positive* sentio ideam τοῦ *non esse ma-* « *gnum* Petro convenire, sicque negatio ad attributum, « non vero ad copulam spectat [2] ».

Verum, haec doctrina ipsam naturam enunciationis evertit. Etenim haec duo, ipsis Buffierio, et Tracyo concedentibus, explorata sunt: 1° naturam enunciationis in eo positam esse, ut aliquid alicui inesse, aut non inesse significet, sive, quemadmodum recentes loqui malunt, attributum subiecto addat, vel a subiecto detrahat; 2° enunciationem dici aientem, cum aliquid alicui inesse significat, seu, cum praedicatum subiecto addit, et esse, negantem, cum aliquid alicui non inesse significat, seu cum praedicatum a subiecto removet. Atqui non inesse non est idem, ac inesse, et removere non est idem, ac adiungere, si quidem esse, et non esse sibi opponuntur. Ergo enunciatio negans non est eadem, ac aiens. Vt huius argumenti vis omnino perspiciatur, advertendum est cum Alberto M., s. Thoma, et Scoto, qui Boëtium contra Alexandrum Aphrod. disserentem [3] secuti sunt, enunciationem aientem, et enunciationem negantem καθ' οὐσίαν, *secundum essentiam*, inter se differre. Etenim affirmatio, et negatio, uti s. Thomas argumentatus est, spectant ad praedicatum, seu verbum, quia per hoc aliquam proprietatem, vel accidens subiecto inesse, vel non inesse significatur. Atqui praedicatum, seu verbum est pars formalis, sive essentialis enunciationis; namque

---

[1]) *Verités de consequence*, ou *Principes de raisonnement*, « Log. I », Lettr. VII, § 75, et 76, in suo op. *Cours de sciencessur des principes nouveaux, et simples*, p. 769, Paris 1732.

[2]) *Gramm. gener.*, trad. cit. c. 1, t. I, p. 23 et sqq, Milano 1817.

[3]) *In lib. Arist. De interp.* ed. 2, lib. I, p. 333 sqq, ed. cit.

ipsum, cum per proprietatem, quam ad subiectum retorquet, subiectum determinet [1], ad subiectum, tanquam *forma* ad *materiam*, sive, ut s. Thomas quoque scribit, tanquam *actus* ad *potentiam* [2], se habet. Affirmatio igitur, et negatio ad essentiam enunciationis spectant. Hinc, quoniam ipsae sibi opponuntur, secundum essentiam differant oportet. Nos itaque cum Alberto M., et s. Thoma concludimus tantum abesse, ut enunciatio negans ad aientem reducatur, ut una ab altera specie differat [3].

Buffierius, et Tracyus, ut exempla ab eis allata commonstrant, ex eo decepti sunt, quod negationem in enunciatione negante ad rem verbo significatam, non vero ad compositionem verbi referri putarunt. At certum, exploratumque est negationem in enunciatione negante non afficere rem, sed compositionem verbi. Etenim, cum res per verbum significata, uti ostendimus, non per se, sed per compositionem, quam verbum etiam significat, ad subiectum referatur, convenientia, et discrepantia rei cum subiecto in enunciatione non ad ipsam rem, sed ad compositionem spectare debent, quia convenientia, et discrepantia sunt duae diversae relationes, quae inter rem per verbum praedicatum, et subiectum intercedere possunt. Iam, quandoquidem negatio in enunciatione, fatentibus ipsis adversariis, discrepantiam rei

---

[1]) Vid. p. 33.

[2]) « Omnis forma, inquantum huiusmodi, est actus; omne au-
« tem subiectum comparatur ad id, cuius est subiectum, ut po-
« tentia ad actum »; *Qq. dispp.*, *De spirit. creat.*, a. 1 ad 1.

[3]) « Alia vero, s. Thomas ait, divisio fuit in affirmantem, et
« negantem. Quae quidem divisio est generis in species, quia
« sumitur secundum differentiam praedicati, ad quod fertur ne-
« gatio, praedicatum autem est pars formalis enunciationis, et
« ideo huiusmodi divisio dicitur pertinere ad qualitatem, quali-
« tatem, inquam, essentialem, secundum quod differentia signi-
« ficat quale quid »; *In lib. I Periherm.*, lect. X. Cf eiusdem, *In lib. I Sent.*, Dist. XXIV, q. I, a. 3 ad 3; Alb. M., *Prior. Analyt.*, tract. I, c. 3, et Scotum, *In lib. IV Sent.*, Dist. VIII, q. II.

per verbum praedicatae cum subiecto significat, ipsa profecto afficit compositionem, seu copulam verbalem *est*, non vero rem, quae per eamdem copulam ad subiectum refertur. Hinc scite s. Thomas inquit: « Sed quando negatio additur verbo in enunciatione posito, negatio illa removet verbum ab aliquo, et sic facit enunciationem negativam. . . Non enim enunciatio efficitur negativa, nisi per hoc quod negatur compositio, quae importatur in verbo [1] ».

Quandoquidem enunciatio, in qua negatio ad rem verbo praedicatam refertur, est infinita, iuvat exponere, quid ipsa sit, et quomodo ab aiente, et negante differat; hoc enim pacto error Buffierii, et Tracyi luculentior fiet, simulque notio enunciationis infinitae explicabitur. Cum detur, ut diximus, non modo nomen finitum, sed etiam nomen infinitum, nihil prohibet, quin nomen, quod subiectum significat, sit infinitum, et in enunciatione, in qua verbum *est* munere copulae dumtaxat fungitur, infinitum quoque sit nomen, quod rem praedicatam significat. Hinc in enunciatione vel subiectum, vel praedicatum, vel utrumque infinitum esse potest; puta *non homo est animal*, *animal est non homo*, *non animal est non homo*. Iamvero, liquet huiusmodi enunciationes, in quibus vel subiectum, vel praedicatum, vel utrumque est infinitum, esse infinitas. Namque enunciatio, quae subiectum infinitum habet, aliquid praedicat de quacumque alia re, quam quae subiecto significatur; enunciatio, quae habet praedicatum infinitum, quodcumque aliud de subiecto praedicat, quam quod significatur praedicato; enunciatio, in qua et praedicatum, et subiectum sunt infinita, quodcumque aliud de quocumque alio subiecto praedicat, quam quod nomina, quae subiectum,

---

[1]) *In lib. II Periherm.*, lect. I. Hoc ipsum s. Bonaventura docuit, cum inquit: « Veritas, et falsitas, circa compositionem consistunt » (*In lib. I Sent.*, Dist. XLVI, a. unic., q. 4 *resol.*), quippe quod, uti ex dictis patet, ex vera, vel falsa affirmatione, et negatione veritas, et falsitas enunciationis efficiuntur.

et praedicatum in ea sunt, significant. Quemadmodum igitur infinitum nomen est, quod conceptum determinatae substantiae tollit, et conceptum indeterminatae substantiae relinquit; ita infinita dicenda est enunciatio, in qua conceptus determinati subiecti, vel conceptus determinati attributi, vel uterque tollitur, et conceptus indeterminati subiecti, vel conceptus indeterminati praedicati, vel uterque relinquitur [1]. Ex quo patescit, cum negatio e copula verbali ad vocem, quae rem praedicatam significat, transfertur [2], enunciationem infinitam effici.

Iamvero, perspicuum est enunciationem infinitam non esse nec aientem, uti Buffierius, et Tracyus sentire videntur [3], nec negantem, uti Lichtenfelsius [4] post Twestenum [5], aliosque contendit, sed, ut cum Trendelenburgio loquamur [6], inter affirmandi, et negandi speciem fluctuare. Enimvero, in primis, enunciatio infinita differt ab aiente, quia aiens aliquid determinatum in subiecto determinato inesse denotat; infinita autem aliquid determinatum in subiecto indeterminato, aut aliquid indeterminatum in subiecto determinato, aut denique aliquid indeterminatum in subiecto indeterminato inesse significat. Praeterea, enunciatio infinita differt a negante, quia negans aliquid determinatum in determinato subiecto non inesse significat; verum infinita, significans aliquid determinatum in subiecto inderminato, aut vicissim non inesse, simul significat vel aliquid determinatum in subiecto indeterminato, vel aliquid indeterminatum in sub-

---

[1]) Cons. Alb. M. *In Periherm. lib. II*, tract. I, c. 2.

[2]) Hanc sane ob causam Theophrastus enunciationes infinitas enunciationes *transpositionis* vocavit (apud Ammon., *In lib.* Περὶ ἑρμ. c. 10, *Schol.* ed. Brandis, p. 120). Vid. Albert. M., *In Periherm. In II*, tract. I, c. 4.

[3]) Cf *Loc. citt.* p. 160 et 161 in not.

[4]) *Op. cit. Log.* part. I, c. 2, § 37, p. 62, ed. cit.

[5]) *Curs. logic. analyticae* (germ.), p. 37, Kiel 1834.

[6]) *Elem. Log.*, § 5, p. 58, ed. cit., et fusius in *Disquis. logic.* (germ.), t. II, p. 183 sqq, ed. cit.

iecto determinato, vel aliquid indeterminatum in subiecto indeterminato inesse.

At, si enunciatio infinita proprie non est aiens, aut negans, ipsam utriusque, ut Galluppius [1] post Kantium [2], observavit, quodammodo participem esse ex dictis facile intelligitur. Etenim ipsa est quodammodo asserens ex ea parte, quatenus vel aliquid indeterminatum de subiecto determinato, vel aliquid determinatum de subiecto indeterminato, vel aliquid indeterminatum de subiecto indeterminato praedicat, et est quodammodo negans ex ea parte, quatenus aliquid determinatum a determinato subiecto removet. Puta, si quis dicat, *non animal brutum est rationale*, aut *animal brutum est non rationale*, aut *non animal homo est non rationale*, simul negat animal brutum, hoc est, animal, quod non est homo, esse rationale, et asserit quoddam aliud animal, quod brutum non est, nempe animal, quod est homo, esse rationale.

Ex his primo perspicitur 1° enunciationes, in quibus copulae verbali *est*, aut verbo copulam cum re praedicata complectenti negatio adiicitur, non posse ita intelligi, ut negatio ad rem praedicatam referatur: quapropter illae enunciationes: *Spiritus turbulentus non est commodus*, et *Petrus non est magnus*, non idem valent, ac istae: *spiritus turbulentus est non commodus*, et *Petrus est non magnus*; 2°, etiamsi illae idem, ac istae valerent, non idcirco enunciationes, quae a logicis vulgo negantes dicuntur, aientes re ipsa existimandas esse,

---

[1]) *Lezz.*, etc., lez. XLIII, t. I, p. 223, ed. cit.

[2]) *Crit. de la raison pure*, « Anal. transc. », lib. I, sect. 2, § 10, trad. Tissot. Advertere hic iuvat iudicium infinitum a Kantio aliter quam ab Aristotele, explicatum fuisse. Nam Aristoteles docuit iudicium infinitum esse illud, in quo aliquid *indeterminatum* subiecto tribuitur; Kantius vero voluit esse illud, in quo tribuitur subiecto aliquid *immensum*, nempe omne aliquid praeter id, quod praedicatum negat. Hinc falsi sunt, qui iudicium infinitum, ἀόριστον, ita verterunt, ut iudicium immensum esse videretur. Cf Trendel. *Op. cit.* ll. citt.

quia enunciationes infinitae, cuiusmodi sunt, *spiritus turbulentus est non commodus*, et *Petrus est non magnus*, sunt infinitae, hae autem, nec aientes, nec negantes proprie sunt.

Illud quoque ex dictis intelligitur Lichtenfelsium Kantium iniuria redarguisse, quod hic, veteres logicos secutus, negationem in iudicio negante ad copulam, et in infinito ad praedicatum referri docuit [1]. Ipse hanc doctrinam duplici ex ratione reiecit, scilicet 1° quod praedicatum, non vero copula qualitatem iudicii efficit; 2° quod negatio, si copulae adiecta intelligatur, iudicium tollit. Ast utraque ratio est absurda. Quod enim ad primam attinet, qualitas enunciationis non efficitur ex qualitate subiecti, sed ex modo, quo praedicatum ad subiectum refertur. Namque, uti ante ostensum est, quoniam essentia enunciationis in coniunctione praedicati cum subiecto, aut separatione unius ab altero consistit, sequitur essentiam enunciationis esse diversam, prout diversus est modus, quo in ea praedicatum refertur ad subiectum. Praedicatum vero efficit qualitatem subiecti, si quidem ex eo, quod proprietas, vel accidens, quod ipsum significat, per copulam ad subiectum retorquetur, subiectum quodam speciali modo determinatur, seu *quale* efficitur. Quod ad alteram spectat, negatio copulae verbali adiecta, in *Dynamilogia* videbimus, procul dubio enunciationem destrueret, si illam tolleret compositionem, quam copula verbalis significat, hoc est, ut recentes aiunt, illam *synthesim*, per quam subiectum, et praedicatum inter se comparantur; si quidem haud possibile foret convenientiam, aut discrepantiam praedicati cum subiecto cognoscere, nisi unum cum altero componatur, sive comparetur. Apposite Albertus M.: « negatio ad ipsam (*notam compositionis*) fieri non pot-
« est: quia non dicit, nisi verbi reflexionem ad sub-
« iectum, quae si negaretur, nec verbum esset verbum,

---

[1]) *Logica*, p. 162, n. 3 (germ.), Konisb. 1800.

« nec posset esse praedicatum, et destrueretur enuncia-
« tio [1] ». At negatio adiecta copulae verbali *est*, vel verbo, quod ipsam una cum re praedicata continet, huiusmodi compositionem non tollit, sed determinat, quia denotat proprietatem, vel accidens, quod per copulam verbalem cum subiecto comparatur, ipsi haud convenire.

Verum, missis quoque hisce rationibus, opinionem Lichtenfelsii esse omnino absurdam ostendunt ea ipsa placita, quae de qualitate enunciationis cl. Auctor statuit. Primo enim, ipse de qualitate enunciationis disserens, quamvis enunciationem infinitam ad negantem redire asserat, tamen illam ab hac discriminavit, diversasque illarum notiones tradidit. At, si negatio tam in enunciatione negante, quam in infinita ad praedicatum spectaret, qualitas in ipsis diversa esse non posset, quippe quod qualitas enunciationis, ut diximus, non efficitur a natura subiecti, aut praedicati, sed a modo, quo unum ad alterum refertur. Praeterea, si intellectus negationem cum in enunciatione negante, tum in infinita ad rem praedicatam referret, idem locus in utraque enunciatione illi dandus foret, quia nos, uti s. Thomas subdit, « secundum quod intelligimus aliqua, oportet, quod « enuntiemus illa [2] ». Atqui, eodem Lichtenfelsio docente, negatio in enunciatione negante copulae verbali *est* praefigitur, puta *homo non est iustus*, et in infinita voci, quae rem praedicatam significat, puta *homo est non iustus*. Ergo negationem tam in enunciatione negante, quam in infinita ad praedicatum referri absurdum est. Quin immo, quoniam certum est nos res ita significare, sicut ipsas intelligimus, certum quoque esse debet negationem in enunciatione negante ad compositionem, quam copula verbalis denotat, et in infinita ad rem praedicatam referri; si quidem nos illam in enunciatio-

---

[1]) *In Periherm. lib. II*, tract. I, c. 1.
[2]) *In lib. I Sent.*, Dist. IV, q. II, a. 1 *sol.*

ne, quae negans vocatur, copulae verbali, et in enunciatione, quae infinita dicitur, voci praedicatum significanti praemittimus.

Opinioni Buffierii modo explosae e regione opponitur altera Heghelii, eiusque sectatorum, qui omni iudicio negationem contineri autumarunt. Heghelius, ut in *Dynamilogia* dicemus, ab evolutione Ideae-Entis omnes res, omnemque scientiam rerum derivari arbritatus, contendit diversa iudicia non esse aliud, nisi diversa *momenta*, in quibus Idea-Ens ex vi actuosa sibi insita se *ponit*, seu determinat. Quandoquidem autem in qualibet notione, quae Ideam-Ens continet, omnia unum sunt, inde confecit quodlibet iudicium non aliud esse, nisi quamdam *direptionem*, seu *divisionem primitivam*, qua ea, quae unum in notione sunt, distincta in ipsa notione exhibentur. Iam, si, Heghelii sententia, iudicium est quaedam determinatio, seu *positio* Entis-Ideae, et omnis determinatio per *direptionem*, sive *divisionem* efficitur, consequens est omne iudicium in negatione consistere, quia divisio per negationem significatur[3].

Principia, ex quibus Heghelius hanc suam doctrinam elicuit, rationisque momenta, quae ipsam omnino perimunt, in *Dynamilogia* exponemus: in praesentia e re esse putamus unum argumentum logicum afferre, quod ex s. Thoma nobis suppetit. Hoc ita se habet: In enunciatione tria, ut saepe dictum est, nobis occurrunt, eaque sunt, *res*, *conceptus*, qui rem repraesentat, et *vox*, quae rem per conceptum repraesentatam significat. Iam, ex quocumque horum trium capitum enunciatio consideretur, planum fit negationem in ea esse posteriorem affirmatione. Et primo, quod ad vocem spectat, res per se manifesta est. Nam, cum in omni enunciatione negante sit particula negans, quae in aiente non est, enunciatio aiens est negante simplicior.

---

[1]) *Log. subjective*, trad. par Sloman, et Wallon, c. 2, p. 29-39, Paris 1824. Cf Willm, *Op. cit.*, « Philos. d'Hegel », sect. 2, c. 5, vol. IV, p. 188 sqq.

Atqui omne compositum, tanquam simplici posterius, intelligitur, quia omne compositum ex simplicibus gigni intelligimus. Ergo, si in enunciatione voces, quibus ipsa significatur, considerantur, negans aiente posterior est. Praeterea, certum etiam est conceptum negationis esse posteriorem conceptu affirmationis. Etenim negatio divisionem, hoc est, separationem praedicati a subiecto, et affirmatio compositionem, hoc est, coniunctionem unius cum altero denotat. Sed conceptus divisionis est conceptu compositionis posterior, quia intellectus nequit intelligere veluti divisum, nisi id, quod veluti compositum, seu coniunctum ante intellexit. Ergo, si conceptus, quem enunciatio significat, spectetur, rursus patet enunciationem negantem esse aiente posteriorem. Denique idem quoque perspicuum fiet, si in enunciatione res spectetur, quam conceptus repraesentat, et vox significat. Enimvero negatio significat non esse aliquid in subiecto, affirmatio autem esse aliquid in eo. Sed conceptus τοῦ *non esse*, qui ad subiectum refertur, est posterior conceptu τοῦ *esse*, quippe quod intellectus non potest removere aliquod *esse* a subiecto, nisi hoc ipsum *esse*, quod ab eo removet, cognoscat; puta intellectus non potest conficere hoc iudicium: *homo non est iustus*, nisi cognoscat, quid sit hominem esse iustum, quemadmodum non potest iudicare *hominem esse coecum*, nisi cognoscat, quid sit hominem esse videntem. Igitur etiam ex parte rei, quam enunciatio significat, enunciationem negantem esse posteriorem aiente perspicitur [1].

[1]) « Enunciatio affirmativa, sanctus Doctor ait, prior est ne-
« gativa triplici ratione secundum tria, quae supra posita sunt,
« ubi dictum est, quod vox est signum intellectus, et intellectus est
« signum rei. Ex parte igitur vocis affirmativa est prior negativa,
« quia est simplicior, negativa enim enunciatio addit supra affir-
« mativam particulam negantem. Ex parte autem intellectus,
« etiam affirmativa enunciatio, quae significat compositionem in-
« tellectus, est prior negativa, quae significat divisionem eiusdem;
« divisio enim naturaliter posterior est compositione, nam non est
« divisio, nisi compositorum, sicut non est corruptio nisi genera-

Itaque quacumque ex parte enunciatio consideretur, plana fiet veritas illius pronuntiati, quod apud eundem Aquinatem legitur : « Affirmatio naturaliter est prior negatione [1] ».

Ex hac doctrina s. Thomae error Heghelii facile explodítur. Nam, si negatio est posterior affirmatione, seu, quod idem valet, enunciatio negans est posterior aiente, liquet tantum abesse, ut omnis enunciatio in negatione consistat, ut enunciatio negans sine aiente concipi nequeat: si quidem, ut in tertia parte ostendemus, quoties duo eiusmodi sunt, ut unum posterius, quam aliud, cognoscatur, cognitio unius a cognitione alterius pendet. Hinc idem Aquinas sapienter asseruit negationem non posse per se cognosci, sed solum per affirmationem, ad quam reducitur; nam, cum omne ex eo, quod est, cognoscibile sit, negatio, quippe quae *esse* proprium non habet, sed ad *esse* affirmationis refertur, nonnisi per esse eiusdem affirmationis cognosci potest [2].

Hoc ipsum, eodem sancto Doctore monente, ex eo comprobatur, quod « omnis negatio de aliqua re fundatur « super aliquid in re existens [3] ». Etenim intellectus non potest aliquid a subiecto removere, nisi in eo aliquid inesse intelligat, cum quo ipsum simul stare nequit. Atqui actio, qua intellectus aliquid in subiecto inesse iudicat, est iudicium aiens; actio autem, qua aliquid in

---

« torum... Ex parte autem rei affirmativa enunciatio, quae si- « gnificat esse, prior est negativa, quae significat non esse, sicut « habitus naturaliter prior est privatione »; *In lib. I Periherm.*, lect. VIII.

[1]) 2^a 2^{ae}, q. CXXII, a. 2 ad 1.

[2]) « Ita etiam, inquit, nulla negatio, vel privatio est in genere « per se: quia non habet aliquam quidditatem, nec esse; sed redu- « citur ad genus affirmationis, secundum quod in non esse intelli- « gitur esse, et in negatione affirmatio, ut dicit Philosophus in II « Elench. (c. IV), quia omnis privatio per habitum cognoscitur, et « remotio per positionem »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXVIII, q. I, a. 1 ad 3. Cf I, q. XXXIII, a. 4 ad 3.

[3]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXXV, q. I, a. 1 ad 1.

eo non inesse iudicat, est iudicium negans. Iudicium negans igitur in iudicio aiente fundamentum habet. Exemplum mutuari ab eodem Aquinate lubet: « Patet « quod veritas cuiuslibet negativae in existentibus su- « per veritatem affirmativae fundatur, sicut veritas huius « negativae, Aethiops non est albus, fundatur super ve- « ritatem huius affirmativae, Aethiops est niger [1] ».

Quae cum ita sint, concludendum est vehementer errasse cum Buffierium, et Tracyum, qui omnem enunciationem esse aientem, tum Heghelium, eiusque discipulos, qui omnem enunciationem esse negantem decrevere, quia, cum enunciatio aiens, et negans secundum essentiam differant, una cum altera confundi nequit.

Quod si haec divisio enunciationis in aientem, et negantem cum divisione eius in universalem, et particularem coniuncta consideretur, quatuor illae species enunciationis inde existent, ex quibus, ut infra dicemus, varietas syllogismorum efficitur. Etenim, quandoquidem enunciatio sive universalis, sive particularis esse potest vel aiens, vel negans, ipsa ex utroque capite considerata in universalem aientem, universalem negantem, particularem aientem, et particularem negantem dividitur [2]. Vniver-

---

[1]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. X, art. 5 c.

[2]) Hae species enunciationis secundum ordinem, quo ipsas protulimus, per litteras A, E, I, O, designari solent, memoriaeque iuvandae gratia his versiculis includuntur: *Asserit A, negat E, verum generaliter ambo; Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.* Quoniam haec divisio ad syllogismum spectat, omissa est divisio enunciationis singularis in aientem, et negantem, quia enunciatio singularis, cum in syllogismo non aliter adhibeatur, quam prout universali subiicitur, tanquam pars enunciationis universalis, proindeque tanquam particularis, consideratur. Re vera, cum inter universale, et singulare particulare intercedat, singulare nonnisi per particulare universali subiici potest; puta de Socrate esse hominem praedicatur, non quod est Socrates, sed quod est quidam homo. E re est audire Albertum M.: « Quia si aliquando forte (*e-* « *nunciatio singularis*) in syllogismo ponitur, non ponitur ut singu- « laris, sed ut particulare ad hoc, vel ad illud determinatum: par- « ticulare enim est, quod substantialiter sub universali accipitur,

salis aiens, e. g., est haec: *omnis homo est animal*; negans universalis: *nullus homo est omnipotens*; particularis aiens : *aliquis homo est iustus*; particularis negans: *aliquis homo non est iustus* [1].

Denique illud inquirere oportet , quomodo praedicatum *logice* vel , si dicere mavis, *formaliter* consideratum in enunciatione aiente, et negante accipiendum sit. Atque in primis , praedicatum aientis secundum totum eius complexum sumendum est. Cuius rei ratio est, quod non potest aliquid de subiecto affirmari , nisi totum id , quod notione eius continetur , subiecto conveniat. Puta , etsi homo sit animal , tamen non potest efformari haec enunciatio aiens : *omne animal est homo* , quia in homine praeter *animalitatem* est *ratio* , quae non omni animali convenit. Hinc a Scholasticis iure , meritoque probatum est illud Aristotelis: « cum « aliud de alio tanquam subiecto praedicatur, ea omnia, « quae de eo, quod praedicatur , dicuntur, de subiecto « etiam dicentur [2] ». At , si praedicatum enunciationis aientis secundum totum eius complexum , certe secundum totum eius ambitum accipiendum. non est ; si quidem fieri potest , ut praedicatum latius sit subiecto. Enimvero, praedicatum aut aeque ac subiectum , aut magis, quam ipsum, patet. Hoc , ut Trendelenburgius observavit [3], plerumque fit, quia in enunciationibus id plerumque agitur , ut subiectum ad aliud , cui subiicitur,

« ut sub omni homine quidam homo. Singulare autem, nec imme- « diate, nec per se sumitur sub universali: quia, si dicam, omnis « homo currit, non assumitur Sortes, nisi per hoc quod Sortes est « quidam homo: nec quidam homo determinatur ad Sortem, nisi « per hoc, quod accidit cuidam homini Sortem esse »; *Prior. Analyt.*, lib. I, tract. I, c. 3.

[1]) Vid. Albert. M., *Op. cit.*, ibid.

[2]) *Categ.*, c. 3, p. 82 ed. Waitz. Apposite s. Thomas: « Ex eo « quod aliquid tribuitur alicui, oportet ei attribui omnia, quae « sunt de ratione eius »; I, q. XXVIII, a. 3 c. Cf eiusdem, *In lib. III Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1 ad 6, et Albert. M., *Lib. De praedicam.*, tract. I, c. 6.

[3]) *Elem. Log.*, § 8, p. 66, ed. cit.

reducatur; illud vero rarius, scilicet, vel quando praedicatum est res singularis, puta *illud album est homo*, vel quando praedicatum notionem subieeti declarat, vel aliquid ita ei proprium, ut cetera excludat; e. g. *homo estanimal rationale*, aut *homo est animal capax ridendi*.

Contra ea, praedicatum enunciationis negantis secundum totum eius ambitum sumendum est. Et sane, si id, quod praedicatum significat, alicui parti subiecti conveniret, praedicatum a subiecto simpliciter removeri non posset. E. g., falsa est haec enunciatio: *nullum animal est rationale*, quia esse rationale convenit animali, quod est homo. At ipsum praedicatum accipiendum non est secundum totum eius complexum. Nam, quandoquidem omne praedicatum, tanquam unum intelligitur, ad removendum ipsum a subiecto satis est, si saltem unum eorum, quae praedicatum constituunt, in subiecto desideretur. Puta, vera est haec enunciatio: *nullum animans brutum est homo*, quia, etsi bruto, perinde ac homini, conveniat esse animal, tamen non convenit bruto esse rationale, quod notione hominis continetur.

Antequam manum ab hac tractatione amoveamus, valde interest novam, absurdamque sententiam Guil. Hamiltoni explodere, quia ab ipsa cl. Auctore, ut passim videbimus, multos errores elicuit, qui non parvam partem logicae aristotelico-scholasticae perturbant. Ipse pertinaciter tenuit, si enunciationes universales, et particulares secundum quantitatem, et qualitatem considerentur, inde non quatuor, quemadmodum a Scholasticis traditum est, sed octo enunciationis species existere. En eius argumentationem: Enunciatio, uti apud omnes Logicos in confesso est, partes, seu terminos iudicii ita significare debet, ut in intellectu ipsum conficiente sunt. Atqui in intellectu non modo subiectum, sed etiam praedicatum determinatam quantitatem habet, quia, cum intellectus nihil, nisi certum, definitumque intelligere valeat, termini a-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ctionis intellectricis, quae iudicium vocatur, determinati in intellectu sint oportet. Ergo enunciatio non modo subiectum, ut Scholastici post Aristotelem voluere, sed etiam praedicatum cum quadam nota, quae eius quantitatem declarat, efferre debet. Quantitas autem in utroque termino iudicii aequalis esse debet, quia iudicium intellectus non est aliud, nisi quaedam aequatio inter subiectum et praedicatum. Iamvero, quandoquidem intellectus in iudicio asserente universali intelligit praedicatum quandoque *universe*, quandoque *ex parte* sumtum cum subiecto convenire, necesse est praedicato enunciationis aientis universalis notam addere, ex qua patescat, utrum praedicatum eius universe, an ex parte accipiatur. Hinc duae species enunciationis universalis aientis sunt, scilicet *toto-totalis*, in qua ambo termini universe significantur, puta *omne triangulum est omne polygonum trium laterum*, et *toto-partialis*, in qua subiectum universe, et praedicatum ex parte enunciatur, e. g., *omnis homo est aliquod animal*. Idem dicito de particulari aiente; si quidem praedicatum in ea vel *universe*, vel perinde, ac subiectum, *ex parte* accipi potest. Inde duae aliae species enunciationis, nempe *parti-totalis*, in qua subiectum ex parte, et praedicatum universe significatur, e. g., *aliquod animal est omnis homo*, et *parti-partialis*, in qua praedicatum, non secus ac subiectum, ex parte significatur, puta, *aliqui homines sunt aliqui virtute praediti*. Quoniam ex enunciationibus aientibus universali, et particulari quatuor species enunciationis existunt, quatuor quoque a negantibus universali, et particulari existant necesse est, quia omni enunciationi aienti negans opponitur. Ita enunciatio negans, *toto-totalis*, est haec enunciatio: *nullum ens liberum est nullum ens non intelligens; toto-partialis* vero est haec: *nullus homo non est aliquis doctus*; tum *parti-totalis* haec: *aliquis homo non est nullus virtute praeditus; parti-partialis* demum haec: *aliqui grammatici non sunt aliqui docti* [1].

---

[1]) *Discussiones philosophicae* etc. (angl.), p. 116-174, Londini

Hoc est praecipuum caput, et veluti fundamentum opinionum logicarum, quas Hamiltonus, Aristotele, eiusque sectatoribus invitis, admittendas esse per summam iactantiam venditavit [1]. Cum porro cl. de Morgan, in Vniversitate Cantabrigiae disciplinarum mathematicarum Antecessor, ad eum redarguendum, veteresque Logicos vindicandos surrexisset [2], Hamiltonus, quasi indignatus victoriam iam partam sibi eripi velle, rursus in arenam descendit, et praeclarum sui adversarium ignorantiae, levitatisque in disputando accusavit [3]. In Gallia unus Waddingtonus, quantum scimus, novae *Analyticae* Hamiltoni lubenti animo plausit, et fere cuncta eius pronuntiata probavit [4]; nam Carol. Remusatius praecipuas opiniones Logici Edimburgensis ita enarravit, ut illas potius irridere, quam probare videretur [5].

Sed Hamiltonus, Vir ceteroquin acutus, et eruditus, libidine novam analyticen procudendi abreptus, in hac re, aliisque, multis ignorantiae, quam adversario suo Morgano iniuria obiecit, non dubia argumenta praebuit.

Enimvero, in primis indubium est iudicium per enunciationem non alio modo proferendum esse, quam quo in intellectu est, itemque cuiuslibet iudicii non modo subiectum, sed etiam praedicatum oportere esse determinatum : at omnino falsum est omne iudicium esse quamdam aequationem inter subiectum, et praedicatum. Nam aequatio inter subiectum, et praedicatum habetur, cum praedicatum idem est, ac subiectum ; pu-

---

1852. Cf eius discipulum Baynes, *Specimen novae Analyticae* etc. (angl.), Londini 1850.

[1]) *Op. cit.*, p. 614, ed. cit.

[2]) Vid. Comment. *De symbolis Log.* (angl.), quam ipse in Societate philos. Cantabrig. legit, et in vol. IX *Commentt.* eiusdem Societatis evulgavit.

[3]) *Op. cit.*, Appendix II, p. 621-652, ed. cit.

[4]) *Essais de Log.*, Ess. IV, p. 123 sqq, ed cit.

[5]) *Revue des Deux Mondes*, an. 1856.

ta *omnis homo est animal rationale*. Verum, intellectus non semper praedicatum cum subiecto coniungit ex eo, quod illud cum hoc omnino idem esse intelligit, sed non raro, immo saepius ex eo dumtaxat, quod unum esse partem alterius cognoscit; puta, si perspiciens esse in homine vitam sentientem, conficit hoc iudicium: *omnis homo est animal*. Quamobrem intellectus, quoties iudicium conficit, aequationem inter praedicatum, et subiectum eius haud statuit, quemadmodum Hamiltonus vult, sed praedicatum cum subiecto coniungit secundum quantitatem, quam natura subiecti expostulat. Certe, si in omni iudicio aequatio inter subiectum, et praedicatum expostularetur, non alia iudicia, nisi *identica* admittenda essent: hoc autem, praeterquam quod falsum est, omnem, ut ipsemet Waddingtonus advertit [1], et nos suo loco ostendemus, scientiam destrueret.

At, quidquid sit de hoc generali pronuntiato Hamiltoni, illud certum est a quantitate praedicati non posse sumi divisionem enunciationis diversam ab illa, quae a quantitate subiecti sumitur. Nam, cum quantitas praedicati *esse* suum habeat in subiecto, de quo praedicatur, quantitas, quae de subiecto in enunciatione praedicatur, alia esse non potest, quam ipsa quantitas subiecti. Atqui, si quantitas praedicati non est aliquid diversum a quantitate subiecti; repugnat ipsam esse principium divisionis diversum a quantitate subiecti, quia ab eodem principio diversae divisiones peti non possunt. Ergo a quantitate praedicati sumi nequit divisio enunciationis diversa ab ea, quam quantitas subiecti suppeditat. Ex quo facile conficitur quatuor species enunciationis, quas a quantitate praedicati Hamiltonus derivavit, non posse esse diversas ab aliis quatuor, quas Scholastici, post Stagiritam, secundum quantitatem subiecti numerarunt.

Praeterea, divisio enunciationis, quam Hamiltonus a

---

[1]) *Op. cit.*, ibid., p. 135 et 136.

quantitate praedicati derivavit, ad notionem logicam enunciationis minime pertinet. Et sane, logica, ut diximus, etsi rerum contemplatione iuvetur, tamen non circa res, sed circa leges, quibus intellectus ad diversarum rerum cognitionem pervenire potest, versatur [1]. Immo Hamiltonus, ut quoque adnotavimus [2], in eo peccavit, quod logicam unas leges, quae ad formam syllogismi spectant, exponere, proindeque unum syllogismum *purum* esse eius obiectum censuit. Iamvero, novae species enunciationis, quas Hamiltonus proposuit, pertinent ad diversas naturas rerum, non vero ad leges, quarum ope intellectus ad illarum cognitionem pervenit, quippe quod ad cognoscendum, utrum praedicatum universe, an ex parte tantum cum subiecto coniungendum sit, satis non est nosse unum alteri inesse, sed oportet cognoscere, utrum, necne praeter subiectum sint alia, quibus idem praedicatum insit. E. g., non licet intellectui conficere haec duo iudicia : *omne triangulum est omne poligonum trium laterum*, et *omnis homo est aliquod animal*, nisi cognoscat non esse aliud polygonum trium laterum, quam triangulum, atque e contrario esse aliud animal, quod non est homo. Ergo novae enunciationes, quas Logicus Edimburgi in logicam invehere studuit, nonnisi perspectis singulis naturis rerum, de quibus iudicatur, confici possunt. Contra ea, cum non aliud officium Logici sit, quam instrumenta ad scientiam rerum assequendam accommodata exponere, ipse tradere dumtaxat debet generales modos, secundum quos intellectus praedicatum ad subiectum referri intelligit, diversasque notas, quibus illos modos in enunciatione significare oportet. Iam, quandoquidem intellectus intelligit praedicatum ita esse ad subiectum comparatum, ut ei vel convenire, vel repugnare possit, et subiectum, ex quo τὸ *esse* praedicati promanat, esse posse vel universale, vel particulare, enunciationem primo in *aientem*,

---

[1]) Vid. *Logic.* Proleg., p. 163-176. — [2]) *Ibid.*, p. , et 175-176.

et *negantem*, deinde utramque in *universalem*, et *particularem* dividit, quatuorque species enunciationis, quas secundum Aristotelem exposuimus, enumerat. Porro, cum intellectus illud etiam intelligat, praedicatum esse posse vel subiecto, de quo agitur, proprium, vel alii cum ipso commune, statuit hanc generalem regulam, praedicatum enunciationis universalis aientis accipi posse vel *universe*, vel *ex parte*, specialium scientiarum cultoribus decernendum relinquens, utrum illud in singulis enunciationibus universe, an ex parte accipiendum sit.

Accedit his, quod novae enunciationes, quas Hamiltonus commentus est, vel falsae, vel frivolae sunt. Re vera, si praedicato universalis aientis nota addatur, ipsa, monente Alberto M., falsa evadit. Nam, cum praedicatum aientis universalis, ut dictum est, per singula, quae subiecti notione comprehenduntur, distribuatur, sequeretur praedicatum *universaliter*, hoc est, secundum universum eius ambitum, singulis, subiecti notione comprehensis, convenire. Puta, si vera esset haec enunciatio: *omne triangulum est omne polygonum trium laterum*, vera etiam dicenda foret haec alia : *unumquodque triangulum est omne polygonum trium laterum*. Si vero nota praedicato universalis negantis adiiciatur, ipsa in aientem universalem mutatur. Ita, haec enunciatio: *nullus homo est nullum animal*, redit ad hanc: *omnis homo non nullum animal est*, quia utraque negatio in ea, ut idem Albertus advertit, si loco suo ponatur, ad compositionem pertinet; haec autem eadem est, ac ista universalis aiens, *omnis homo est aliquod animal*. Vnde Beatus Doctor, ex quo hanc argumentationem accepimus, quasi errori Hamiltoni obviam iturus, illud decrevit, « quod signum uni- « versale ad praedicatum non est ponendum [1] ».

Idem planum fiet, si enunciationes particulares expendantur. Vt de quibusdam, e. g., dicamus, in hac enunciatione, quam Hamiltonus *parti-totalem* vocat, *a-*

---

[1]) *Periherm.*, lib. I, tract. V, c. 1.

liquod animal est omnis homo, ordo partium praeposterus est ; si enim naturalis ordo inter partes ponatur, ipsa ad hanc redit, *omnis homo est aliquod animal*, quam ipsemet Auctor *toto-partialem* appellaverat, sive ad hanc, *omnis homo est animal*, quae a Scholasticis , et a cunctis recentibus Logicis *aiens universalis* dicta est. Frivolae porro sunt istae enunciationes *parti-partiales: aliqui homines sunt aliqui virtute praediti*, et *aliqui grammatici non sunt aliqui docti*; nam, cum subiecta harum enunciationum sint particularia , praedicata in illis non universe, sed ex parte sumi manifestum est.

Aliis huius doctrinae vitiis omissis, illud postremo loco animadvertendum est quatuor novas species enunciationis, ab Hamiltono propositas, loquendi rationi adversari, quam non modo vulgus, sed docti constanter adhibuere. Quis enim Geometra unquam scripsit *omne triangulum esse omne polygonum trium laterum*? quis Philosophus unquam dixit *omnem hominem esse aliquod animal*, aut *nullum ens liberum esse nullum ens non intelligens* ? Quem e vulgo audivimus aliquando erumpere in has locutiones: *aliqui homines sunt aliqui fures*, aut *aliqui homines non sunt aliqui fures* , aliasque eiusdem furfuris ? Nihilominus huiusmodi sunt enunciationes , quas Hamiltonus, tamquam valde opportunas ad iudicia intellectus significanda , et linguam scientiarum propriam perficiendam, in logicam invehere studuit. Verum, quandoquidem Logicus, ut in Prolegomen. diximus, non debet communes loquendi modos emendare, sed e contrario analysim communis sermonis instituere , ut sermone , veluti externo subsidio, adiutus, examen actionum mentis humanae facilius perficere valeat , vel ex hoc patescit Hamiltonum numerum illarum enunciationum augendo , quarum frequens, latusque usus in doctrina syllogismi est, non solum non contulisse quidquam ad logicae profectum, sed communes, et evidentes huius notiones perturbasse. Quod quidem novo argumento est operam suam illos omnino abuti, qui aliquam partem logicae aristotelico-scholasticae vel refellere, vel emendare adnituntur.

ARTICVLVS DECIMVS

De enunciationibus modalibus

Ad qualitatem enunciationis illae enunciationes revocandae sunt, quae a Commentatoribus Aristotelis ἀποφάνσεις μετὰ τρόπου, sive, ut latini verterunt, *enunciationes cum modo*, atque a Scholasticis, *enunciationes modales* nuncupatae fuere [1]. Aristoteles, ut doctrinam de oppositione, aliisque affectionibus enunciationis integram, absolutamque traderet, diversas species enunciationum, quae *modales* ab eius sectatoribus dictae sunt, enumeravit, quin *modi*, τοῦ τρόπου, voce uteretur, easque quatuor esse scripsit, nempe *necessariam*, *fortuitam*, seu, ut Boëtius vertit, *contingentem*, *impossibilem*, et *possibilem* [2]. Antiqui vero eius Interpretes, praesertim latini, atque in media aetate Scholarum Doctores illas diligenter recensuerunt, et explicarunt. Ast a non paucis Scholasticis sequentium aetatum doctrina modalium tot, tantisque litibus exagitata, et implexa fuit, ut *crux logicorum* a Kechermano non immerito dicta sit [3]. Contra ea, sub recentis aetatis initium Laurentius Valla [4], Petrus Ramus [5], aliique humanarum litterarum cultores tractationem modorum ad metaphysicam, non vero ad logicam pertinere vehementer pugnarunt, ea ratione permoti, quod modus, qui

---

[1]) Satis est commemorare inter Graecos Ammonium (*In Arist. Periherm.* c. 12, *Schol.* ed. Brandis, p. 136), et Boëtium (*In lib. Arist. De interp.*, edit. 1ae lib. II, p. 266, et ed. 2ae lib. III, p. 424, ed. cit.). Videre iuvabit Biese, *Op. cit.*, vol. I, p. 113, ed. cit.

[2]) *Op. cit.*, c. 12, p. 138, ed. cit.

[3]) *Systema totius logicae*, lib. II, c. 3, n. 1, Lugduni 1607. In Scholis, ut idem Auctor adnotavit, illud invaluit, *De modali non gustabit asinus*. Doctrinam modalium non paucis difficultatibus laborare ipse Stagirita iam lectorem suum monuerat illis verbis: ἔχει γὰρ ἀπορίας τινάς; *Op. cit.*, c. cit.

[4]) *De Dialect.*, lib. II, c. 19, *Opp.* p. 716-719, Basileae 1540.

[5]) *Animadv. in Dial. Arist.*, lib. VII, p. 247, Parisiis 1556.

id genus enunciationibus additur, materiam, non formam enunciationis afficit; quapropter nullas enunciationes modales dari senserunt [1]. Ludovicus Vives enunciationes, quibus additur modus, non ad logicam, aut ad metaphysicam, sed ad grammaticam amandavit, quia totam hanc controversiam circa voces *necessarium*, *possibile*, *impossibile*, et *contingens* versari putavit, Aristotelemque de illis in logica ideo disseruisse dixit, quod ars grammatica iam ante eum tradita non erat [2]».

Verum, plerique recentes Philosophi, eruditis illis Viris repugnantibus, locum modalibus in logica vindicarunt, eosque secuti sunt multi nuperrimi Germani, auctore Kantio, qui, cum inter praecipuas, generalesque categorias *modalitatem* numerasset, diversas enunciationum modalium species inde deduxit [3].

Nec a Kantio, eiusque sectatoribus adversarii philosophiae kantianae dissensere, inter quos nominare satis est Georgium Heghelium [4], licet isti aliter, ac Kantius, enunciationes modales explicarent. Sed opinionem, a Laur. Valla, aliisque humanarum litterarum studiosis profectam, Guil. Hamiltonus nuper instauravit, eumque inter alios Lichtenfelsius secutus est [5]. Hamiltonus aliquid novi ad hanc rem afferre quasi gloriatus est; sed re ipsa Vallae, et Vivesii vestigia relegit. Etenim secundum Vallam ostendit explicationem modalium non esse officii logici, sed metaphysici, ex eo quod quatuor modi ab Aristotele re-

---

[1]) « Quapropter, Valla scribit, ita sentio, nihil esse enuncia-« tionem modalem »; *Op. cit.*, ibid., p. 717.

[2]) *De causis corruptarum artium*, lib. III, p. 134, Neapoli 1764. Cl. Vir totum librum Περὶ ἑρμενείας esse grammaticum censuit. « Nam, ait, cuius est dicere, quid nomen sit, quid verbum, « quid pronunciatum, quid universale, quid singulare, nisi gram-« matici ? » *Ibid.*

[3]) *Op. cit.*, *Log. trans.*, lib. I, c. 1, sect. 2, et 3, vol. I, p. 129 sqq, ed. cit.

[4]) *Encyclop.*, § 180, ed. cit. Cf *La log. subiect.*, c. 2, n. 3, et 4, p. 47 sqq, ed. cit.

[5]) *Op. cit.*, ibid. § 35, p. 59, ed. cit.

censiti ad res spectant, prout in se sunt, non prout ab intellectu cogitantur, et secundum eumdem Vallam, et Vivesium animadvertit, si quatuor illis notionibus metaphysicis in doctrina enunciationis locus detur, quid est, quod non et notionibus *certi*, *probabilis*, *utilis*, *boni*, *iusti*, aliisque infinitis adytus patefiat? Id ex eodem Aristotele comprobare studuit, quippe qui, eius sententia, in eodem capite primum quatuor illos modos recensuit, tum illis duos alios, nempe *verum*, et *falsum* adiecit [1]. Lud. Vives observaverat a Ioan. Buridano, aliisque quibusdam Scholasticis sex modis enumeratis additos fuisse hosce duos, *scitum*, et *opinatum*, nempe, uti Hamiltonus deinde inquit, *certum*, et *probabile* [2]. Nobis in hac sententia Scotus quoque versatus fuisse videtur [3]. Inter nuperos Bart.-Saint-Hilaire doctrinam modalium, quemadmodum Aristoteles sensit, ad logicam pertinere [4], et non plures, quam quatuor modos ab Aristotele expositos fuisse [5] contendit.

Vt vera, germanaque natura enunciationis modalis cognoscatur, litesque a Logicis circa eam motae commode dirimantur, e re est de notione modi aliquid eorum innuere, quae in *Idealogia* fuse erimus dicturi.

Quandoquidem res creatae non sunt ipsum suum *esse*, sed a Deo *esse* suum recipiunt, necesse est, ut quaelibet res creata *esse* habeat quibusdam limitibus coercitum, sive, ut Scholae aiunt, *mensuratum*, quia quidquid res recipit, uti effatum Scholae fert, secundum naturam suam, hoc est, naturae suae commensuratum recipit [6]. Atqui « mensura, aiente s. Augustino,

---

[1]) *Op. cit.*, *Log.* p. 225, 228, ed. cit.

[2]) *Op. cit.*, ibid. p. 105.

[3]) *In lib. I Prior. Analyt.*, qq. XXV, et XXXVI passim.

[4]) *La Log. d'Arist.*, trad. etc., Prèf. t. I, p. LXIII-LXVI, Paris 1844.

[5]) *La Log. d'Aristote*, part. 2, sect. I, c. 3, p. 199 sqq, Paris 1838.

[6]) « Cum autem, ut s. Thomas ait, creaturae non sint suum

« omni rei modum praefigit [1] ». Ergo quidquid rerum existit, « quodam modo, ut idem Doctor ait, cohibe- « ri [2] » oportet. « Modus, ipse quoque scribit, omnibus « tribuitur rebus, ut aliquo modo esse possint [3] ». Porro cum in rebus creatis sit et aliquod *esse* essentiale, et aliquod *esse* accidentale, consequitur in qualibet re creata modum inveniri non solum in iis, quae eius essentiam efficiunt, sed etiam in iis, quae essentiae eius iam constitutae adiiciuntur, nempe, ut in Scholis loquendi mos est, accidunt. Apposite idem Aquinas « . . . . ubi- « cumque est aliquid receptum, oportet ibi esse mo- « dum, cum receptum limitetur secundum recipiens. « Et ideo, cum esse creaturae essentiale, et accidenta- « le sit receptum, sic modus non solum invenitur in « accidentalibus, sed in substantialibus [4] ».

Iam vero, quoniam enunciatio, perinde ac omnis actio cognitrix, ut saepe dictum est, in natura rerum, circa quas versatur, fundamentum habet, ideo necesse est in enunciatione inveniri et aliquos modos, qui essentiam eius, et aliquos modos, qui accidentia eius spectant. Vtrumque modorum genus, qui in enunciatione occurrere possunt, hic inquirere opus est, tum ut lis de numero enunciationum modalium a Scholasticis agitata dirimatur, tum ut opinio eorum, qui inde argumentum ad modales e logica exterminandas sumunt, diiudicetur. Ast, antequam hanc investigationem aggrediamur, advertendum est modos, propter quos enunciationes dicuntur modales, non esse illos, qui rem praedicatam, sed illos, qui compositionem rei praedicatae cum subiecto afficiunt. Nimirum modus in enunciatione aliquando determinat rem, quae de subiecto praedicatur,

---

« esse, oportet, quod habeant esse receptum. Et per hoc eorum « esse est finitum, et terminatum per mensuram eius, in quo re- « cipitur »; *Qq. dispp., De Ver.*, q. XXI, a. 6 c.

[1]) *De Gen. ad litt.*, lib. IV, c. 3, n. 7.

[2]) *De natura boni cont. Manich.*, lib. I, c. 21.

[3]) *De nat. bon.* etc., c. 22. — [4]) *Op. cit.*, ibid. ad 5.

puta cum dicitur, *Socrates bene, aut male legit*; quandoque autem compositionem eius cum subiecto, puta *contingit Socratem disputare*. Re vera, cum dicitur, *Socrates bene, vel male legit*, illa adverbia *bene*, vel *male* determinant τὸ *legere*, quod de Socrate praedicatur, non vero coniunctionem τοῦ *legere* cum Socrate; unde ipsa resolvitur in hanc: *Socrates est bene, vel male legens*. Contra, ea, cum dicitur, *contingit Socratem disputare*, τὸ *contingit* non determinat τὸ *disputare*, quod Socrati tribuitur, quia per ipsum specialis modus disputandi non significatur, sed modum determinat, quo τὸ *disputare* Socrati tribuitur, quia significat Socratem quidem disputare, at necesse non esse, ut disputet. Quae non resolvitur in hanc, *Socrates est contingenter disputans*, sed in hanc, *Socrates contingenter est disputans* [1].

Lud. Vives contendit non solum illa quatuor, quae Aristoteles numeravit, nempe *necessarium*, *contingens*, *impossibile* et *possibile*, sed etiam omnia adverbia modi enunciationes reddere modales, puta *Socrates celeriter currit*, *bene*, *aut male*, ut doctrinam modalium non esse logici officii inde conficeret [2]. Verum, Albertus M. iam observaverat illam enunciationem, quam, exempli gratia, Vivesius adduxit, aliasque id genus, in quibus modus ad rem verbo praedicatam refertur, stricto, et proprio sensu modales non posse dici. Namque illae enunciationes sunt vere, et proprie modales, in quibus modus non partem aliquam enunciationis per se spectatam, sed totam enunciationem afficit. Atqui modus, qui ad rem verbo praedicatam refertur, non afficit totam enunciationem, sed dumtaxat partem eius, quia rem, quae de subiecto praedicatur, non vero praedicationem,

---

[1]) Hinc s.Thomas, de enunciatione necessaria disserens,subdit: « Necessitas propositionis ex principali verbo pendet, in qua in« telligitur compositio »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVIII, q. I, a. 5 ad 4. De diversitate modorum, qui in enunciatione occurrere queunt, videsis Mich. Psellum, *Synops. Log. Arist.*, lib. I, c. 10, Augustae Vindel. 1597. — [2]) *Op. cit.*, loc. cit.

sive enunciationem eius de subiecto determinat. Ergo enunciationes cum modo, qui ad rem praedicatam refertur, modales stricte dici non possunt. Quocirca tenendum est illas enunciationes re ipsa esse, et dici posse modales, quarum compositio speciali quodam modo determinatur; si quidem, cum per copulam verbalem, quae compositionem significat, subiectum, et praedicatum inter sese conferantur, modus, qui copulae verbali additur, totam enunciationem determinat. Ita, modalis est enunciatio, quam, e. g., ante adhibuimus, nempe *contingit Socratem disputare*, quia τὸ *contingit* nec *Socratem*, nec *disputare* afficit, sed modum specialem, quo *disputare* Socrati convenit, significat [1]. Eamdem, ac Albertus, omnesque politiores Scholastici, sententiam Kantius propugnavit [2], eumque, frustra obstrepente Heghelio [3], plerique eius discipuli secuti sunt [4].

Ex his, quae ab Alberto M. sumpsimus, non solum error Vivesii refellitur, sed perspicitur quoque quaestionem hic esse de modis, qui compositionem subiecti cum praedicato, non vero de modis, qui praedicatum determinant. Iamvero, ex modis compositionem afficientibus illos, qui ad essentiam enunciationis pertinent, esse veritatem, et falsitatem satis per se perspicuum est. Etenim « nihil

---

[1]) « Dicamus ergo, Beatus Doctor ait, quod dupliciter dicitur « enunciatio modalis, scilicet a modo compositionis, et a modo rei « praedicatae. A modo autem rei praedicatae, ut quando dicitur, « Sortes legit bene vel alte vel male: et hic modus, quia non modi- « ficat totam enunciationem, sed tantum rem praedicati, non pot- « est facere totam enunciationem modalem. Est autem modus « compositionis, qui specialis modus est disponens, et in formam « specialem ponens compositionem, sicut possibile, contingens, « necessarium, et impossibile, verum, et falsum. Et hi modi spe- « ciales specialiter constituunt illam enunciationem, quae specia- « liter modalis vocatur »; *Periherm.*, lib. II, tract. 2, c. 1. Cf Scotum, *Op. cit.*, q. XXXVI, n. 5.

[2]) *Op. cit.* ibid. — [3]) *Encyclop.*, p. 178 ed. cit.

[4]) Cf prae ceteris, Kiesewetter, *Specimen log. gener. secundum principia Kantii* (germ.), § 116, Berol. 1824. De hac controversia videndus est Trendelenburgius, *Disquis. log.*, t. II, p. 131 sqq, ed. cit.

« aliud, aiente s. Thoma, est verum, quam esse quod est, « vel non esse quod non est; et nihil aliud est falsum, « quam esse, quod non est, vel non esse, quod est [1] ». Atqui essentia enunciationis, uti ostensum est, in eo consistit, quod significat esse, quod est, aut non esse, quod non est. Ergo veritas, et falsitas ad essentiam enunciationis pertinent [2]. Hinc, quoniam enunciatio vera, aut falsa esse potest, veritatem, et falsitatem esse duos modos enunciationis, qui in essentia eius fundantur, tenendum est.

At, quamvis veritas, et falsitas sint modi, qui ad compositionem enunciationis pertinent; tamen, contra ac idem Vives post Scotum, et Buridanum, et nuper Hamiltonus senserunt, enunciationem modalem non reddunt. Namque enunciationes modales, ut idem Albertus animadvertit, illae sunt, quae aliquid in aliquo non *simpliciter*, sed cum aliquo speciali modo inesse, aut non inesse significant. Atqui veritas, et falsitas non aliquem specialem modum, quo aliquid in aliquo inest, sed ipsum *inesse*, aut *non inesse* aliquid in aliquo significant. Veritas igitur, et falsitas non sunt modi, qui enunciationem reddunt modalem. Ex quo patet veritatem, et falsitatem esse modos omni enunciationi communes, seu generales, quia ex ipsa essentia enunciationis exurgunt, sed modos, qui enunciationem reddunt modalem, esse diversarum enunciationum proprios, seu speciales, quia sunt diversi modi, quibus modi omni enunciationi communes varie determinantur. Hinc Albertus M. sapienter docuit orationem esse veram, vel falsam ex eo quod « res est, vel non est », sed esse modalem ex eo quod « sic, vel sic res se habet ad suam causam [3] »; atque explicatius Bossuetus scripsit « quatuor modos i-

---

[1]) *In lib. I Periher.* lect. XIII. Cf s. Aug., *Conf.*, lib. VII, c. 15, n. 21.

[2]) Vid. p. 107, et 108.

[3]) « Verum autem, ipse inquit, et falsum, quamvis sint modi « compositionem determinantes: tamen non ampliant compositio-

« ta propositiones afficere, ut ipsae non solum rem « esse veram, sed quomodo vera sit, declarent [1] ».

Nec audiendus est Hamiltonus, qui secundum aliquos Scholasticos contendit Aristotelem quatuor modis principio recensitis duos alios, nempe verum, et non verum adiecisse. Etenim Aristoteles in fine capitis non enumeravit modos, qui enunciationem modalem efficiunt, quemadmodum initio fecit [2]; sed asseruit possibile, et non possibile, contingens, et non contingens, necessarium, et non necessarium, impossibile, et non impossibile esse dictiones oppositas, τὰς ἀντικειμένας φάσεις, uti verum, et non verum sunt opposita [3]. Et sane, si illi quatuor modi significant, quomodo aliquid sit verum, vel non verum, necesse est, ut sibi opponantur, quemadmodum verum, et non verum sibi opponuntur. Vnde Boëtius verum, et non verum, quae Stagirita addidit, ad omnium modalium demonstrationem valete dixit [4]; quia vera est omnis modalis, quae significat aliquid alicui inesse, aut non inesse, sicut re ipsa inest, aut non inest, et non vera, quae aliquid alicui aliter inesse, aut non inesse significat, quam re ipsa inest, aut non inest [5].

« nem secundum tempus, nec in specialem aliquem modum for- « mant compositionem, sed dicunt generalem modum illarum de « inesse, ideo non sunt modi speciales, sed sunt modi quidam non « facientes propositionem modalem, nisi secundum quid: quia in « eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa; sed non « in eo, quod res est, vel non est, oratio dicitur possibilis, vel con- « tingens, necessaria, vel impossibilis. Sed potius in eo, quod sic, « vel sic res se habet ad suam causam, in eo oratio formata, sive « complexa de re, est possibilis, vel contingens, vel de necessario, « vel de impossibili »; *Ibid.*

[1]) *Log.*, lib. II, c. 5, *Oeuvr. phil.*, p. 363 ed. cit.

[2]) P. 138, ed. cit. — [3]) *Ibid.*, p. 140.

[4]) « Quod autem addidit verum, et non verum, ad demonstratio- « nem omnium modalium valet »; *In lib. I De interpr.* ed. 1, p. 271 ed. cit.

[5]) Eodem modo, ni fallimur, Waitzius hunc locum Aristotelis interpretatus est, cum ait: « Haec addit, quia quod verum est « in dicendo, id recte dicitur esse, quod falsum, non esse »; *Op. cit.*, ibid., p. 358.

Quandoquidem modi, ex quibus enunciatio modalis efficitur, non sunt neque illi, qui ad praedicatum referuntur, neque illi, qui compositionem quidem omni enunciationi communem constituunt, sed ad essentiam enunciationis pertinent, consequens est ipsos non esse alios, quam qui compositionem varie determinat. Id luculenter patet ex definitione modi, quam Interpretes tradidere. Enimvero, τροπος, quem Boëtius *modum* vertit [1], ex definitione Ammonii, quae est Graecorum communis, est « vox, quae significat, quomodo praedicatum in subiecto « insit [2] ». Atqui eiusmodi non est nec vox significans aliquid, quod rem praedicatam determinat, uti per se patet, nec vox significans aliquid, quod compositionem rei praedicatae cum subiecto efficit, quia haec vox simpliciter *inesse*, aut *non inesse* significat; sed eiusmodi est vox significans aliquid, quod compositionem determinat, quia, cum compositio inesse, aut non inesse significet, non alia vox significare potest, quomodo aliquid in aliquo insit, aut non insit, quam quae aliquid significat, quod compositionem verbi determinat. Ergo non alii modi enunciationem modalem efficere possunt, quam qui compositionem verbo contentam determinant. Id, secundum Boëtium [3], Albertus M. luculenter nos docuit;

---

[1]) *In lib. De interpr.* ed. 1, p. 266 sqq, et ed. 2, p. 424 sqq, ed. cit.

[2]) *Schol.* ed. Brandis, p. 136. Τρόπος, uti apud eumdem Ammonium videre licet (*loc. cit.*), principio ad omnia adverbia modi spectavit, deinde ad certa notionum genera, ex quibus enunciatio varie determinatur, auctore Aristotele, coactus fuit. Logici latini τρόπου, auctore Boëtio (ll.citt.), perinde ac grammatici, ἔγκλισιν (vid. Quintilian., *Instit. orat.*, lib. I, c. 5) *modum* verterunt; nam, quemadmodum ἔγκλισις significat id, quod orationem perfectam per modos indicativi, optativi, aliosque variat, ita τρόπος id, quod enunciationem quodam speciali modo determinat. Inde invaluit appellatio enunciationis *modalis* apud Scholasticos, nec non *modalitatis* apud Kantium, eiusque sectatores. Cons. Trendelenb., *Elem. log.*, § 7, p. 63, et 65.

[3]) *In Op. cit.* ed. 1, p. 271 ed. cit.

hic enim, uti ex locis iam recitatis, aliisque multis perspicitur, asseruit possibile, et contingens, nec non necessarium, et impossibile esse « oppositiones determi- « nantes dicti compositionem [1] ».

Quamobrem diversas species enunciationum modalium nosse volentibus inquirendum nobis est, quot sint modi, quibus aliquid in aliquo inesse, vel non inesse queat. Quin porro haec inquisitio ad logicam spectet, nemini dubitandum est. Nam, quoniam res, ut diximus, diversis modis secum coniunguntur, aut ab se dirimuntur, ad scientiam illarum assequendam oportet non solum nosse, quid in ipsis insit, sed etiam, quomodo in rebus insit quiquid in eis inest. E. g., si quis dumtaxat novit circulum esse rotundum, scientiam, seu perfectam cognitionem circuli nondum habet; sed ad hanc acquirendam opus ei est inquirere, quomodo *esse rotundum* circulo insit, nempe utrum necesse sit, an contingat circulum esse rotundum. Atqui Logicae est omnes vias tradere, per quas intellectus ad scientiam rerum assequendam pervenire potest. Ergo non solum quid compositionem in enunciatione efficiat, sed etiam quibus modis ipsa compositio variari queat, tradere logici officii est. Nec nos movere debet, quod de necessario, aliisque modis in *Idealogia* fuse, et ex industria tractatur; si quidem in hac aliter, ac in logica, considerantur. Enimvero Ideologus, seu Metaphysicus, ut suo loco videbimus, de illis disputat, prout sunt conceptus, qui, quomodo res se habeant, repraesentant; logicus vero, prout sunt conceptus, qui iudicium de rebus varie determinant. Puta, Ideologus inquirit, quomodo intellectus conceptum necessarii sibi efformet, quidque in rerum natura sit, quod illi respondet; sed logicus expendit, quomodo intellectus intelligat aliquid alicui necessario inesse, et quomodo id in enunciatione significetur.

---

[1]) *Op. cit.*, tract. II, c. 2. Cf Scotum, *Prior. Analyt.*, q. XXXVI, n. 5.

Aristoteles, ut dictum est, censuit quatuor esse modos, ex quibus enunciatio modalis efficitur, scilicet δυνατὸν, *possibile*, ἐνδεχόμενον, *contingens*, ἀναγκῖον, *necessarium*, et ἀδυνάτὸν, *impossibile* [1]; si quidem, ut paulo post dicemus, quoties aliquid cum aliquo conferimus, intelligimus aut fieri posse, ut unum in alio insit, aut contingere, seu accidere, quod insit, aut necesse esse, ut insit, aut fieri non posse, ut insit. Scholastici, in primisque Albertus M. [2], s. Thomas [3], aliique, si perpaucos exceperis, Magistri sui sententiam propugnarunt. In recenti aetate fere omnes Aristoteli, non plures quatuor modis recensenti, adstipulati sunt; verum, secus ac Scholasticis visum est, putarunt enunciationes, quibus illi modi adduntur, non efficere peculiarem speciem enunciationis, sed esse complexas, uti Auctor *Artis cogitandi* voluit [4], vel, ut Bossuetus censuit [5], ad complexas, aut ad incomplexas revocari, prout illarum termini sunt incomplexi, aut complexi. A recensione modorum aristotelica parum Kantius, at multum Heghelius abludit; verum ab eorum placitis exponendis, excutiendisque in praesentia abstinemus, cum haec sine penita systematum philosophiae transcendentalis notitia intelligi nequeant.

Vt vero recensionis aristotelicae ratio patescat, advertendum est Aristotelem non omnes modos, quibus aliquid alicui inesse, aut non inesse potest, exposuisse, sed illos dumtaxat, qui, ut Ammonii verbis utamur, « maxime « universales sunt, atque ad intimam naturam rei spe« ctant [6] ». Id monuisse opus nobis fuit, ut errorem propulsaremus Vallae, Vivesii, et Hamiltoni asserentium, si quando quatuor modis, aut sex a Stagirita enumeratis locus in logica detur, nihil causae esse, cur sexcentis aliis, puta bono, utili, aliisque id genus adytus praecludatur. Nam, cum Logici officium non sit omnes conceptus intel-

---

[1]) *Loc. cit.* — [2]) *Periherm.*, lib. II, tract. II, c. 1.
[3]) *In lib. I Periherm.*, lect. XIV.
[4]) *Op. cit.*, ibid. — [5]) *Op. cit.*, ibid.
[6]) « . . . καθολικωτάτους τε καὶ αὐτῇ τῇ φύσει τῶν πραγμάτων οἰκειοτάτους; *Op. cit.*, ibid.

lectus expendere, sed dumtaxat ordinem tradere, quem intellectus inter suos conceptus statuere debet ad scientiae rerum adeptionem, ipse procul dubio non omnes modos, quibus aliquid de aliquo enunciari potest, sed illos solos, ad quos ceteri reducuntur, tradat necesse est. Qua de re quaerendum non est, num quatuor modi, quos Aristoteles explicuit, sint omnes, qui enunciationibus additi illas reddunt modales, sed num reliqui modi ad illos quatuor revocentur.

Si huius quaestionis solutionem facile invenire voluerimus, advertendum nobis est modos enunciationis nec plures, nec alios esse posse, quam sunt modi universales, et primi, secundum quos τὸ *esse* in rebus intelligere possumus. Nam, quoniam *esse*, vel *non esse*, uti ostensum est, compositionem, quae verbo continetur, efficit, sequitur compositionem tot modis determinatam in enunciatione a nobis intelligi posse, quot sunt modi, quibus τὸ *esse* in rebus determinatum intelligimus. Iamvero τὸ *esse*, uti Albertus M. observavit, in primis intelligitur vel prout est *in potentia*, vel prout est *in actu*; unde prima divisio eius, quemadmodum in *Idealogia* videbimus, fit in ens, quod est *in potentia*, et in ens, quod est *in actu*. Ens autem, quod est *in potentia*, si consideretur secundum se, veluti *possibile* intelligitur, quia, etsi non sit *in actu*, nihil tamen prohibet, quominus *in actu* esse possit; sin consideretur tanquam relatum ad causam propriam, per quam ad actum reducitur, intelligitur tanquam *contingens*, quia, cum causa propria, et proxima, per quam contingens ad actum reducitur, non sit aliquid necessarium, et immutabile, contingens ita est *in actu*, ut esse etiam non possit [1]. Ens autem, quod est *in actu*, si consideretur in eo τὸ *esse*, quod habet, intelligitur tanquam *necessarium*, quia, uti s. Thomas secundum Aristotelem [2]

---

[1]) Vid. s. Thom., *In lib. I Periherm.*, lect. XIII; *In lib. II Sent.*, Dist. XXV, q. I, a. 1 *sol.*; I, q. XIX, a. 3 ad 5.

[2]) Τὸ μὲν οὖν εἶναι τό ὂν ὅταν ᾖ, καὶ τὸ μὴ ὂν μὴ εἶναι ὅταν μὴ ᾖ, ἀνάγκη; *De interpr.* c. 9, p. 132 ed. cit.

animadvertit, « omne, quod est, necesse est esse, quando « est, et omne, quod non est, necesse est, non esse, quando « non est [1] » ; sin consideretur τὸ quod *non esse*, τῷ *esse*, per se, sive simpliciter spectato opponitur, intelligitur tamquam *impossibile*, quia, cum id, quod τῷ *esse* simpliciter considerato opponitur, non sit nec *in actu*, nec *in potentia*, non solum non est *in actu*, sed etiam fieri non potest, ut unquam *in actu* sit [2].

Quandoquidem prima divisio entis est in ens, quod est *in actu*, et in ens, quod est *in potentia*, et ob hanc divisionem, ens tanquam possibile, vel contingens, vel necessarium, vel impossibile intelligitur, inde fluit *possibile*, *contingens*, *necessarium*, *impossibile* esse modos universales, et primos, quibus compositio in enunciatione affici potest, quippe quod compositio, ut dictum est, esse, vel non esse praedicatum in subiecto denotat, proindeque quatuor species enunciationis modalis ab Aristotele scite assignatas fuisse, scilicet *possibilem*, *contingentem*, *necessariam*, et *impossibilem*. Enunciatio possibilis ea dicitur, in qua τὸ *esse* praedicati, quod cum subiecto coniungitur, *actu* in eo non est, sed esse potest ; puta si, quando Socrates stat, aut sedet, dixeris : *possibile est Socratem currere*. Contingens est ea, in qua τὸ esse praedicati *actu* inest quidem in subiecto, sed ita, ut non repugnet non *inesse* ; puta, si de Socrate currente dixeris : *contingit Socratem currere*. Necessaria autem illa vocatur, in qua τὸ *esse* praedicati per se inest in subiecto, ita ut non inesse repugnet ; e. g., *necesse est hominem esse animal*. Denique impossibilis ea dicitur, in qua τὸ *esse* praedicati, quod cum subiecto componitur, non solum non inest in subiecto, sed etiam inesse repugnat ; velut *impossibile est Deum esse*

---

[1]) *In lib. I Periherm.*, lect. IX. Huius effati ratio est, quod fieri non potest, ut idem simul sit, et non sit. « Et haec necessitas, « Aquinas subdit, fundatur super hoc principium: Impossibile est « simul esse, et non esse »; *ibid.*

[2]) Vid. Alb. M., *Op. cit.*, ibid.

corporeum [1]. Monendum est cum B. Alberto M. quosque modos non solum instar nominum, sed etiam instar adverbiorum efferri posse ; « hoc enim, ait, idem est « secundum praesentem intentionem, ut si dicam, Sor- « tes currit contingenter, sive dicam, Sortem currere « est contingens, et sic de aliis modis sive adverbialiter, « sive nominaliter accipiantur [2] ».

Quod si reliquos modos, quos nonnulli Scholastici, et pauci recentes recensuerunt, parumper expenderimus, ipsos vel non esse modos qui enunciationem modalem efficiunt, vel ad quatuor iam enumeratos reduci perspiciemus. Enimvero *scitum*, *opinatum*, *credibile*, *probabile*, *certum*, et *incertum*, aliaque id genus sunt modi, qui ad *verum* et *falsum* reducuntur, quia diversos, uti alias dicemus, status denotant, in quibus intellectus circa verum, et falsum versatur. Vnde nec sunt modi primi, nec ad quatuor illos modos reducuntur, qui enunciationes modales reddunt. *Bonum* autem, *utile*, *iustum*, aliaque id genus, quae Hamiltonus inter modos quoque numerari posse ratus est, vel ad contingens, vel ad necessarium revocantur, quia vel aliquid denotant, quod necesse est, vel aliquid, quod contingit *inesse*, aut *non inesse* in subiecto.

In opinione plerorumque recentium, qui enunciationes modales ad complexas referunt, refellenda immoremur non oportet. Namque enunciationes complexae, uti ostensum est, a multiplicibus non distinguuntur ; hae autem non sunt modales, quia in ipsis non significatur modus, quo praedicatum in subiecto inest, sed vel plura praedicata in uno subiecto, vel unum praedicatum in pluribus subiectis, vel plura praedicata in pluribus subiectis inesse significatur.

Postquam dari enunciationes modales novimus, diversasque earum species enumeravimus, necesse est, ut ele-

[1]) Cons. s. Thom., *Op. cit.*, lect. XIII, et XIV.
[2]) *Op. cit.*, ibid., c. 2.

menta, ex quibus constant, aliaque, quae ad earum notionem perficiendam nosse opus est, breviter exponamus. Quandoquidem omnis enunciatio modalis non solum aliquid alicui inesse, aut non inesse, sed etiam quomodo aliquid alicui insit, aut non insit, significat, ideo in omni enunciatione modali duo inveniuntur, scilicet *enunciatio absoluta*, φάσις ab Aristotele, et *dictum* a Latinis nuncupata, et *modus*, τρόπος, qui τὸ *inesse*, aut *non inesse* enunciationis absolutae determinat. Ita, in ista enunciatione, *necesse est hominem esse animal*, *hominem esse animal* est *dictum*, sive enunciatio absoluta, et τὸ *necesse est* est *modus*, quia significat, quomodo animal homini insit. Iamvero, Albertus M., Boëtium [1] secutus, sapienter docuit τὸ *inesse*, aut *non inesse* enunciationis absolutae esse subiectum, et modum, qui alterutrum determinat, esse praedicatum enunciationis modalis, quia in omni enunciatione, uti diximus, id, quod determinatur, est subiectum, et id, quod determinat, est praedicatum [2]. E. g., in allata enunciatione modali, cum τὸ *necesse est* determinet, quomodo τὸ animal homini insit, *hominem esse animal* est subiectum, et τὸ *necesse est* est praedicatum. Id Scotus luculenter innuit, ubi notionem modi tradens, scribit: « Omnis determinatio nata determi-« nare totam propositionem, potest dici modus, ita « quod si illa determinatio potest esse unum extremum « propositionis materialiter sumptae, quae est aliud ex-« tremum, tunc illa determinatio dicitur modus [3] ». Nec negotium facessat, quod plerumque modus ante dictum ponatur; nam partes enunciationis non ex loco, quem occupant, sed ex munere, quo funguntur, naturam, et modum sumunt [4]. Re vera, idem est, e. g., si dicas: *hominem esse animal necesse est*, ac si, inverso ordine logico partium, dicas: *necesse est hominem esse animal*.

---

[1]) *Op. cit.*, ed. 2, p. 271.

[2]) *Op. cit.*, ibid., lib. II, tract. II, ibid. — [3]) *Op. cit.*, ibid.

[4]) Vid. Goudin, *Op. cit.*, *Log. min.*, part. 2, a. 1, § 4, p. 355, Coloniae 1723.

Quod si subiectum enunciationis modalis non est nomen, sed enunciatio, sequitur 1°, eodem Alberto M. observante, duas compositiones in ea inveniri, scilicet unam inter subiectum, et praedicatum *dicti*, quod est subiectum eius, et alteram inter ipsum *dictum*, et modum, qui est eius praedicatum; 2° modum, seu praedicatum non determinare substantiam, quae est subiectum *dicti*, sed compositionem *dicti* [1]. Ita, in enunciatione modali, quam exempli gratia, adduximus, *animal* cum *homine*, et τὸ *necesse est* cum τῷ *hominem esse animal*, componuntur, et τὸ *necesse est* non hominem, sed compositionem animalis cum homine determinat, quia modum significat, quo animal homini convenit [2].

Ex his, quae hactenus statuimus, haud difficulter intelligitur omnem enunciationem modalem, uti Albertus M. quoque advertit [3], esse re vera singularem. Nam subiectum enunciationis modalis non est subiectum enunciationis, quae *dictum* vocatur, sed est ipsa enunciatio, seu *dictum*. Atqui omnis enunciatio, prout est subiectum modalis, tanquam aliquod individuum, et singulare in-

---

[1]) « Dicendum est, quod in propositione modali duplex est compositio, scilicet una dicti, quod subiicitur. . . et sic esse, et non « esse cum compositione subiiciuntur in enunciatione modali, et « illius compositionis modus est determinatio, et non compositionis, quae est compositio enunciationis »; et paulo post: « In « enunciatione modali. . . . non subiicitur substantia, cui insit « praedicatum, sed subiicitur dictum cum sua compositione »; *Op. cit.*, ibid.

[2]) Ex hoc vides in enunciatione modali, quoniam duplex est compositio, duplex esse subiectum, nempe unum *dicti*, ad quod tota enunciatio modalis spectat, alterum vero enunciationis modalis. En quomodo Albertus M. utrumque denominavit, et explicuit: « . . . enunciationis modalis duplex est subiectum, scilicet subie- « ctum locutionis, et subiectum enunciationis. Dico autem subie- « ctum locutionis id, de quo est locutio, sicut in hac, Socratem cur- « rere, de Sorte fit locutio: et ideo subiectum locutionis est Sortes. « Subiectum autem enunciationis non est quod supponitur infini- « tivo, sed potius subiectum est totum dictum, hoc est, casus cum « infinitivo »; *Op. cit.*, ibid.

[3]) Ibid.

telligitur, quia ipsa, prout est subiectum modalis , accipitur tanquam una, et a ceteris divisa , sive subiectum eius sit universale, sive particulare , sive singulare. Ergo subiectum enunciationis modalis non est, nisi singulare. Iam, quoniam singularis est enunciatio, cuius subiectum est aliquid singulare, omnem enunciationem modalem esse singularem tenendum est. Vt idem exemplum urgeamus, singularis est haec enunciatio: *necesse est hominem esse animal* , quia in ea *necesse est* nonnisi de unica hac enunciatione absoluta: *hominem esse animal* , praedicatur. Nihilominus , si subiectum *dicti* consideretur, quantitas enunciationis , eodem Alberto monente [1], variare potest ; si quidem , cum subiectum *dicti* aut universale, aut particulare esse queat, enunciatio modalis, quippe quae ad definiendum spectat, quomodo aliquid illi insit, inde tanquam universalis, aut particularis, aut singularis intelligi potest. Ita, universalis dici potest enunciatio modalis , quam adduximus , *necesse est hominem esse animal* ; particularis vero haec: *contingit hominem esse philosophum*; singularem denique hanc: *possibile est Socratem currere.*

A nonnullis Scholasticis observatum etiam est, si in enunciatione modali vis modi consideretur , ipsam esse vel universalem, vel particularem. Nam, cum id, quod ad essentiam subiecti pertinet , vel essentiae subiecti repugnat , cunctis subiecti ambitu comprehensis conveniat, vel repugnet, modi *necessarium* , et *impossibile* enunciationem, cui adduntur, universalem efficiunt, quia necessarium id est, quod ad essentiam rei pertinet, et impossibile est id, quod cum ipsa pugnat. E contrario, quoniam illud, quod in re inesse contingit , aut possibile est, nec in omnibus individuis eius ambitu comprehensis, nec semper inveniatur, enunciationes , quibus modi *contingens* et *possibile* adiiciuntur , particulares sunt [2].

---

[1]) *Ibid.*

[2]) Vid. Toletum, *Op. cit.*, In *Arist. lib. II de interpr.*, c. 3,

Quod vero ad affirmationem, et negationem in enunciatione modali attinet, utramque non ad *esse* enunciationis absolutae, sed ad modum pertinere manifestum est. Nam vis affirmandi, et negandi, cum in enunciatione absoluta, tum in modali, quemadmodum ex dictis patet, in praedicato invenitur, quia praedicatum continet proprietatem, prout haec ad subiectum refertur, hoc est, proprietatem, et compositionem eius cum subiecto. Atqui modus, ut paulo ante ostendimus, est praedicatum enunciationis modalis. Ergo vis affirmationis, et negationis in enunciatione modali ad praedicatum pertinet. Vnde Boëtius [1], a quo hanc argumentationem mutuati sumus, sapienter docuit praedicata enunciationis modalis esse « modos ipsos aut secundum affirmationem, si simpliciter dicantur, aut secundum negationem, si cum « negatione ponantur »; et paulo post scripsit modos esse ipsam affirmationem, vel negationem [2]. Ex quo vides in enunciatione modali negante negationem non τῷ *esse* enunciationis absolutae, seu *dicti*, sed modo adiungendam esse, quippe quod in ea non removetur a subiecto enunciationis absolutae praedicatum, sed solum certus modus, quo praedicatum in subiecto esse posset. Apposite idem Boëtius: « . . . secundum modum enim negatio ponenda est, ut, si contingens est, ad contingere, si possibilis, ad possibile, si impossibilis, ad impossibile, si necessarium, ad necessarium negatio coniungatur [3] ».

Quoniam affirmatio, et negatio veritatem, et falsitatem enunciationis efficiunt, consequens est enunciationem modalem esse veram, si praedicatum enunciationis absolutae ita inest, aut non inest in subiecto eius, sicut modus *inesse*, aut *non inesse* denotat; secus au-

---

quaest. fol. 139 *verso*, ed. cit.; Goudin, *Op. cit.* ibid.; Boyvin, *Op. cit.*, *Log.*, part. 2, c. 3, q. 4, p. 355, Venetiis 1690.

[1]) *Op. cit.*, ed. 1, p. 269, et 270. — [2]) *Ibid.*, p. 271.

[3]) *Ibid.*, p. 269. Cf Albertum M., *Op. cit.*, lib. II, tract. II, c. 2.

tem esse falsam. Nam, quemadmodum, observante post Boëtium [1] Alberto M., enunciatio absoluta, sive, ut ipse ait, *de inesse* est vera, si in re inest, aut non inest id, quod in ea inesse, aut non inesse significat, ita vera est enunciatio modalis, si in re aliquid eo modo inesse, aut non inesse significat, quo in ipsa vere inest, aut non inest. En verba B. Doctoris: « ... quemadmodum in illis de inesse secundum esse, vel non esse « contingit esse veritatem, vel falsitatem; ita in istis, « quae sunt modales, contingit esse veritatem, et falsi- « tatem secundum modorum affirmationem, vel negatio- « nem [2] ». Hinc scite s. Thomas illud statuit: « Ad ve- « ritatem locutionum non solum oportet considerare res « significatas, sed etiam modum significandi [3] ». Ex quo intelligis veritatem, aut falsitatem enunciationis modalis non a veritate, aut falsitate *dicti*, quod eius subiectum est, sed a veritate, aut falsitate modi, qui praedicati officio fungitur, hoc est, ut idem Aquinas habet, a veritate *compositionis principalis* diiudicandam esse [4].

ARTICVLVS DECIMVS PRIMVS

De oppositione, et conversione enunciationum

Quoniam naturam enunciationis, diversasque eius species novimus, restat, ut de affectionibus, sive, ut Scholae aiunt, de *passionibus* eius quidquam delibemus. Ab oppositione, quae illarum potissima est, ordiamur.

Atque in primis, ut, undenam oppositio enunciatio-

---

[1]) *Op. cit.*, ed. 1, lib. II, p. 270, ed. cit.
[2]) *Op. cit.*, tract. II, lib. II, c. 2.
[3]) I, q. XXXIX, a. 5 c.
[4]) « Veritas compositionis non variatur per necessitatem, et con- « tingentiam, ex eo quod naturaliter in locutione ponitur, sed so- « lum ex principali compositione, in qua fundatur veritas propo- « sitionis »; *Qq. dispp., De Ver.*, q. II, a. 12 ad 7.

num oriatur, planum fiat, mente recolendum est veritatem, et falsitatem enunciationis fundamentum suum habere in illo effato, quod principium contradictionis nuncupatur, scilicet: *Non potest idem simul esse, et non esse.* Etenim, quandoquidem enunciatio ea vera est, quae dicit esse quod est, et non esse quod non est, et falsa ea, quae dicit esse quod non est, aut non esse quod est, consequitur nullam enunciationem veram, aut falsam fore, si id, quod est, simul non esse, et id, quod non est, simul esse posset. Ex quo intelligitur, sublato contradictionis principio, omne iudicium de veritate, et falsitate enunciationis una tolli, hoc autem posito, illud et una poni. Quod si veritas, et falsitas enunciationis in principio contradictionis fundamentum habent, profecto aliquid de aliquo nec *secundum rei veritatem*, nec *secundum intellectum* simul affirmari, et negari potest. Non quidem secundum veritatem rei. Nam, cum affirmatio, et negatio, uti ostendimus, in τῷ *esse*, et τῷ *non esse* fundamentum habeant, quemadmodum non potest idem simul esse, et non esse, ita idem de eodem simul vere affirmari, et negari non potest [1]. Nec secundum intellectum. Nam ad id expostularetur, ut intellectus idem eidem simul inesse, ut s. Thomas post Aristotelem arguit, et non inesse, intelligeret. Ast hoc absurdum est. Si enim de eadem re intellectus intelligeret idem eidem simul inesse, et non inesse, duae contrariae opiniones de eadem re in eo simul forent. Atqui repugnat duo contraria eidem rei simul inesse. Fieri igitur nequit, ut intellectus idem eidem simul inesse, et non inesse intelligat. « Quod si, Stagirita subdit, non contingit inesse eidem « contraria . . . , contraria vero opinioni opinio est, « patet, quod impossibile est simul eumdem secundum

---

[1]) Hinc scite s. Thomas illud decrevit: « Affirmatio, et negatio, « secundum quod dicunt verum, et falsum, non referuntur ad « idem »; *Qq. dispp., De Ver.*, q. I, a. 10 ad 5.

« veritatem aut secundum intellectum arbitrari esse, « et non esse : simul enim haberet contrarias opinio- « nes [1] ». S. Thomas, utramque partem demonstrationis paucis complectens, inquit: « Coniunctio affirmationis, et « negationis nihil est, nec aliquem intellectum generat [2] », atque ob hanc rationem statuit ultimum principium, ad quod veritas enunciationis reducitur, esse hoc: « af- « firmatio, et negatio non sunt simul vera [3] ».

At, si fieri non potest, ut idem de eodem simul affirmemus, et negemus, licet certe nobis, uti Stagirita advertit, eloqui idem de eodem, proindeque conficere de eadem re duas enunciationes, quarum una de eodem illud idem asserit, quod altera negat [4]. Nam, quamvis vera cognitio a re, quam repraesentat, et vera oratio a cognitione, quam significat, dissentire non possint, nihil prohibet, quin oratio a cognitione, et a re, quam cognitio repraesentat, dissentiens efformetur. Quod cum ita se habeat, liquet, quidquid de aliquo quis affirmavit, negari, et quidquid de aliquo quis negavit, affirmari posse, proindeque omni affirmationi posse opponi negationem, et omni negationi affirmationem. E re est audire Aristotelem: « Quia « vero quod inest, enunciare licet quasi non insit, et « quod non inest, quasi insit, et quod inest, quasi in-

---

[1]) *Met.*, lib. III, c. 3, vert. Bekk. Cf s. Thomam in h. l. *Met.*, lect. VI.

[2]) *In lib. III Sent.*, Dist. I, q. II, a. 3 *sol.*

[3]) « Veritas enunciationis reducitur in prima principia per se « nota, sicut in primas causas et praecipue in hoc principium, « quod affirmatio, et negatio non sunt simul vera »; *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. V, a. 1 *sol.*

[4]) « Impossibile namque est quempiam idem putare esse, et « non esse, quemadmodum Heraclitum dicere arbitrabantur, non « enim necesse est, quaecumque quis dicat, ea etiam putare » (*Op. cit.*, ibid.). « Verum est autem, ait in h. l. s. Thomas, « quod Heraclitus hoc dixit, non tamen hoc potuit opinari. Non « enim necessarium est, quod quicquid aliquis dicit, haec mente « suscipiat, vel opinetur »; *In lib. IV Met.*, lect. VI. Cf s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, part. I, a. 1, q. 2 *ad arg.*

« sit, et quod non inest, quasi non insit, itidemque in « temporibus, quae sunt extra praesens, idcirco quod- « cumque aliquis affirmaverit, negari, et quodcumque « quis negaverit, affirmari potest. Quare manifestum est « omni affirmationi esse negationem oppositam, et om- « ni negationi affirmationem [1] ».

His in antecessum explicatis, licet nobis in praesentia perspicere, quid oppositionem enunciationum constituat, quotque sint enunciationum oppositarum species. Oppositio, ἀντίθεσις si in universum spectetur, est, ut ipsam Aristoteles definivit, *affirmatio et negatio eiusdem de eodem, non equivoce*, τοῦ αὐτοῦ κατὰ τοῦ αὐτοῦ, μὴ ὁμωνύμως [2]; quocirca enunciationes oppositae, ἀντικείμεναι illae dicuntur, quarum una de eadem re illud ipsum affirmat, quod altera negat. Vt definitionis ratio patescat, advertendum est cum s. Thoma tria ad oppositionem enunciationum constituendam expostulari, scilicet, 1° ut enunciationum sit idem subiectum, 2° ut sit idem praedicatum, 3° ut eadem sit ratio, ob quam praedicatum de subiecto affirmatur, et negatur [3]. Et sane, oppositio inter enunciationes existere non potest, nisi illud, quod una earum affirmat, sit omnino idem cum eo, quod altera negat. Iamvero id, quod una enunciationum affirmat, non est omnino idem cum eo, quod altera negat, si utriusque non est idem subiectum, aut non est idem praedicatum, aut non est eadem ratio, ob quam praedicatum de subiecto affirmatur, aut negatur. Nam, si subiecta enunciationum sunt diversa, diversum etiam sit oportet illud, quod de uno illorum affirmatur, et de altero negatur, quia, quandoquidem « causa praedicati, aiente s. Bonaventura, claudi- « tur in subiecto [4] », liquet praedicatum, quod unum,

---

[1]) *De interpr.*, c.6, vert. Bekk. Cf Albert. M., *Periherm.*, lib. I, tract. V, c. 1, et s. Thom., *In lib. I Periherm.*, lect. IX.

[2]) *De interpr.*, c. 6, ed. Waitz, p. 126, et *Met.*, lib. IV, c. 3, p. 1005, ed. Bekk. — [3]) *In lib. I Periherm.*, lect. IX.

[4]) *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, part. I, a. 1, q. 2 *resol.*

idemque in se est, prout in diversis subiectis invenitur, diversum esse. E. g., non sunt oppositae hae enunciationes: *Socrates currit*, *Plato non currit*; quia, cum Plato, et Socrates sint duo individua diversa, secunda illarum non tollit illud idem *currere*, quod prima affirmat. Sin diversum est praedicatum, per se patet illud, quod de subiecto in una enunciatione affirmatur, aliud esse, ac illud, quod de ipso in altera negatur. Ita ne oppositae quidem sunt hae enunciationes: *Plato currit*, *Plato non disputat*, quia diversa sunt *currere* et *disputare*, quorum illud prima enunciatio de Platone affirmat, hoc altera negat. Nec aliter se habent enunciationes, quarum subiectum, et praedicatum sunt eadem, sed eadem non est ratio, secundum quam alterutrum in ipsis sumitur, quia subiectum, aut praedicatum, cum non eodem, sed diverso sensu accipitur, duplex efficitur. Id sane Aristoteles sibi voluit, cum, ut diximus, docuit affirmationem, et negationem eiusdem de eodem tum opponi, cum *non aequivoce*, μὴ ὁμωνύμως, sumitur [1]. E. g. Christus ipse sibi non contradixit, cum modo se aequalem Patri, modo se minorem Patre esse dixit; hae enim duae enunciationes: *Christus est minor Patre*, et *Christus non est minor Patre*, non sunt oppositae, quia cum Christus secundum naturam humanam sit minor Patre, et secundum naturam divinam non sit minor Patre, sed aequalis Patri, subiectum in utraque enunciatione non est omnino idem [2]. Haec tria, quae ad oppositionem enunciationum effi-

---

[1]) Vid. p. praec., not. 2. Boëtius in h. l. haec habet: « Illae « autem esse dicit oppositas, quaecumque eiusdem praedicati « habent oppositionem de eodem subiecto, ut ibi nulla aequivo- « catio diversitatis causa sit »; *Op. cit.*, ed. 1, lib. I, p. 232.

[2]) Ex quo vides s. Thomam sapienter hanc regulam statuisse: « Dicendum, quod de eodem, secundum quod idem est, impossi- « bile est aliquid idem affirmare, et negare; sed si in aliquo distin- « guantur affirmationes, et negationes pertinentes ad illam distin- « ctionem, de ipso verificari poterunt »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIV, q. I, a. 1 ad 2.

ciendam requiri diximus, Albertus M. complexus est his paucis: « . . . dico oppositionem esse, quando est unius, « et eiusdem praedicati de eodem subiecto non aequi- « voce accepto [1] ».

Quoniam quid sit oppositio movimus, in promtu est investigare, quot sunt species enunciationum oppositarum. Principio, advertendum est oppositionem primo, et proprie in eo positam esse, quod negatio unius affirmationem alterius tollat; nihil enim aliud negatio agit, quam ut tollat affirmationem, neque aliud affirmatio, quam ut tollat negationem [2]. Iamvero, hoc evenit, vel cum una enunciatio *omni* id tribuit, quod altera tribuit *non omni*, sive, quod idem valet, negat *alicui*, e. g. *omnis homo est iustus*, *non omnis homo est iustus*; vel cum una *omni* negat, quod altera *alicui* tribuit, puta *nullus homo est iustus*, *aliquis homo est iustus* [3]. Nam, cum una de toto subiecto id affirmet, quod altera de parte eius negat, et contra, perspicuum est negatione particularis affirmationem universalis tolli, et vicissim. Id ex ipsis notis, quae harum enunciationum quantitatem significant, perspicitur; si quidem *non omnis* negat *omnis*, et *aliquis* negat *nullus*. Aristoteles scite docuit eiusmodi etiam esse enun-

---

[1]) *Periherm.*, lib. I, tract. V, c. 1.

[2]) Hinc Stagirita statuit unius affirmationis non esse, nisi unam negationem. Φανερὸν δὲ, ait, ὅτι καὶ μία ἀπόφασις μιᾶς καταφάσεως; *Op. cit.*, c. 8, p. 128, ed. Waitz.

[3]) Vid. Arist., *Op. cit.*, c. 7, p. 127. Adverte enunciationem, *non omnis homo est iustus*, esse particularem negantem, quia ipsa idem valet, ac ista: *aliquis homo non est iustus*. Qua de re prae oculis habenda est haec regula, quam Balforeus proposuit: «Quoties- « cumque nota negandi praeponitur notae universi generis: idem « valet, quod particularis in contraria qualitate; hoc est, si prae- « ponitur notae universi generis affirmanti, est particularis ne- « gans: si vero notae universali neganti, est particularis affirmans: « ut non omnis homo ambulat, idem est quod aliquis homo non « ambulat: et non nullus ambulat, idem est quod aliquis ambulat»; *Op. cit. In lib. De interpr.*, c. 4, p. 390 ed. cit.

ciationes singulares, quarum idem est subiectum, idemque praedicatum [1], quia, ut s. Thomas advertit, « quando utraque est singularis, . . . negatio ex necessitate refertur ad idem [2] ». Enunciationes, quae ita oppositae sunt, ut una nihil sit, nisi mera negatio alterius, *contradictoriae*, sive, ut Aristoteles inquit, ἀντιφατικῶς ἀντικείμεναι, *contradictorie oppositae* [3], vocantur, earumque ἀντίθεσις, nempe *oppositio*, dicitur ἀντίφασις, *contradictio* [4], seu *repugnantia*. Ex quo patet enunciationes contradictorias, seu repugnantes illas esse, quae secundum quantitatem, et qualitatem differunt, iisque accenseri singulares; si quidem, etsi in his eadem sit quantitas, tamen, quia in utraque enunciatione subiectum est unum, idemque individuum, praedicatum in utraque ad idem refertur. E re est audire s. Thomam, qui universam hanc de contradictoriis doctrinam exposuit his paucis: « In contradictoriis negatio non plus facit, quam « quod removet affirmationem. Quod contingit duplici- « ter. Vno modo, quando est altera earum universalis, « altera particularis. Alio modo, quando utraque est « singularis, quia tunc negatio ex necessitate refertur ad « idem. . . . Et ideo singularis affirmativa semper contra- « dicit singulari negativae, supposita identitate subiecti, « et praedicati [5] ».

Iam perspicuum est inter enunciationes contradictorias, nullam mediam existere posse. Nam affirmatio, et negatio compositionem, et divisionem, quae in intellectu sunt, et per compositionem, et divisionem τὸ *esse*, et τὸ *non esse*, quae in rebus sunt, significant. Atqui nihil medii, uti ante ostendimus, est inter *esse*, *et non esse* rei, atque inter compositionem, et divisionem intellectus.

---

[1]) *Ibid.*

[2]) *Op. cit.*, lect. XI. Cf Albertum M., *Periherm.*, lib. I, tract. V, c. 2.

[3]) *Op. cit.*, ibid.

[4]) *Analyt. Poster.*, lib. I, c. 2, vol. II, p. 3, ed. Waitz.

[5]) *In lib. I Periherm.*, lect. XI.

Ergo ne inter affirmationem quidem, et negationem aliquid medii esse potest. Iam, quoniam in contradictoriis, ut modo diximus, negatio affirmationem simpliciter tollit, et vicissim, nullam enunciationem mediam inter contradictorias dari posse manifesta res est. Hinc scite Stagirita subdit: « Contradictio est oppositio, cuius inter « utramque enunciationem per se nihil intercedat; pars « vero contradictionis una affirmatio, qua quid ad ali- « quid trahitur, altera negatio, qua quid ab aliquo re- « movetur [1] ». Ex hoc intelligis esse prorsus abnorme, et absurdum *principium tertii intervenientis inter duo contradictoria*, quod Heghelius confixit, totiusque suae Logicae veluti fundamentum posuit. At de hoc principio, quippe cuius cognitio ex placitis philosophiae hegelianae pendet, alias agendum nobis erit.

Praeter has enunciationes oppositas alia sunt, quarum una de toto subiecto asserit, quod altera de ipso toto negat. Hoc autem, uti ex se patet, fit, cum tam affirmans, quam negans sunt universales; puta *omnis homo est iustus*, *nullus homo est iustus*. Iam, haud difficulter intelligitur has secundas enunciationes oppositas, ut Trendelenburgius advertit [2], plus, quam primas, valere, quippe quod in illis negatio unius non tollit simpliciter affirmationem alterius, ut in istis, sed negans tollit quidquid aiens affirmat, hoc est, universam affirmationem aientis. Enimvero haec enunciatio, *nullus homo est iustus*, non destruit simpliciter affirmationem alterius oppositae, *omnis homo est iustus*, quemadmodum eius contradictoria, *non omnis est homo iustus*, sed destruit totum id, quod subiecti ambitu continetur, quia non solum non omnem hominem esse iustum, sed non esse ullum hominem iustum declarat [3]. Ex quo vides has-

---

[1]) *Analyt. Post.*, lib. I, c. 2, vol. II, p. 3 ed. Waitz. Cf s. Thom., *In lib. IV Sent.*, Dist. XI, q. I, a. 3, *sol.* 2 ad 3.

[2]) *Elem. log.*, § 10-13, p. 69 ed. cit.

[3]) Hinc s. Thomas inquit: « ... oportet quod in qualibet alia op-

ce enunciationes, quae secundum qualitatem dumtaxat opponuntur, merito ab Aristotele, ἐναντίως ἀντικείμενας, *contrarie oppositas*, vel ἐναντίας, *contrarias* nuncupatas fuisse [1], quia, cum una earum tollat totum id, quod altera affirmat, alia ab alia, quam longissime fieri potest, distat [2]. Id nihil magis, quam προσδιορισμοί, seu notae declarant; « nihil sane, ut Trendelenburgius advertit, longius inter « se distare potest, quam omnes, et nulli [3] ». Hanc sane ob causam enunciationes contrarias ἐκ διαμέτρου ἀντικεῖσθαι, *e diametro opponi* dictum est, quia diameter est linea recta, quae figuram, qua longissime patet, ex aequo secat. Haec locutio ab ipso Aristotele profecta est; hic enim quatuor enunciationes, ex quibus omnes oppositiones exurgunt, scilicet *omnem hominem esse iustum*, *aliquos homines non esse iustos*, *nullum hominem esse iustum*, *et omnes homines esse iustos*, ita disposuit, ut in quadrati terminis collocarentur [4], ideoque hae enunciationes contrariae, *omnes homines sunt iusti*, *et nullus homo est iustus*, ipsa diametro distarent [5]. Hoc adno-

---

« positione includatur affirmatio, et negatio, sicut primum in po- « steriori. Vnde plura requiruntur ad alias oppositiones, quam « ad oppositionem contradictionis, quia se habent ex additione ad « ipsam »; *In lib. I Sent.*, Dist. V, q. I, a. 1 ad 1.

[1]) *De interpr.*, c. 7, p. 127 ed. cit.

[2]) Cf Albert. M., *Op. cit.*, ibid., c. 1, et 2, et s. Thom., *Op. cit.*, lect. X. A loco, ut idem Aquinas advertit, similitudo sumta est. « Omnia contraria, scribit, in quocumque sint genere, dicuntur « esse maxime distantia, licet distantia primo inveniatur in loco»; *Qq. disppr.*, *De Pot.*, q. X, a. 1 c.

[3]) *Elem. log.*, ibid., p. 71. Cf Waitz, vol. I, p. 338.

[4]) En quomodo omnes quatuor enunciationes, per litteras *a*, *o*, *e*, *i*, quae ipsas designant, in quadrati terminis collocantur:

[5]) In schemate, quod produximus, *a*, et *e*, nempe universalis,

tatum volumus, quia nonnulli recentes sentiunt enunciationes contradictorias e diametro sibi opponi, cum hae non solum qualitate, ut contrariae, sed etiam quantitate pugnent; ast hoc et usui huius formulae, et loco Aristotelis, a quo formula ducta est, aperte repugnat [1].

Quandoquidem enunciationes contrariae inter se maxime remotae sunt, non repugnat dari enunciationem inter contrarias mediam, hoc est, quae ab una ipsarum minus, quam alia, distat. Enimvero, enunciatio particularis negans medium locum inter contrarias sibi vindicare potest: si quidem, cum ipsa universalem aientem non universe, uti universalis negans, sed ex parte destruat, ab ea minus, quam universalis negans, distat. Puta, inter hasce contrarias: *omnis homo est iustus*, *nullus homo est iustus*, media haec est: *aliquis homo non est iustus*. Quandonam autem evenit, ut inter contrarias media detur, ex dicendis patebit.

Logici post Aristotelem [2] docuere oppositas quoque esse illas enunciationes, quarum una est particularis aiens, alia particularis negans; e. g. *aliquis homo est iustus*, *aliquis homo non est iustus*. Hae, ut testis est Ammonius [3], a graecis ὑπεναντίαι, et a latinis, vertente Boëtio [4], *subcontrariae* [5] vocatae sunt. Verum, s. Thomas non in-

---

aiens, et universalis negans designant duo extrema lineae diagonalis, quae quadratum in duo puncta opposita, et quam maxime remota secat. « Fortasse, Trendelenburgius ait, Aristotelis maxime « auctoritas effecit, ut τὸ ἐκ διαμέτρου, vel κατὰ διάμετρον ἀντικεῖσθαι, « metaphora a geometris sumta, apud posteriores potissimum « Graecos, velut apud Lucianum, Galenum (v. Erasm. *adagia*) de « rebus inter se remotissimis, et fere pugnantibus in proverbium « abiret »; *Elem. log.* § 10-13, p. 71, et 72; cf eiusdem, *In lib. III de Anim.*, c. 6, § 1, p. 499, et 500 ed. cit.

[1]) Trendelenb., *Elem. log.*, loc. cit. Fortasse huic errori occasionem praebuit Apuleius, qui inter contradictorias, sive, ut ipse subdit, alterutras *integram*, *et perfectum* pugnam esse scripsit; *Op. cit.*, p. 377.

[2]) *Op. cit.*, ibid. — [3]) Vid. *Schol.*, p. 115, ed. Brandis.

[4]) *Op. cit.*, ed. 1, lib. I, p. 234 sqq.

[5]) Hoc est, secundum vim latini sermonis, *parum contrariae*.

iuria observavit enunciationes eiusmodi, si proprie, et stricte considerentur, non esse oppositas, quia subiectum, cum in ambabus ex parte sumatur, non idem, sed diversum est. Audiatur ipse Aquinas: « Particularis affir-
« mativa, et particularis negativa non habent, proprie
« loquendo, oppositionem, quia oppositio attenditur cir-
« ca idem subiectum: subiectum autem particularis e-
« nunciationis est universale particulariter sumtum, non
« pro aliquo determinato singulari, sed indeterminato
« pro quocumque. Et ideo, cum de universali particu-
« lariter sumto aliquid affirmatur, vel negatur, ipse mo-
« dus enunciandi non habet, quod affirmatio, et nega-
« tio sint de eodem: quod requiritur ad oppositionem
« affirmationis, et negationis[1] ». Qua quidem in re sanctus Doctor ab Aristotelis sententia minime discessit; hic enim, si in *De interpr.* enunciationes, quae ab eius Interpretibus subcontrariae dictae sunt, inter oppositas enumeravit, in *Analyt. Prior.* illas non secundum *veritatem*, καθ' ἀλήθειαν, quemadmodum contradictorie, aut contrarie oppositae, sed *secundum dictionem tantum*, κατὰ τὴν λέξιν μόνον, opponi dixit[2]. Fortasse hac ex causa Apuleius duas enunciationes particulares, unam aientem, et alteram negantem, quae idem subiectum, et idem praedicatum habent, non subcontrarias, sed *suppares* vocavit[3].

Sunt non pauci recentes, qui tribus hisce generibus oppositionis quartam addunt, scilicet oppositionem *subalternam*, eamque locum habere aiunt inter duas enunciationes aientes, aut negantes, quarum una est universalis, altera particularis, quia hae quantitate pugnant; e. g. *omnis homo est iustus*, *aliquis homo est iustus*, aut *nullus homo est iustus*, *aliquis homo non est iustus*. Hinc quadruplex genus enunciationum opposita-

---

[1]) *In lib. I Periherm.*, lect. XI.
[2]) Lib. II, c. 15, vol. I, p. 244, ed. Waitz.
[3]) *Op. cit.*, p. 377 ed. cit.

rum enumerant, nimirum *subalternas*, quae sola quantitate, *contrarias* et *subcontrarias*, quae sola qualitate, et *contradictorias*, quae quantitate et qualitate pugnant [1]. Plerique eorum subalternas esse *improprie oppositas* cum Wolfio fatentur. At subalternae nec sunt, nec dici possunt oppositae; nam, cum ad oppositionem constituendam affirmatio, et negatio eiusdem de eodem expostulentur, enunciationes, qualitate secum haud pugnantes, cuiusmodi sunt subalternae, sibi minime opponi manifestum est [2].

Ex hactenus dictis facile perspicitur, quomodo iudicium de veritate, aut falsitate enunciationum oppositarum ferendum sit. Quod spectat ad repugnantes, sive, ut Scholae aiunt, contradictorias, « in his, Albertus ait, « necesse est semper unam enunciationem esse veram, « et alteram falsam in omni materia [3] ». Haec regula, eodem Doctore monente, nititur hoc effato: « De quo- « libet affirmatio, vel negatio est vera, et de nullo si- « mul ambae [4] ». Enimvero, quandoquidem affirmatio, ut diximus [5], denotat aliquid alicui inesse, negatio autem non esse, in enunciatione aliquid de aliquo secundum veritatem vel affirmetur, vel negetur necesse est, quia inter *esse*, et *non esse* nihil medii est [6]. Atqui ex duabus repugnantibus una non aliud, nisi affirmationem, altera non aliud, nisi negationem praedicati de subiecto significat. Ergo duarum repugnantium unam veram, al-

---

[1]) Vid. prae ceteris Iacob. Facciolatum (*Elem. Log.* part. 2, c. 3, p. 69, et 70, ed. cit.), quem multi alii secuti sunt.

[2]) *Log.*, part. I, sect. III, c. 3, § 297, ed. cit.

[3]) Id, ni fallimur, s. Thomas innuit his verbis: « Quae secundum « nullam affirmationem, et negationem differunt, penitus indistin- « cta sunt »; *Cont. Gent.*, lib. IV, c. 14.

[4]) *Periherm.*, lib. I, tract. V, c. 2.

[5]) Pag. 66.

[6]) Hinc s. Thomas asseruit affirmationem, et negationem secum nullo modo convenire. « In affirmatione, scribit, et negatione « non importatur aliqua convenientia »; *In lib I Sent.*, Dist. V, q. I, a. 1 ad 1.

teram falsam esse oportet. Id permovit Apuleium, ut eiusmodi enunciationes vocaret *alterutras*, quia « neces- « se est alterutram veram esse [1] ». Ita harum duarum enunciationum: *omnis homo est animal*, *aliquis homo non est animal*, cum prima sit vera, altera falsa esse debet, quia, cum *omnis* contineat *aliquis animal*, quod de omni affirmatur, de aliquo negari non potest. Contra ea, harum duarum, *omnis homo non est iustus*, *aliquis homo est iustus*, quoniam secunda est vera, prima pro falsa habenda est; si quidem ob eamdem rationem quod subiectum secundae est pars subiecti primae, de subiecto primae id negari non potest, quod de subiecto secundae affirmatur. Idem tenendum est, eodem Alberto M. monente, de repugnantibus singularibus; siquidem in his de eodem individuo idem in una simpliciter affirmatur, in altera simpliciter negatur. « Similiter autem, inquit, in « contradictoriis enunciationibus, quaecumque sunt in « singularibus subiectis, ut Sortes est albus, et Sortes « non est albus. In omnibus enim talibus contradi- « ctoriis semper una est vera, et reliqua est falsa [2] ».

De contrariis vero, et subcontrariis haec regula tenenda est, quam Apuleius ex Aristotele [3] confecit: «. . . quod « incongruae (*contrariae*) nunquam fiunt simul verae, « interdum tamen simul mentiuntur. Suppares (*subcon- « trariae*) autem, mutata vice, nunquam quidem simul « mentiuntur, interdum autem fiunt simul verae [4] ». Et sane, contrariae, si spectentur *logice*, hoc est, quin materiae earum ratio habeatur, exploratum est ipsas simul veras esse non posse. Nam, cum in una illarum attributum de subiecto universe affirmetur, in altera universe negetur, nonnisi alterutra potest esse vera, quia idem de eodem, ut modo diximus, aut affirmetur, aut negetur oportet. Sin materia, circa quam versantur, con-

---

[1]) *Op. cit.*, ibid. — [2]) *Op. cit.* ibid.
[3]) *Op. cit.*, c. 7, p. 127, et 128, ed. cit.
[4]) *Op. cit.*, p. 377, ed. cit.

siderctur, Albertus M., quem reliqui Scholastici secuti sunt, duas regulas statuit, prout materia est necessaria, aut contingens. Si enim praedicatum ad essentiam subiecti spectet, vera est affirmans, falsa negans; secus vero, si praedicatum essentiae subiecti adversetur, seu subiecto repugnet; namque id, quod subiecto secundum essentiam convenit, cunctis eius ambitu comprehensis convenire debet, et id, quod subiecto secundum essentiam adversatur, ullis individuis, quae eius ambitu continentur, convenire non potest. Sin praedicatum sit accidens subiecti, ambae enunciationes falsae sunt, quia, ut saepe dictum est, id, quod in subiecto inesse, aut non inesse contingit, nec in cunctis eius ambitu comprehensis invenitur, nec in omnibus desideratur. En locum, in quo Beatus Doctor has regulas exemplis declaravit: « Et non est possibile, quod istae unquam sint simul verae in aliqua materia: quia, si praedicatum est essentiale subiecto, tunc erit necessaria, et erit una vera, et altera falsa, ut cum dicitur omnis homo est animal, nullus homo est animal. Si autem praedicatum repugnet subiecto: tunc est impossibilis materia, et erit negativa vera, et affirmativa falsa. Si autem praedicatum est accidentale subiecto: tunc enunciatio erit in materia contingenti, et tunc erunt ambae simul falsae, si accipiatur accidens ad utrumlibet, videlicet cum dicitur omnis homo est albus, nullus homo est albus [1] ».

At si non est possibile contrarias esse simul veras, possibile est, ut idem Albertus advertit, esse simul veras subcontrarias. Nam, si harum praedicatum est accidens subiecti, ipsum, uti ex dictis patet, subiecto nec universe convenit, nec universe repugnat. Atqui id, quod subiecto nec universe convenit, nec universe repugnat, ei ex parte conveniat, et ex parte repugnet necesse est.

---

[1]) *Op. cit.*, ibid.

Ergo, si subiectum subcontrariarum est aliquod accidens, ambae subcontrariae verae sunt [1]. Quod si materia est necessaria, ambae falsae esse nequeunt, sed si una earum est falsa, altera debet esse vera. Nam, si praedicatum pertinet ad essentiam subiecti, aiens est vera, negans falsa; sin repugnat essentiae subiecti, negans est vera, aiens falsa, quippe id, quod universo subiecto convenit, aut repugnat singulis eius partibus conveniat, aut repugnet oportet. Itaque de subcontrariis logice spectatis illud dumtaxat constat unam illarum semper esse veram; at utrum ambae sint verae, ex genere materiae, circa quam versantur, diiudicandum est.

Regularum, quas de oppositis enunciationibus statuimus, usus non parum utilitatis in controversiis scientiarum habet; illis enim perspectis, non raro fit, ut, demonstrata, vel concessa veritate, aut falsitate unius enunciationis, inde sine nova demonstratione falsitas, aut veritas alterius oppositae elici queat. Re vera, uti Apuleius advertit, reiecta una subcontrariarum, veritas alterius simul probatur, quia subcontrariae simul falsae esse non possunt; approbata autem una contrariarum, altera simul falsa evincitur, quia contrariae non possunt simul esse verae; denique quamcumque repugnantium veram, aut falsam esse detur, simul alteram falsam, aut veram esse datur, quippe quod ex repugnantibus una semper est vera, altera falsa. Contra vero, si demonstratum, aut concessum sit aliquam subcontrariam esse veram, inde confici non potest alteram quoque esse veram, quia fieri potest, ut ex subcontrariis una sit vera, altera falsa; nec si datum fuerit utramvis contrariam esse falsam, sequetur alteram esse veram, quia ambas contrarias esse falsas possibile est [2].

Quod vero attinet ad oppositionem modalium, prae-

---

[1]) *Op. cit.*, ibid.
[2]) *Op. cit.*, ibid.

termittendum non est ipsam non ab affirmatione, et negatione praedicati, quod est in *dicto*, seu in enunciatione absoluta, quae est eius subiectum, sed, quemadmodum post Aristotelem Scholastici tuiti sunt, ab affirmatione, et negatione modi sumendam esse. E. g. huic modali: *Socratem currere possibile est*, non opponitur haec: *Socratem non currere possibile est*, sed haec: *Socratem currere non est possibile.* Cuius rei ratio manifesta est. Namque oppositio enunciationum inde petenda est, unde affirmatio, et negatio in ipsis petuntur. Atqui affirmatio, et negatio in modalibus petuntur a modo, quia ipsae, uti ex dictis patet, a verbo, sive a praedicato sumuntur, praedicatum autem in modali non est praedicatum *dicti*, sed modus. Ergo oppositio enunciationum modalium a modo sumenda est. Hoc ipsum Aristoteles ex eo comprobavit, quod, si negatio in modali a praedicato, seu verbo *dicti* sumenda esset, sequeretur de eadem affirmationem, et negationem vere dici posse. Puta, *possibile est hominem currere*, perinde verum est, ac *possibile est hominem non currere*; quisquis enim potest currere, et potest etiam non currere [1]. Hinc Albertus, quo duce usi sumus [2], docuit modales *secundum oppositionem* esse istas: « possibile est esse, « non possibile est esse, contingens est esse, et non « contingens esse, et de impossibili, et necessario simi- « liter, ut si dicam, necesse est esse, et non necesse « est esse, impossibile esse, et non impossibile esse [3] ».

Illud vero perspicuum est modalium oppositarum semper unam esse veram, et alteram falsam. Nam, cum oppositio modalium ab affirmatione, et negatione eiusdem modi efficiatur, liquet modales non aliter, quam contradictorie sibi opponi, quia contradictio, uti vidimus, in simplici affirmatione, et negatione eiusdem de

---

[1]) *Op. cit.*, c. 12, p. 138, ed. Waitz.
[2]) Vid. *Op. cit.*, lib. II, tract. II, c. 2.
[3]) *Ibid.*

eodem consistit. Atqui enunciationum contradictorie oppositarum semper una est vera, altera falsa. Ergo omnium oppositarum modalium unam esse veram, alteram falsam oportet [1].

Explorata oppositione enunciationum, ad conversionem ipsarum progrediamur. Aristoteles graviter pervidit licere nobis aliquando subiectum in locum praedicati, et praedicatum in locum subiecti transponere, quia subiecti, et praedicati notiones interdum ita sibi respondent, ut, quod una habet, in altera etiam inveniatur, ideoque altera in alterius locum substitui possit. Quod cum perviderit, e re esse putavit inquirere, quandonam, et quibusnam modis transpositio terminorum in enunciatione fieri queat: haec enim cognitio, ut inferius dicemus, ad illationes in quibusdam syllogismis intelligendas multum confert. Iam, cum terminorum unus in alterius locum transponitur, enunciatio ἀντιστρέφειν sive, ut Apuleius [2], et Boëtius [3] reddiderunt, *converti* dicitur, et mutatio enunciationis, per transpositionem terminorum effecta, ἀντιστροφὴ [4], sive, iisdem vertentibus [5], *conversio* nuncupatur. Iam perspicuum est ex una enunciatione per terminorum conversionem duas quodammo-

---

[1]) Cf eumdem Albert., *Op. cit.*, ibid.

[2]) *Op. cit.*, p. 397 sqq.

[3]) *Arist. Prior. Analyt.*, lib. I, c. 3, interpr. Boëtio; *Opp.* ed. cit. p. 469 sqq, et *Introd. ad categoricos syllogismos*, *Ibid.*, p. 577 sqq, ed. cit.

[4]) « Vox, ut scribit Trendelenburgius, a scenis ducta videtur. « Chori antistrophe strophae ad assem respondet, eiusque motus « ita fit, ut posterior in prioris locum succedat » (*Elem. log.*, § 14, p. 74). Nec mirum id cuiquam videri debet; constat enim multa e scena in vitam migrasse, puta κορυφαῖος, ἀνταγωνιστής, πρωταγωνιστὴς, δευτεραγωνιστής, aliaque id genus, de quibus vid. laudatum Trendel. *ibid.*, et *in lib. II de Anim.*, c. 11, § 4, p. 408, nec non Leonard. Spengel, *Specimen Comment. in Arist. Libros De arte rethor.*, Monachii 1839. De vario usu vocum ἀντιστρὲφειν, ἀντιστροφὴ, ἀντίστροφος, cons. Waitzium, *Op. cit.*, vol. I, p. 373, et 374, ed. cit.

[5]) LL. citt.

do fieri. Ita, si termini huius enunciationis : *nullus homo est lapis*, transponuntur, veluti altera enunciatio existet, scilicet *nullus lapis est homo*. Harum illa, cuius termini transponuntur, *conversa*, et illa, quae ex terminis transpositis enascitur, *convertens* a Logicis dici solent, vel potius eadem enunciatio ante transpositionem terminorum *convertenda*, post vero *convertens* nuncupatur.

Iamvero, illud principio advertendum est non posse ullo modo definiri, quomodo in diversis enunciationis speciebus conversio fieri queat, nisi perspectum sit, utrum subiectum enunciationis aeque, an latius, quam praedicatum pateat, propterea quod praedicatum in subiecti locum transponi non potest, nisi eiusdem, ac subiectum, quantitatis sit. Et sane, certum est enunciationem convertentem eamdem, ac conversam, esse oportere ; si enim enunciatio per transpositionem terminorum alia, quam antea erat, fieret, profecto non converteretur, sed mutaretur, quia id, monente s. Thoma, mutari dicitur, quod aliter esse incipit, ac ante fuit [1]. Atqui, si praedicatum conversae non esset eiusdem quantitatis ac subiectum convertentis, in cuius locum transfertur, enunciatio eadem non maneret. Ergo praedicatum in subiecti locum transponi non potest, nisi eiusdem, ac subiectum, quantitatis sit. Ex quo vides, si in conversa praedicatum, aeque ac subiectum, pateat, quantitatem eius in convertente retinendam esse, sin latius pateat, quam subiectum, quantitatem eius esse mutandam, ut ad eamdem quantitatem subiecti reducatur. Id s. Ioan. Damascenus docuit, et inculcavit ; ait enim [2]: « Praedicatum autem, quod subiecto est aequale, « illud est quod cum subiecto convertitur » ; et ibidem: « Ea porro, quae aequalis praedicationis sunt, converti

[1]) « In nomine mutationis, et transitus designatur aliquid idem « aliter se habere nunc, et prius »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 2 c.

[2]) *Op. cit.*, c. XV.

« dicuntur, ac reciproca praedicata ». Si praedicatum convertentis quantitatem suam in conversa retinet, conversio *simplex* dicitur, quia per solam transpositionem terminorum (τοῖς ὅροις ἀντιστρέφειν) fit; sin quantitatem mutat, conversio *in aliam quantitatem* [1], sive, ut recentes Scholastici aiunt, *secundum accidens*, vel *secundum quid* vocatur, quia ipsa *non universe*, *sed ex parte* (οὐ καθόλου ἀλλ' ἐν μέρει) fit [2]. Puta, simplex est conversio huius enunciationis, *nullus homo est lapis*, in hanc, *nullus lapis est homo*, et *secundum quid est* conversio huius, *omnis homo est animal*, in hanc: *aliquod animal est homo*.

Perspecto omnis conversionis enunciationum fundamento, intelligere in promptu est paucas regulas, quas in conversione enunciationum servandas esse B. Albertus M., ceterique Scholastici post eum, auctore Stagirita, sanxere. Atque ut ab universalibus ordiamur, Aristoteles statuit universalem negantem convertendam esse per solam terminorum transpositionem, ideoque *universe*, seu *simpliciter*, aientem autem mutata quantitate, hoc est *secundum quid*. Iuvat eius verba afferre, quippe quae regulam exemplis declarant: « ea quidem, quae uni-
« verse inesse negat, terminis permutatis convertatur
« necesse est, velut si nulla voluptas, bonum est, ne-
« que ullum est bonum voluptas; universe autem af-
« firmantem converti quidem necesse est, nec tamen
« universe, sed ex parte, veluti si omnis voluptas bo-
« num, aliquid etiam boni esse voluptatem [3] ». Cuius regulae ratio haec est, quod praedicatum universalis negantis aeque universale est, ac subiectum; quapropter ad illam convertendam non aliud expostulatur, quam ut termini eius transponantur. Ita ad convertendam hanc enunciationem, *nullus homo est lapis*,

---

[1]) Cf Albert. M., *Prior. Analyt.* lib. I, tract. I, c. 9.
[2]) Vid. Arist., *Analyt. prior.*, lib. I, c. 2.
[3]) *Analyt. prior.*, lib. I, c. 3, vert. Trendel. in *Elem. log.* p. 28, ed. cit. Cons. Albert. M., *Op. cit.*, ibid.

satis est praedicatum, *lapis*, in locum subiecti, *homo*, transferre, et vicissim; scilicet *nullus lapis est homo* [1]. Contra ea, quoniam praedicatum universalis aientis plerumque latius subiecto est, nonnisi ex parte sumtum, hoc est, mutata quantitate, in locum subiecti transponi potest; alioquin subiectum convertentis ad aliquid, quo ipso angustius est, cogeretur, ob idque conversio falsa evaderet. Puta, si haec enunciatio, *omnis homo est animal*, converteretur in hanc, *omne animal est homo*, haec convertens foret falsa quia, cum sit aliud animal praeter hominem, hominem de omni animali praedicari falsum est.

Quod si non formae, sed materiae enunciationis ratio habeatur, licet quandoque universalem aientem universe convertere; fieri enim potest, ut praedicatum in ea eiusdem, ac subiectum, quantitatis sit. Aristoteles scite advertit id semper evenire, cum praedicatum vel est definitio subiecti, vel aliquod proprium eius [2]. Nam, quoniam definitio, uti alias dicemus, subiectum aequat, et proprium, uti diximus [3], ita subiecto haeret, ut nulli alii cum eo commune sit, attributum enunciationis aientis, quod est vel definitio, vel proprium subiecti, latius, quam subiectum, non patet. Quapropter illud tenendum est enunciationem universalem aientem, si logice consideretur, non aliter, quam *ex parte*, nempe mutata quantitate, posse converti, et tum solum posse universe converti, cum praedicatum eius non esse latius subiecto iam exploratum est.

---

[1]) Iuvat exemplum sumere a Theologia Revelata, quod s. Thomas nobis suppeditat. « Nullus alius, ait, a Deo est Pater, conver« titur simpliciter; sed eius conversa non est. Nullus alius a Patre « est Deus, cum non sit idem in praedicato, et subiecto, sed ma« gis ista, Pater non est alius a Deo, quae quodammodo est vera »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXI, q. I, a. 2 ad 2.

[2]) *Top.*, lib. I, c. 5, et c. 8, vol. II, p. 83, et 86, et lib. V, c. 3, p. 158, ed. cit. Cf *Elenc. Soph.*, sive, ut Waitzius vult, *Top.* lib. IX, c. 5, p. 246. Waitzius, ut alias dicemus, librum *Elenc. Sophist.* tanquam nonum *Topicorum* habuit.

[3]) Pag. 341 sqq vol. I.

Quod vero ad enunciationes particulares spectat, Stagirita decrevit aientem convertendam esse *ex parte*, et negantem proprie, seu *logice* non posse converti. « Earum « autem, quae ex parte enunciantur, affirmantem quidem « ex parte converti necesse est (si enim voluptas aliqua « bonum, aliquid etiam boni erit voluptas); negan- « tem vero non necessarium; neque enim si quae- « dam animantia homines non sunt, homines qui- « dam non erunt animantia [1] ». Scite quidem. Nam, quandoquidem praedicatum aientis particularis ex parte sumitur, eadem remanet quantitas enunciationis, cum ipsum in subiecti loco positum ex parte enunciatur. Puta, quoniam in hac enunciatione, *aliqua voluptas est bonum*, subiectum est particulare, praedicatum eius, scilicet *bonum*, cum in subiecti locum in convertente transfertur, non universe, sed ex parte enunciandum est; alioquin enunciatio non aliud bonum, nisi aliquam voluptatem, esse significaret, ideoque falsa evaderet. Ex quo patet conversionem particularis aientis illam esse, quae *simplex* in Scholis vocatur. Particularem negantem vero non esse conversionis proprie, seu *logice* sumtae capacem manifestum est. Nam, cum subiectum negantis particularis ex parte sumatur, particularis negans non aliud denotat, nisi praedicatum subiecto ex aliqua parte sumto haud convenire. At vero, ex eo, quod praedicatum subiecto ex una parte sumto non convenit, deduci non potest ipsi ne ex altera quidem parte sumto convenire, quia praedicatum potest esse eiusmodi, ut subiecto non universe, sed ex aliqua parte tantum sumto conveniat [2]; ex quo conficitur, si praedicatum in locum subiecti transponatur, et vicissim, fieri posse, ut enunciatio falsa evadat. Ita, si quaedam animantia non sunt homines, quaedam animantia homines esse possunt; unde haec enun-

---

[1]) *Analyt. prior.*, loc. cit.

[2]) Vnde s. Thomas inquit: « Ad plura se extendit negatio, quam « affirmatio »; 1ª 2ae, q. c. a. 7 ad 1.

ciatio, *quaedam animantia non sunt homines*, falsa evaderet, si converteretur in hanc, *homines non sunt quaedam animantia*, vel *quidam homines non sunt animantia*[1]; nam, cum homines sint una ex speciebus animantium, verum est et quaedam animantia non esse homines, et quaedam animantia esse homines.

Nonnulli veteres Aristotelici, quos et nonnulli posterioris aetatis Scholastici, et plerique recentes secuti sunt, docuerunt particularem negantem logice converti posse, addendo utrique termino eius particulam negantem, ita ut termini ex finitis infiniti evadant. E. g., *quaedam virtus non est iustitia* logice convertitur cum hac: *quaedam non iustitia non est non virtus*, quia *aliquid, quod iustitia non est*, *non esse non virtutem* vere dicitur. Huiusmodi conversio ab eis *per contrapositionem* nuncupata fuit, quippe quod in enunciatione, quae per transpositionem terminorum efficitur, subiectum, et praedicatum *contra se* invicem ponuntur[2]. Ast Albertus M. post Apuleium[3] observavit conversionem *per contrapositionem* nomen conversionis non mereri, quia, cum termini per illam non transponantur, sed mutentur, tota enunciatio mutatur, non vero convertitur, eamque nonnisi lato sensu conversionem vocari posse, illo nempe, quo omnis *reflexio* enunciationis[4] conversio dicitur. Lubet afferre pauca verba, quibus Beatus Doctor id luculenter exposuit: « Propter quod etiam, ait, conversionem per « contrapositionem hic conversionem non vocamus: « quia in tali conversione iidem termini non manent, « sicut si dicam, omnis homo animal, et convertam « reflectendo oppositum de opposito, et dicam, omne

---

[1]) Cf Albert. M., *Op. cit.*, ibid., c. 9.

[2]) Iis, qui conversionem per contrapositionem, sive, ut aiunt, contrapositionem haud repudiarunt, praeter alios nuperos Lichtenfelsius accensendus est; *Op. cit.*, part. 1, c. 2, § 44, p. 72 sqq.

[3]) *Op. cit.*, p. 379, et 380, ed. cit.

[4]) *Op. cit.*, ibid.

« non animal non homo : non homo enim , et non « animal non sunt iidem termini cum his, homo animal, « qui sunt termini eius propositionis , quae est conver- « sa. Haec igitur , quae est per contrapositionem con- « versio, non est conversio, nisi valde extensa, et com- « muni significatione huius nominis conversio , ut om- « nis reflexio propositionis conversio dicatur : qua sive « in terminis , sive in oppositis terminorum praedica- « tum reflectitur in subiectum [1] ».

Sed , quamvis particularis negans conversionem non admittat; tamen caute , Trendelenburgio adnotante [2], Aristoteles dixit necesse non esse , οὐκ ἀναγκαῖον , non vero fieri non posse, ut ipsa convertatur. Nam , si ipsa nullam conversionem ob formam habet , certe ob materiam quandoque converti potest , scilicet quoties praedicatum est accidens subiecti, quia accidens , ut saepe diximus, nec toti, nec soli subiecto , de quo praedicatur , inest. Puta, duae particulares negantes , *aliqui homines non sunt albi* , *aliqua alba non sunt homines* , inter se convertuntur; si quidem albedo , cum sit accidens hominis, non invenitur in cunctis hominibus , et non est accidens ita proprium hominis , ut nulli alii convenire queat. Hinc , quemadmodum enunciatio universalis aiens , quae in se spectata per accidens dumtaxat converti potest , quandoque , uti ex Aristotele vidimus, simplicem conversionem admittit; ita particularis negans, quae nullius conversionis per se capax est , interdum, inspecta materia, quodammodo converti potest.

Quisquis hactenus disputata animo reputaverit , facile illud perspiciet, quod Boëtius post Apuleium [3], nos monuit,

---

[1]) *Op. cit.*, ibid., c. 8; cf ibid., c. 9. Cons. hac de re Gisbertum ab Isendoorn, *Log. peripat.*, lib. II, c. 8, p. 148, et 149, Faventiae 1652, et, ceteris missis, Collegii Complutensis FF. Discalc., *Disputationes in Arist. dialecticam*, lib. II, c. 7, p. 41, Lugduni 1637.

[2]) *Disquis. log.*, t. II, p. 227-230, ed. cit. — [3]) *Op. cit.*, ibid.

scilicet solas enunciationes universalem negantem, et particularem aientem « conversionem sui firmam ac stabilem habere » ; universalem aientem vero, et particularem negantem « in convertendo firmas esse non possе [1] ». Re vera, quoniam universalis negans, et particularis aiens per se, hoc est, *ratione formae* convertuntur, illarum conversio constans, et certa est; at, quoniam universalis aiens *per accidens*, et particularis negans, nonnisi perraro, et probe explorata materia, converti possunt, haud difficile evenit, ut in ipsis convertendis decipiamur; in logica autem, ut Apuleius scite advertit, « quod alicubi fallit, pro certo repudiatur [2] ».

Vniversam doctrinam, quam de conversione enunciationum absolutarum statuimus, Hamiltonus omnino reiecit. Hic enim, quoniam existimavit praedicatum in omni enunciatione coniungendum esse cum aliqua nota, quae quantitatem eius ad quantitatem subiecti cogit [3], ideo non admisit aliam conversionem enunciationum, nisi *simplicem*, hoc est, illam, quae per solam transpositionem terminorum efficitur; nam, si in omni enunciatione quantitatem praedicati esse aequalem quantitati subiecti non solum intelligitur, sed etiam significatur, ad conversionem cuiuslibet enunciationis non aliud requiri potest, quam ut praedicatum in locum subiecti, et vicissim transferatur [4]. Hanc sententiam Hamiltoni sine ulla confutatione mittere hic nobis liceret, quia inane, et nullum esse fundamentum, cui innititur, iam fuse probavimus [5]. Nihilominus illud missum nolumus, etiamsi principium, ex quo Hamiltonus profectus est, admittatur; inde haud deduci posse, quod una conversio simplex cunctis enunciationibus conveniat. Etenim conversio simplex ea est, in qua convertens eamdem quantitatem conversae retinet. Atqui id in nonnullis

---

[1]) *Introd. ad categoricos syllogismos*; *Opp.* p. 575, et 576, ed. cit.
[2]) *Opp. cit.*, ibid. — [3]) Vid. pp. 173 et 174.
[4]) *Op. cit.*, p. 614 sqq. — [5]) Vid. p. 175 sqq.

modis conversionis, quos Hamiltonus enumeravit, plane desideratur. E. g., in conversione toto-partiali harum enunciationum, *omnis homo est aliquod animal*, *aliquod animal est omnis homo*, convertens est particularis, et conversa universalis, quia, uti ex ipsis notis patet, illius subiectum est particulare, huius autem universale. Similiter harum duarum enunciationum: *aliquod animal est omnis homo*, *omnis homo est aliquod animal*, quae conversionem *parti-totalem* exhibent, prima est particularis, altera autem universalis. Patet igitur conversionem simplicem non convenire cunctis enunciationibus, quas Hamiltonus ex praestituto pronuntiato recensuit. En quomodo sponte sua ruit alterum ex placitis logicis, quae nec Aristoteli, nec ulli alii Logico ante annum MDCCCXXXIII in mentem venisse Hamiltonus sibi adblanditus est [1].

Quandoquidem diversas conversiones enunciationum absolutarum novimus, haud difficile nobis erit ostendere, quomodo modales convertantur; ea enim fere omnia, quae de illis statuimus, in has perbelle quadrant. Illud iam advertendum est conversionem in modalibus haud cadere in *dictum* et *modum*, sed in subiectum, et praedicatum enunciationis absolutae, quae dicitur *dictum*. Nam conversio necessario expostulat, ut quod in una enunciatione est praedicatum, in altera subiectum fiat, et vicissim. Atqui modus enunciationis modalis in subiecti locum numquam transponi potest, quia modus, ut diximus, sive ante, sive post dictum collocetur, semper vim praedicandi habet. Ergo conversio in dictum, et modum cadere non potest. Puta, haec modalis, *nullum hominem esse lapidem necesse est*, convertitur cum hac, *nullum lapidem esse hominem necesse est*.

Iam enunciationes modales ex ea parte quatenus ad conversionem spectant, ab Aristotele, eiusque sectatoribus in necessarias, et contingentes dividuntur, quia im-

---

[1]) *Op. cit.*, p. 162, et 163.

possibiles, et possibiles ad illas haud difficulter revocantur. Iam necessariae modo prorsus eodem, ac absolutae, convertuntur. Etenim universalis negans convertitur in se, nempe *simpliciter*, ut in exemplo, quod modo adduximus, videre licet et similiter particularis aiens; veluti *necesse est aliquem hominem esse animal*, *necesse est aliquod animal esse hominem*. Vniversalis aiens vero *per accidens* convertitur; puta *necesse est omnem hominem esse animal*, *necesse est aliquod animal esse hominem*. Demum, quemadmodum particularis negans absoluta, ita particularis negans modalis proprie converti nequit: puta haec modalis: *necesse est aliquod animal non esse hominem* perperam converteretur cum hac: *necesse est aliquem hominem non esse animal* [1].

Quod vero ad contingentes attinet, multa de ipsarum conversione quaesita, disputataque a Scholasticis sunt. Cum in haec dumeta ingredi nos nec delectet, nec iuvet, secundum Aristotelem [2] dumtaxat adnotamus 1° enunciationes id genus nulla certe lege converti, cum ipsarum conversio ex natura rerum, circa quas versantur, repetenda sit; 2° negantes particulares, secus ac de absolutis diximus, tutius, quam universales, converti. Vt de his aliquod exemplum afferamus, haec particularis negans, *contingit aliquod album non esse hominem*, vere concertitur cum hac, *contingit aliquod album non esse hominem*; sed universalis negans, *contingit nullum hominem esse album* non recte convertitur cum ista, *contingit nullum album esse hominem*, quia non repugnat esse, immo re ipsa est aliquod album, quod non est homo, puta nix, aut cycnus; quare in his non est semper certa ratio conversionis.

---

[1]) Cf Albert. M., *Op. cit.*, ibid., c. 11.
[2]) *Anal. prior.*, c. 3, p. 149, ed. cit.
Vid. eumdem Albert., *ibid.*, c. 12-15.

CAPVT TERTIVM

De ratiocinatione

Introductio

Hactenus enunciationem, prout ipsa in se est, spectavimus; in praesentia necesse est, ut illam, prout ad ratiocinationem efficiendam concurrit, explorare studeamus. Quanta sit huius tractationis necessitas, et ex ipsa natura enunciationis, quam modo exposuimus, et ex fine, quem logica sibi proponit, nullo negotio intelligere licet. Enimvero, intellectus, quoties iudicium conficit, semper illud assequi nititur, ut, utrum aliquid alicui insit, necne, cognoscat. At vero, id, ut initio monuimus, non semper prima fronte, hoc est, ex sola eorum, inter quae convenientiam, aut discrepantiam cognoscere adnititur, comparatione perspicere valet; sed non raro opus ei est aliquod tertium sumere, et scrutari, utrum, necne duo priora cum ipso conveniant; si enim intellectus nactus fuerit aliquod tertium, cum quo ipsa conveniunt, inde unum eorum alteri inesse concludet. Puta, cum anima humana se *intelligere*, et *appetere* ex sola contemplatione sui cognoscat, sine ullo medio conficit haec iudicia: *ego intelligo*, *ego appeto*. E contrario, anima per solam sui contemplationem cognoscere non potest, num sit *immaterialis*, quia haec proprietas interiorem observationem aufugit. At, quoniam cognoscit se cogitare, simulque cognoscit substantiam *cogitantem* esse *immaterialem*, inde se immaterialem esse infert: quocirca ipsa cognoscit se esse immaterialem, quia conceptum substantiae cogitantis et cum conceptu sui, et cum conceptu substantiae spiritualis convenire intelligit. Iam, actio, qua intellectus, ope alicuius conceptus medii, aliquid alicui inesse, aut non esse cognoscit, ea est, quae *ratiocinatio*, sive graeca voce *syllogismus* nuncupatur.

Iamvero, quandoquidem logicae finis est instrumenta tradere, et explicare, quae intellectui ad scientiae rerum consecutionem adnitenti adhibere opus est, atque ad scientiam rerum assequendam sola enunciatio non suppetit, sed ratiocinatio potissimum expostulatur, Logico de ratiocinatione diligenter agendum esse cum ipsa natura enunciationis, tum maxime finis logicae luculenter commonstrant.

Aristoteles, ut in Introductione innuimus, quatuor libros de syllogismo proprie dicto exaravit, quorum duos *Analytica priora*, et duos alios *Analytica posteriora* inscripsit [1]. Causam huius tituli aperire valde iuvabit, ut quis sit huius potissimae partis *Organi* [2] scopus, quaque methodo in ea utendum sit, patescat.

Vox ἀνάλυσις latine idem valet, ac *resolutio*, cum ipsa a verbo ἀναλύειν *resolvere* ducta sit. Hinc Ἀναλυτικὰ πρότερα, et Ἀναλυτικὰ ὕστερα latine idem valent, ac *Resolutoria priora*, et *Resolutoria posteriora*, quemadmodum a nonnullis Scholasticis reddita sunt. Verum, voces graecae

---

[1]) Nonnulli, quos Gumposchius (*Op. cit.*), et Rosminius (*Log.*, lib. II, sez. 4, c. 2, art. 1, § 773, p. 234, ed. cit.) secuti sunt, contenderunt Aristotelem hosce libros non inscripsisse *Analytica*, sed duos primos *De syllogismo*, et duos postremos *De demonstratione*. Mutationem tituli aetate Galeni factam fuisse Rosminio probabile visum est. At primum obstat veterum interpretum auctoritas, puta Alexandri, Philoponi, Davidis, aliorumque, ut in *Scholiis* videre licet, quae Brandisius collegit (ed. cit.); deinde probabile non est antiquos interpretes titulos de syllogismo, et de demonstratione adeo faciles, et perspicuos in titulum difficilem, et obscurum mutasse, quin huius mutationis ullum vestigium extet. Consulere licet hac de re Brandisium, *Specimen* etc., inter *Comm. Acad. Berol.*, *Hist. phil.*, p. 261 not., et 263, Berolini 1833, et Waitzium, *Op. cit.* vol. I, p. 366, et 367, et vol. II, p. 293.

[2]) Quamvis Analytica sint potissima pars *Organi*, tamen C. Weinheltz falsus est, quod nihil nisi ea, ad Organum pertinere censuit (*De finibus, atque pretio logicae aristotelicae*, p. 3, Rostochii 1825). Consultius O. Mielach contendit ab Analyticis nomen Organi ad reliquos libros derivatum fuisse, qui ad Logicam pertinent; *De nomine Organi Aristotelici*, Aug. Vindelic. 1838.

analysis, et *analytica* a Latinis [1], et a Scholasticis frequentatae sunt, earumque usus in linguas vulgares immigravit. Cum haec sit grammatica significatio vocis ἀνάλυσις, Aristoteles sapienter illam adhibuit, ut actum significaret, quo aliquid compositum ad elementa, tanquam ad causas, et principia, ex quibus constat, revocatur. Nimirum, cum scientia in cognitione rerum per causas consistat, nihil potius ad scientiam alicuius rei assequendam confert, quam rem in elementa, ex quibus efficitur, eo usque resolvere, donec ad primas eius causas perveniatur; nam, perspectis causis rei, quomodo inde res gignatur, apparet. Iam manifestum est, eodem Stagirita monente, causas, quae in rei productione, ἐν τῇ γενέσει, tanquam primae considerantur, in eius resolutione, ἐν τῇ ἀνάλυσι, seu quod idem valet, in inventione, ἐν τῇ εὑρέσει, postremas esse; unde analysis id proprie agit, ut ab eo, quod postremum, ἔσχατον, in re est, profecta ad illud, quod est primum, πρῶτον, et causa rei, αἴτιον, perveniat. Hac in re Aristoteles, ut apposite Blancanus e S. I. advertit [2], Euclidis, aliorumque veterum geometrarum exemplum secutus est; hi enim figuras, quas nosse volunt, in simplicissimas quasque, puta polygona in trigona, resolvunt, ut primas, unde ortae sunt, causas nanciscantur, atque ex ipsis figuras, quas resolverunt, rursus componant [3]. Ex his vides analysim, secundum Stagiritam, esse, ut Trendelenburgius tenet, « causarum ex causis con-

---

[1]) Vid. Boëtium, qui horum librorum Aristotelis versionem concinnavit; *Opp.* p. 468-577, ed. cit.

[2]) *Aristotelis loca mathematica*, p. 36, Bononiae 1615.

[3]) E multis locis Aristotelis seligimus hunc, in quo, quid sit deliberatio, quaerens, inquit: « Sin autem una ratione commode « possit absolvi, qua via ad illa perveniant, et qua ad hanc, eo usque « dum ad primam causam pervenerint, quae inventione est ulti- « ma. Qui consultat enim, inquirere ac retexere veluti descriptio- « nem quandam mathematicam videtur... Illud etiam planum est, « quod est retexenti postremum, id esse agenti primum »; *Ethic. Nich.*, lib. III, c. 5, ed. et vert. Bekk. Cf *Anal. prior.*, c. 32, p. 203, ed. Waitz, et *Met.*, lib. IV, c. 28, p. 110, ed. Bonitz.

« tinuatam eo usque indagationem, donec ad prima e-
« ius rei, de qua quaeras, elementa perveneris [1] ».

Vt vero ad usum huius vocis, qui libros de syllogismo spectat, propius accedamus, sciendum est analysim esse vel *realem*, vel *logicam*, prout id, quod ad causas suas revocatur, vel est aliqua res, vel aliquis conceptus [2]. Enimvero, realis est analysis, qua Chemici corpora in elementa, ex quibus constant, solvere adnituntur, ut, qua ratione ipsa ad corporum effectionem concurrant, atque undenam ipsorum corporum mutuae actiones enascantur, cognoscere valeant. Logica vero est ea, qua Philosophi conceptum complexum hominis in conceptus, ex quibus constat, puta *animalis*, et *rationalis*, resolvunt. Indubium porro est nomen analysis a chemia in philosophiam migrasse. Nam, quoniam actiones immateriales intellectus, ut suo loco ostendemus, non aliter significare licet, nisi per voces, quae actiones materiales significant, Philosophis actum significare volentibus, quo intellectus conceptum complexum ad conceptus simplices, tanquam causas eius, revocat, non alia accommodatior vox suppetere poterat, quam qua Chemici ad resolutionem, sive, ut aiunt, *decompositionem* corporis in sua elementa designandam utebantur.

Ex his facile intelligitur, cur Aristoteles libros, in quibus de syllogismo tractavit, *analyticos* inscripserit. Ete-

---

[1]) *Elem. log.*, p. 48. Brevius definita fuit ab Alexandro Aphrod. ἐπάνοδός ἐπὶ τὰς ἀρχὰς ἀπὸ τοῦ τέλους, nempe *regressus ab ultimo ad principia* (*Ad Anal. prior. Schol.* ed. Brandis, p. 143). « Vnde, « ait Lud. Carbone, resolvere non est solum rem in partes di-« videre et solvere, sed rem compositam usque ad eius prima ele-« menta dissolvere, ut eius natura manifeste perpendatur, et iudi-« cetur » (*Praeludia in Pr. Anal. Arist. libros*, c. 1, *De nomine et definitione analysis*, fol. 1, ad calc. *Op.* cit. Toleti, ed. cit.). Audiatur quoque Vossius: « Ἀναλύειν enim est resolvere quaestionem ad « propriam causam »; *Op. cit.*, c. 12, § 2, *Opp.* t. III, p. 224, ed. cit.

[2]) « Resolutio, idem Carbone subdit, est cuiusque rei in ea prin-« cipia, ex quibus pendet, revocatio, sive re, sive ratione fiat »; *Op. cit.*, ibid.

nim Aristoteles, cum nosse vellet naturam, et vim actionis complexae intellectus, quae *syllogismus* vocatur, eius elementa cum proxima, nempe *enunciationes*, tum remota, nempe *terminos*, ex quibus enunciatio constat, expendit, et qua ratione ex ipsis syllogismus efficiatur, perspicere studuit. Praeclarus locus de hac re est in *Analyticis prioribus* [1], in quo verbum ἀναλύειν ita adhibet, ut quo modo syllogismi nascentes quasi contexti sunt, eo ipso modo retexti ad suas causas redigantur, luculenter significat [2]. Nec quemquam illud Scepticorum moveat non posse analysim ad syllogismum cognoscendum adhiberi, quia analysis syllogismi institui non potest, nisi ab eo, qui scientiam syllogismi habet. Etenim, uti Albertus M. advertit, quandoquidem intellectus naturaliter ratiocinatur, et naturali vi reflectendi super actus suos pollet, nihil prohibet, quin ratiocinationem, quam naturaliter exerit, examini subiiciat, et, cum eam complexam esse noverit, in elementa, tanquam causas, resolvat. E re est locum Beati Doctoris afferre, ut omnibus planum fiat Scholasticos experientiae in illis ipsis inquisitionibus institisse, quae ab ea omnium remotissimae esse videntur. « Et ad hoc dicendum, quod omnis homo « in persuadendo in ipsa sua ratione quaedam semina« ria habet ad syllogizandum, et persuadendum, tum per « experientiam, tum per communes animi conceptiones, « quae sunt apud animam : et ex illo syllogismo, qui « quasi per naturam inest, primo inventa est omnis ars « syllogizandi, et aliae artes [3] ».

---

[1]) Lib. 1, c. 32.

[2]) P. 203, ed. cit. Hinc s.Thomas scribit: « Terminus discursus « est, quando secundum videtur in primo, resolutis effectibus in « causam » (I, q. XIV, a. 7 c.). Aristoteles autem, uti Alexander Aphrod. advertit (*Op. cit.*, *Schol.*, ibid.), vocibus ἀναλύειν, et ἀνάλυσις non solum revocationem syllogismi ad propositiones, sed etiam revocationem syllogismorum imperfectorum ad perfectum, vel revocationem syllogismi ad suas figuras, vel syllogismi compositi ad simplices designavit.

[3]) *Analyt. prior.*, lib. I, tract. I, c. 2.

Quod si commune nomen *analyticorum* methodum, qua Aristoteles in quatuor libris de syllogismo usus est, adamussim exhibet, divisio analyticorum in *priora*, et *posteriora* duobus diversis modis, secundum quos syllogismum in illis spectavit, adprime consentanea est. Enimvero, in syllogismo, prout instrumentum sciendi est, duo consideranda sunt, scilicet nexus inter principia, cuiuscumque naturae ipsa sint, et conclusionem, quae ex illis elicitur, et natura principiorum, ex quibus vis conclusionis pendet [1]. Horum duorum primum omni syllogismo commune est, quia nullus syllogismus rectus esse quit, nisi conclusio cum principiis, e quibus elicitur, connectatur [2]; alterum syllogismos inter se distinguit, quia ut in Introductione innuimus [3], cum principia sint vel certa, vel probabilia, vel sophistica, syllogismus in *apodicticum*, *topicum*, et *sophisticum* dividitur. Primum, uti ex se patet, constituit *formam* syllogismi, alterum *materiam* eius. Iam, quandoquidem, monente Alberto M., secundum rationem prius cognoscere oportet, quid syllogismum proprie efficiat, quam quo unus ab alio, ob diversitatem materiae, distinguitur, ideo Logica, quae scientia rationis est, primo illud, deinde hoc expendere debet [4]. Ex quo vides Aristotelem scite vocasse libros Analyticorum priorum illos, in quibus priori modo, et libros Analyticorum posteriorum illos, in quibus posteriori modo syllogismum spectavit.

---

[1]) « Tota virtus conclusionis, s. Thomas ait, exprimis principiis trahitur »; *In lib. II Sent.*, Dist. XXIV, q. II, a. 4 ad 3.

[2]) Cf s. Bonavent., *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVIII, a. 11, q. 1 *ad arg.*

[3]) Cf p. 165, 206 et 207 vol. I.

[4]) « Nec potest esse, Beatus Doctor subdit, nisi duplex resolutio, resolutio scilicet rei conclusae in principia, et causas, per quas concluditur, et syllogismi collecti iam et constituti in principia formalia; syllogismi, inquantum syllogismus est, non possunt esse nisi duae resolutoriae scientiae. Secundum rationem autem prior est resolutio in formalia syllogismi, quam rei conclusae in principia rei, praecipue in logica, quae scientia rationis est »; *Op. cit.*, tract. I, c. 1.

Huic observationi illud obiici posset, quod Aristoteles, ut in Introductione diximus, in *Analyt.* de uno syllogismo *apodictico*, nempe demonstrativo tractavit. At responsio in promptu est. Quod enim attinet ad syllogismum sophisticum, hic proprie dictus syllogismus non est, quia in eo, ut suo loco dicemus, nexus inter principia, et conclusionem desideratur. In syllogismo topico, cum principia, uti ex dicendis patescet, vera, aut falsa esse possint, resolutio proprie dicta non invenitur, quia resolutio proprie sumta est revocatio conclusionis in principia propria, quae nonnisi in omni syllogismo secundum formam spectato, et in syllogismo demonstrativo, ut s. Thomas advertit [1], ob necessitatem materiae invenitur [2].

Ex his, quae de origine, et vi vocis Ἀναλυτικὰ apud Aristotelem diximus, patefactum una est et cur Aristoteles *Analytica priora* inscripserit libros, in quibus de forma cunctis syllogismis communi disseruit, et quid sit, quod in hoc capite acturi sumus, quaque methodo in eo procedendum nobis sit. Nos enim potiora ex Analyticis prioribus delibantes de syllogismo in universum, seu formaliter sumto tractabimus, atque eiusdem Stagiritae exemplo insistentes ita progrediemur, ut, syllogismo in sua elementa soluto, primo ipsa elementa explicemus, tum vero diversos modos, secundum quos syllogismus ab ipsis efficitur, exponamus.

ARTICVLVS PRIMVS

De syllogismo in universum spectato, eiusque elementis disseritur

Ratiocinatio, ut iam innuimus, in eo consistit, quod intellectus duas notiones cum tertia conferens inde illarum convenientiam, aut discrepantiam colligit, prout

---

[1]) « In demonstrativis semper posteriora ad priora de necessi- « tate sequuntur »; *Cont. Gent.*, lib. III, c. 97.

[2]) Cf Lud. Carbone, *Op. cit.*, c. 3, fol. 2, ed. cit.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

vel ambas cum tertia consentire, vel aliam cum tertia consentire, aliam vero ab ea discrepare comperit. Re sane vera, quoties intellectus, ut cuique super actus suos reflectenti palam fit, duas notiones, quarum convenientiam, aut repugnantiam nosse cupit, secum confert, unum ex his tribus necessario intelligit evenire, hoc est, vel ut ambae, vel ut alterutra, vel neutra cum tertia conveniant. Iam, si ambas notiones cum tertia discrepare comperit, nihil inde colligit, quia hanc non esse communem illarum mensuram intelligit; quocirca ratiocinationem nondum conficit. At, si ambas cum tertia consentire deprehendit, inde colligit ipsas secum quoque consentire, illo innixus principio ex se perspicuo, quod ea, quae conveniunt uni tertio, sibi quoque conveniant necesse est [1]. Sin duarum notionum unam cum tertia convenire, alteram vero ab ea dissentire intelligit, inde conficit ipsas sibi non convenire, cum illud pronuntiatum quoque perspicuum ei sit, quorum unum cum tertio convenit, alterum ab eo discrepat, ea inter se discrepare [2]. Ratiocinatio, si ambas notiones de quibus quaestio instituta est, sibi convenire statuit, *aiens* vocatur; sin decernat ambas notiones inter se discrepare, eo quod una cum tertia convenit, altera ab ea dissentit, dicitur *negans*; si quidem illa unam notionem cum alio coniungit, haec vero unam ab alia dirimit. Itaque quisquis examen instituit ratiocinationis, quam naturaliter conficit, in primis cognoscit ipsam esse posse vel aientem, vel negantem, et fundamentum aientis esse illud axioma, seu pronuntiatum, *quae conveniunt uni tertio, ea sibi quoque conveniunt*, negantis vero illud, *quorum unum cum tertio convenit, alterum ab eo discrepat, ea inter se etiam discrepant* [3].

---

[1]) Vid. s. Bonavent., *In lib. III Sent.*, Dist. VII, a. 1, q. I *resol.*

[2]) Vid. Arist., *Anal. prior.*, c. 4, p. 150, ed. cit.

[3]) Cons. Scotum, *In lib. I Prior.*, q. IX, n. 2 sqq. Haec autem pronunciata, ut s. Bonaventura apposite monuit, non sunt ita intelligenda, ut quae cum uno tertio consentiunt, aut pugnant, secum omnino consentiant, aut pugnent, sed ita ut secum consen-

Iam cuilibet enunciationem sive aientem, sive negantem resolventi statim occurrit elementa *immediata*, seu *proxima* eius esse enunciationes, *mediata* vero, seu *remota* esse notiones, ex quibus enunciationes constant. Quocirca Albertus M. edixit duabus resolutionibus ad scientiam ratiocinationis assequendam opus esse, quarum una est reductio ad enunciationem, altera ad terminos, ex quibus enunciatio constat [1]. Re sane vera, intellectus, cum duas notiones secum confert, indeque illarum convenientiam, aut discrepantiam colligit, necesse est, ut tria iudicia conficiat, scilicet duo, in quibus ambas notiones cum tertia comparat, et tertium, in quo vel illas notiones coniungit, vel unam illarum ab altera dirimit. Hinc syllogismus, quo ratiocinatio extrinsecus profertur, in tres enunciationes primo resolvatur oportet, quarum prima consensum unius notionis cum tertia, altera consensum, aut pugnam alterius cum tertia, postrema autem consensum, aut pugnam duarum notionum inter se significat. Tribus vero enunciationibus, quae syllogismum constituunt, non plures, quam tres notiones, continentur. Nam eodem notio, scilicet ea, quae *media* vocatur, in una enunciationum subiecti, et in altera praedicati munus obit, atque duae aliae notiones, quarum una est praedicatum in una enunciationum, et altera est subiectum in altera, sunt eaedem, ac illae, ex quibus conclusio efficitur. E. g., in hoc syllogismo: *omne metallum est ductile; aurum est metallum; ergo aurum est ductile*, tres notiones, scilicet *aurum*, *ductile*, et *metallum* inveniuntur.

---

tiant, aut pugnent in eo tantum, in quo cum tertio consentiunt, aut pugnant. En quomodo de primo pronunciato loquitur: « Illud « principium intelligendum est secundum idem. Non enim sequi- « tur, quod si aliqua duo sunt similia uni, quod sint similia inter « se, nisi sint similia secundum idem »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIII, a. 1, q. 3 *ad arg.* Cf s. Thom. I, q. XXVIII, a. 3 ad 1, et *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VIII, a. 2 ad 7.

[1]) *Anal. prior.*, lib. I, tract. I, c. 2.

Tres notiones, quas analysis syllogismi nobis exhibet, *termini*, ὅροι, vocantur, quia in illas, uti Albertus M. post Aristotelem [1] advertit, tanquam in terminum ultimum syllogismi, enunciatio resolvitur. Ex illis vero duae, de quibus quaeritur, an una alteri insit, necne, termini *extremi*, vel neutro genere *extrema*, ἄκρα, dicuntur, et tertia, quae ad cognoscendum spectat, utrum, necne duarum primarum una alteri insit, terminus *medius*, μέσος, vel *medium*, μέσον, vocatur [2]. Terminus autem,

---

[1] *Analyt. prior.*, lib. I, c. 1, p. 146, ed. Waitz.

[2] Medium a Tullio, aliisque latinis argumentum dictum fuit. « Itaque, Tullius ait, licet definire. . . argumentum. . . ratio- « nem, quae rei dubiae faciat fidem » (*Top.*, c. 2. Nihilominus quidquam discriminis inter *medium*, μέσον, et *argumentum* est. Namque eadem tertia notio, quatenus refertur ad duo extrema, quae coniungit, aut separat, vocatur *medium*, quia quasi arbiter inter extrema locum tenet; quatenus autem refertur ad conclusionem, quam efficit, dicitur *argumentum*, quia, cum ipsa sit ratio, ob quam duo coniunguntur, aut separantur, convenientiam, aut discrepantiam extremorum *arguit*: hoc est, ut haec vox latine etiam valet, patefacit. Quandoquidem autem argumentum non eodem sensu a Philosophis, et in universum a scriptoribus adhibitum est, iuvat audire s. Thomam, et s. Bonaventuram, qui multiplicem illius vocis sensum exposuere. « Dicendum, s. Thomas scri- « bit, quod argumentum proprie dicitur processus rationis de no- « tis ad ignota manifestanda. . . Et quia tota vis argumenti consi- « stit in medio termino, ex quo ad ignotam probationem procedi- « tur, ideo dicitur ipsum medium argumentum, sive sit signum, « sive causa, sive effectus. Et quia in medio termino, vel in prin- « cipio, ex quo argumentando proceditur, continetur virtute totus « processus argumentationis, ideo tractum est nomen argumenti « ad hoc, quod quaelibet brevis praelibatio futurae narrationis ar- « catur argumentum » (*In lib. III Sent.*, Dist. XXIII, q. II, a. 1, *sol.* 1 ad 4; cf *Qq. dispp., De Verit.*, q. XIV, a. 2 ad 9. Et s. Bonaventura: « Proprie quidem argumentum accipitur secundum qua- « druplicem acceptionem. Nam uno modo dicitur argumentum « ratiocinatio. . . Alio modo dicitur argumentum prolixae senten- « tiae brevis collectio. Tertio modo dicitur argumentum ipsum « medium, in quo consistit tota vis argumentationis. Quarto modo « dicitur argumentum ipsa maxima propositio, in qua consistit « firmitas totius illationis »; *In lib. II Sent.*, Dist. XXIV, part. I, a. II, q. 1 *ad arg.*

qui tertiam notionem significat, *medius* dicitur, tum quod intellectus, duas notiones cum tertia comparans, tertiam inter duas *medium* locum habere intelligit, tum quod intellectus consensum, aut pugnam duarum notionum, *media*, et, si ita loqui fas est, *mediatrice* tertia cognoscit [1]. Duorum extremorum ille, de quo quaeritur, an alii insit, aut non insit, a Scholasticis *terminus maior*, vel *extremum maius*, et ille, de quo quaeritur, an ipsi alter insit, *terminus minor*, vel *extremum minus* dicti sunt, quia ille praedicati, hic subiecti munus obit, praedicatum vero, uti ostendimus, latius subiecto plerumque est.

Quod ad enunciationes attinet, illae duae, in quibus extrema cum medio comparantur, a Graecis post Aristotelem προτάσεις dictae sunt a verbo προτείνω, *protendo*, vel *praetendo* [2], quia ipsae enunciationi, in qua duo extrema coniunguntur, aut dirimuntur, praecedunt, viamque parant. Scriptores purae latinitatis illam enunciationem, in qua sunt terminus maior, et terminus medius, *propositionem*, et illam, in qua terminus minor, et terminus medius ponuntur, *assumptionem* vocarunt [3], quia prima pronunciatum universale exhibet, altera vero hoc pronunciatum universale ad se trahit, sive *adsumit*. Ita in exemplo, quod adduximus, prima enunciatio, *omne metallum est ductile*, continet pronunciatum universale, et secunda enunciatio, *aurum est metallum*, declarat aurum sub metallo contineri, ut inde collig possit, si ductile omni metallo convenit, auro etiam convenire. Scholastici post Apuleium [4], et Böetium [5] ambas enunciationes communi propositio-

---

[1]) « Voco autem, Aristoteles inquit, medium, quod et ipsum est « in alio, cum aliud in ipso sit, et positione quoque fit medium »; *Anal. prior.*, lib. I, c. 4, vert. Bekk. Vid. Waitz, *loc. cit.*, p. 150.

[2]) Hinc Apuleius vocem πρότασις; *protensionem*, vertit; *Op. cit.*, p. 374, ed. cit. — [3]) Vid. Cicer., *De invent. rethor.*, lib. I, c. 34 sqq.

[4]) Hic enim subdit: «familiarius tamen dicetur propositio»; *ibid.*

[5]) Vid. *Prior. anal.* Sever. Boëtio interprete, passim; *Opp.*, p. 468 sqq, ed. cit.

num nomine designarunt, atque, ut ipsas ab se discernerent, *maiorem* propositionem vocarunt illam, in qua maior terminus, *minorem* autem illam, in qua minor terminus invenitur. Tertia enunciatio autem, in qua extrema coniunguntur, aut dirimuntur, συμπέρασμα ab eodem Stagirita dicta fuit[1], quia τὰ πέρατα, nempe *terminos* coniungit, atque a Tullio, aliisque latinis *conclusionis* nomen accepit[2]. Propositio, et assumptio a Scholasticis *praemissae* vocitantur, quippe quae conclusioni praemittuntur. Immo ipsae ob eamdem rationem *antecedens* quoque dicuntur, et conclusio, eo quod ipsas consequitur, *consequentis* nomine etiam designatur. Nexum vero, qui inter antecedens, et consequens existit, et cuius gratia hoc ab illo infertur, Aristoteles per verbum infiniti temporis συμβαίνειν significavit[3], quod latine idem valet, ac *conse-*

---

[1]) *Anal. prior.*, lib. I, c. 9, et lib. II, c. 6, nec non *Anal. post.*, lib. II, c. 10.

[2]) Cf Cic., *Op. cit.*, ibid. *Complexio* etiam, vel *connexio* ab eo nuncupata est, quia terminos complectitur, et connectit (*ibid.*). Tres voces, quibus Latini tres partes syllogismi designarunt, praeclare s. Augustinus adhibuit in hoc argumento: « Proponunt Graeci, Si « dii tales colendi sunt, profecto etiam tales homines honorandi; « assumunt Romani. Sed nullo modo tales homines honorandi « sunt; concludunt Christiani, Nullo modo igitur dii tales colendi « sunt »; *De Civit. Dei*, lib. II, c. 13. Cf *De Doctr. Christ.*, lib. II, c. 33, n. 51.

[3]) *Anal. prior.*, lib. I, c. 25, p. 190. Simili significatione hoc verbum apud Platonem usurpatum legitur, e. g. in *Philebo*: ὃ συμβέβηκέν ἐκ τούτων τῶν λόγων. Nimirum τὰ συμβεβηκότα apud Aristotelem non sunt solum ea, quae in re sine ulla necessitatis lege accidunt, sed quandoque etiam ea, quae naturam rei necessario consequuntur. (Cf, prae caeteris locis, *Met.*, lib. IV, c. 30, p. 111, et 112 ed. Bonitz 1848.) Et sane, Aristoteles, ut unum exemplum apud eum sollemne adhibeamus, advertit tres angulos trianguli esse duobus rectis pares ad essentiam, sive, ut aiunt, ad notionem trianguli non pertinere, sed ex notione eius necessario colligi, ob idque universe, et semper triangulo tribui. (Cf *Anal. post.*, lib. I, c. 4, et *Top.*, lib. II, c. 3.) Ex quo vides Stagiritam ea, quae in natura rerum observavit, ad syllogismum, qui scientiae rerum adquirendae inservit, traustulisse. « Nimirum, Bonitzius ait, sepo« sita fortuiti notione, v. συμβαίνειν omnino eventum significat; ideo-

qui; unde Scholastici illum *consequentiam* dixerunt. Monendum tamen est enunciationem, quae nomen conclusionis in syllogismo habet, antequam e praemissis deducatur, *quaestionem* vocari: nos enim primum *quaerimus*, an aliquid alicui insit, deinde, postquam novimus in praemissis ambo inesse cuidam tertio, inde unum alteri inesse *concludimus* [1]. Ita, ut exemplum ante allatum urgeamus, si quis nosse cupit, an aurum sit ductile, principio statuit hanc quaestionem : *estne aurum ductile?* deinde metallum, tanquam mediam notionem sumens, expendit, an metallum sit ductile, et an aurum sit quoddam metallum, et si compererit ductile inesse omni metallo, et quoddam metallum esse aurum, inde elicit hanc conclusionem, *aurum est ductile.*

Postquam elementa, sive principia cum proxima, tum remota ratiocinationis nacti sumus, in praesentia quaerendum nobis est, num una tantum ratiocinatio, an plures species ratiocinationis ex illis existant. Ex iis, quae modo diximus, facile intelligitur intellectum non posse ex duobus iudiciis tertium elicere, nisi quamdam connexionem, sive, ut Scholae loqui malunt, *consequentiam* inter duo priora, et tertium perspiciat. Manifestum autem est hanc connexionem non realem, sive obiectivam, sed logicam, sive subiectivam esse oportere ; si quidem, cum logica, ut saepe dictum est, circa notiones secundas, non vero primas rerum versetur, ipsa partes syllogismi considerare non debet, prout referuntur ad res, quas significant, sed prout intellectus ipsas ordinem inter se habere intelligit. Iamvero, huiusmodi

« que transfertur ad ea quae concludentibus eveniunt ex proposi-
« tionibus positis: ea autem necessario eveniunt » (*Comm. in Met. Arist.*, p. 278, Bonnae 1849). De aristotelica huius vocis significatione legere e re est Trendel., *In lib. I De anim.*, c. 1, § 1, p. 188-191; Waitz, *Op.cit.*, vol. II, p. 302-304, et Bonitz, *Op.cit.*, p. 277-279.

[1]) Has voces usurpavit s. Augustinus, ubi scribit: « Primum in-
« tendite quaestionem, et sic ordine expectate solutionem; nam
« qui non videt quaestionem, quae proponitur, quomodo intelligit
« quod exponitur? » *In Ioan. Evang. c. VII*, tract. 29, n. 3.

connexio logica in eo tantum consistere potest, quod conclusio praemissis continetur, quia intellectus conclusionem ex praemissis elicere non posset, nisi illam his contineri intelligeret; hinc antecedens veluti *continens*, et consequens, veluti *contentum*, a logico considerentur oportet. Continens autem, et contentum, prout praemissas, et conclusionem designant, duobus modis intelligi possunt. Namque intelligere nobis licet aut continens, veluti *totum*, et contentum, veluti unam, vel plures partes, quae *toto* continentur; aut continens, veluti *partes*, quae conclusionem constituunt, et conclusionem, veluti *totum*, quod ab ipsis constituitur. Nec negotium facessat, quod partes, et totum sunt in rebus unum, idemque. Quamvis enim partes, et totum, quod ab eis efficitur, in rebus non distinguantur; tamen intellectus, ut suo loco dicemus, potest vel intelligere primo aliquid, tanquam totum, et deinde ipsum in partes, ex quibus constat, resolvere, vel prius intelligere partes, ex quibus aliquid constat, deinde ex ipsis totum componere.

Quandoquidem aut antecedens, veluti totum, et consequens, veluti pars, aut antecedens veluti partes et consequens, veluti totum, in syllogismo intelliguntur, consequitur intellectum in ratiocinationibus conficiendis vel a toto ad partes, vel a partibus ad totum progredi. Vt duplex iste rationis progressus probe cognoscatur, necesse est exponere, cuiusnam naturae sint totum, et partes, quae in syllogismo considerantur. Totum, et partes nonnisi logica, seu subiectiva esse queunt, quia intellectus, ut modo diximus, partes syllogismi non aliter expendere debet, quam prout ipsas ordinem in syllogismi structura habere intelligit. Atqui totum logicum, sive subiectivum est vel *genus*, vel *species*, quippe quod, cum generi plures species, et speciei plura individua subiiciantur, species, tanquam partes generis, et individua, tanquam partes speciei, intelligere nobis licet. E. g., intellectus, quoniam intelligit *homini*, et *bruto* inesse *animalitatem*, *animal*, veluti totum, *hominem* vero, et

belluam, veluti partes, considerat. Item, eo quod *animal ratione praeditum* inesse *singulis hominibus* cognoscit, illud, tanquam totum, hos vero, tanquam partes, intelligit [1]. Quare genus est totum, prout consideratur relatum ad species, in quas dividitur; species, si relata ad genus, cui subiicitur, spectetur, est pars, sin ad individua, quae ipsi subiiciuntur, est totum; individua denique sunt partes speciei, qua continentur. Ex quo concludendum est intellectum ratiocinando duas vias e regione oppositas posse inire. Ipse enim interdum a genere ad speciem, aut a speciebus ad individua descendit; interdum vero ab individuis ad speciem, aut a speciebus ad genus ascendit [2]. Puta a genere ad speciem progreditur, si ratiocinatur hunc in modum: *omne animal habet vitam, et sensum; homo est animal; ergo homo habet vitam, et sensum.* A specie autem ad individua in huiusmodi syllogismo: *omnis homo est ratione praeditus; Socrates est homo; ergo Socrates est ratione praeditus.* Tum ab individuis ad speciem, vel ad genus, si hosce syllogismos conficit: *bos, equus, canis, leo ratione carent*; *bos, equus, canis, leo, ceteraque bruta sunt omne animans brutum; ergo omne animans brutum ratione caret;* vel *homo, et bellua habent vitam, et sensum*; *homo, et bellua sunt omne animal; ergo omne animal vitam, et sensum habet.* Ratiocinatio, quae a genere ad speciem, vel a speciebus ad genus progreditur, dicitur *syllogismus deductivus*, et ratiocinatio, quae progreditur ab individuis ad speciem, vel ad genus, aut a speciebus ad genus, *syllogismus inductivus* audit [3]. Frequentius, Aristotele auctore, prior συλ-

---

[1]) Id s. Thomas docuit, ubi notionem partis subiectivae exemplo illustrans, ait: « Pars. . . subiectiva, sicut bos et leo sunt « partes animalis »; 2^a 2^{ae}, q. XLVIII, a. 1 c.

[2]) Cf de hac re Hamiltonum, *Fragmens de phil., Log.*, p. 246-249, ed. cit.

[3]) Syllogismum, tanquam genus, Aristoteles spectavit, ubi inductionem *syllogismum ab inductione* vocavit, ὁ ἐξ ἐπαγωγῆς συλλογισμός; *Anal. prior.*, lib. II, c. 23, vol. II, p. 25[illegible], ed. Waitz.

λογισμός [1], latine *ratiocinatio* [2], posterior ἐπαγωγή [3], latine *inductio* [4], vocatur. Ex his omnibus perspicitur, quandoquidem syllogismus, seu ratiocinatio est instrumentum, quo ad scientiae consecutionem utimur, nos, uti Aristoteles sanxit, omnia discere, μανθάνειν, sive omnibus assensum praebere πιστεύειν, propter *syllogismum*, et *inductionem* [5]. Quomodo autem syllogismus, et inductio ad effectionem scientiae concurrant, in altera huius Logicae parte dicemus.

Cum haec ita se habeant, nemo non videt de syllogismo, et de inductione nobis seorsum tractandum es-

---

[1]) Συλλογισμός a συλλογίζεσθαι originem trahit. Συλλογίζεσθαι idem valet, ac computando, vel ratiocinando coniungere. Vtraque vox iam apud Platonem ita adhibetur, ut quae ex duabus positis sententiis sequuntur, in unum colligere valeat (cf *Phileb.*, p. 41, *Theaet.*, p. 86, *Phaedr.*, p. 249, ed. Serrano). Aristoteles vim vocis συλλογισμός ad eam formam concludendi contraxit, in qua tres notiones ita sibi inter se subiiciuntur, ut, media interposita, prima et tertia in unum enunciationem colligi queant. Vid. Trendel., *Elem. Log.*, § 20, p. 85, et quae Waitz adiecit vol. I, p. 171, et 172.

[2]) Cic. *De inven. reth.*, lib. I, c. 33, et Quintil., *Op. cit.*, lib. V, c. 10, et lib. VII, c. 8.

[3]) Ἐπαγωγή derivata est ab ἐπάγειν, quod latine idem valet, ac *inducere*, quia per illam singula ad conclusionem gignendam inducuntur, et fere congeruntur. Ἐπάγειν λόγον invenitur apud Arist. (*Met.*, lib. I, c. 7, ed. Bonitz). Budaeus (*Comment. ling. graec.*, p. 375, Basileae 1556), quem alii secuti sunt, ἐπαγωγὴν a re militari translatam esse existimavit. Nam, quemadmodum, agmine iter faciente, ordines militum, alii post alios, procedunt (cf Suidas in hac voce); ita inductio ex rerum singularum, quae ordinum instar se inter se excipiunt, iusta enumeratione aliquid universale conficit, quod omnes singulas res complectitur. Logicus usus vocum ἐπάγειν, et ἐπαγωγὴ apud Platonem non occurrit. Cons. de hac re Trendelenb., *Elem. log.*, § 20, p. 86, et 87, ed. cit.

[4]) Cic., *Op. cit.*, lib. I, c. 31. Quintilianus ait: « hoc est ex eo « genere, quod ἐπαγωγὴν Graeci vocant, Cicero inductionem »; *Op. cit.*, lib. V, c. 10.

[5]) Ἅπαντα πιστεύομεν ἢ διὰ συλλογισμοῦ ἢ ἐξ ἐπαγωγῆς (*Anal. prior.*, lib. II, c. 23), atque alibi: Μανθάνομεν ἢ ἐπαγωγῇ ἢ ἀποδείξει (*Anal. post.*, lib. I, c. 18). Tullius ad rem suam verba Stagiritae traxit, cum in *Inv. reth.* (lib. I, c. 31) inquit: « Omnis igitur argumenta« tio aut per inductionem tractanda est, aut per ratiocinationem».

se; nam, quoniam hae duae argumentationes vias e regione sibi oppositas terunt, necesse est, ut inter se quodammodo differant, diversisque legibus regantur. Primum de syllogismo, dein de inductione agemus, cum quod syllogismus est argumentatio perfectior, et planior inductione, tum quod, ut in tertia parte ostendemus, etsi in multis scientiis inductio syllogismo praecedat, tamen omnis scientia, quaecumque sit, syllogismo absolvitur. Praeterea, cum non solum categoricae, sed etiam hypotheticae enunciationes dentur, de syllogismis hypotheticis disserendum quoque nobis erit. Nam, si aliae sunt normae, quibus enunciationes hypotheticae, aliae vero, quibus categoricae construuntur, et diiudicantur, liquet alias quoque esse oportere normas, quae in syllogismis hypotheticis, alias autem, quae in syllogismis categoricis construendis, diiudicandisque obtinent. Tandem, omittendae nobis non erunt peculiares quidam modi argumentationis, qui ad syllogismum, vel ad inductionem accedunt; hi enim, quamvis ad inventionem rethoricam proprie spectent; tamen non parum utilitatis, uti ex dicendis patescet, in scientiis quoque habent.

Restat, ut de historia huius logicae doctrinae aliquid delibemus. Aristoteles doctrinam syllogismi, perinde ac vocem, primus omnium invenit, eamque ita absolvit, ut parum, aut nihil addendum posteris relinqueret. Re sane vera, quin auctor syllogismi, quod ad omnes eius species considerati, fuerit, nos dubitare ipsemet Stagirita non sinit. Hic enim, quamvis de non paucis scientiis, uti alias dicemus, adeo meritus fuerit, ut earum quasi inventor salutari possit, nullius tamen, praeterquam syllogismi, inventionem sibi vindicavit, neque alio in opere, nisi in hac parte *Organi*, indulgentiam ob errores, in quos incidere potuit, a suis lectoribus exoravit. Praestat pauca ex praeclaro loco, quo *Organum* clauditur, excribere [1]: « Ac

[1]) Dugald-Stewart (*Èlèments de la phil. de l'espr. hum.*, part.

« de rethoricis quidem multa, et antiqua dicta extabant: « de syllogismis autem conficiendis nihil aliud habebamus « antea quod diceremus, sed exercitatione quaerentes mul- « tum temporis laboravimus. Si igitur vobis scripta nostra « inspicientibus videtur non esse haec methodus ex talibus « initio extantibus perfecta, si comparetur ad alias tracta- « tiones, quae ex traditione sunt auctae; quod reliquum « est, vestrae, auditorumque partes erunt, ea, quae ad « huius methodi consummationem sunt praetermissa, venia « dignari, quae vero sunt inventa, multa prosequi gratia [1] ».

Nemo, quantum scimus, inter veteris, et mediae aetatis Philosophos extitit, qui Aristotelem mendacii, aut iactantiae redargueret. At post instauratas graecas, latinasque litteras Petr. Ramus, acerrimus *Organi* aristotelici reprehensor, hanc gloriam Stagiritae eripere conatus est; ipse enim contendit Aristotelem in Analyticis, perinde ac in reliquis libris *Organi*, nihil aliud egisse, quam ut placita logica antecessorum suorum sine delectu, et sine methodo congereret [2]. Verum, recentes, si perpaucos exceperis, iniquo hoc Rami iudicio reiecto, et Baconis [3] auctoritate freti, illius argumentandi formae,

---

2ª, c. 3, sect. 3, t. II, p. 214, trad. Peisse, Paris 1845) putavit haec verba non ad universam doctrinam syllogismi, sed ad solos *Elenchos Sophisticos* spectare. Sed perperam; nam Aristoteles de arte ratiocinandi (*περὶ τοῦ συλλογίζεσθαι*) locutus est. Quocirca omnino tenendum est cum Reidio conclusionem *Elenchorum* « non solum « ad hunc librum, sed etiam ad Analyticos, et Topicos spectare »; *Analyse de la log. d'Aristote*, c. V, sect. 3, *Oeuvr.* trad. par Jouffroy, t. I, p. 195, Paris 1836. Cf *ibid.*, c. III, sect. 1, p. 153.

[1]) *Elench. Soph.*, seu, secundum Waitzium, *Top.*, lib. IX, c. 34, vol. II, p. 290.

[2]) *La Dialectique*, Préf. à Charles de Lorraine, Paris 1555; cf ea, quae in opere *Aristotelicae animadversiones* (Parisiis 1543) passim scripsit. Ast in eodem opere, quod an. 1548 novis typis edidit, necnon in aliis *Scholae Dialecticae* (Francofurti 1581), et *Defensio pro Aristotele adversus* Ioan. Schecium (Lausannae 1571) censorem Aristotelis minus iniquum se praebuit.

[3]) *Novum Organum*, lib. I, aphor. XIII, et XIV, *Opp.* t. II, Amstelod. 1694; *De augmentis scientiarum*, t. I, p. 268, etc.

quae syllogismus proprio nomine vocatur, auctorem Aristotelem agnoverunt, sed ei veram, utilemque formam argumentandi, quae *inductio* audit, latuisse pugnarunt, quia inductio ab eo descripta, et inculcata futilis, et ad scientiam adquirendam inepta est.

At, cum saeculum proxime elapsum ad finem verteret, Guil. Iones evulgavit Brachmanas omnes argumentandi modos in suis disputationibus adhibere [1], et pervagatam esse in India, et in multis Persiae provinciis traditionem quod Callisthenes *systema technicum logicae* ab India ad suum patruum Aristotelem misisset [2]. Postquam Colebrookeus praecipua capita philosophiae indicae ex lingua sanscrita vertit, et in lucem edidit [3], inde factum est, ut opinio in Europa obtineret cunctas partes logicae aristotelicae a vetustis Indiae Philosophis ante Aristotelem excultas fuisse. Re vera, quod ad syllogismum attinet, Colebrookeus ostendit eius doctrinam eo prorsus modo, quo apud Stagiritam legitur, in *Nyâya* Gotamae copiose tractatam inveniri. Cousinius, ne de nonnullis aliis dicamus, logicam *nyâya* in Gallia, ducibus Colebrookeo [4], et Abele Remusatio [5], breviter, et dilucide exposuit [6], eiusque opera factum est, ut non pauci, praesertim Galli, illam valde admirarentur, et, utrum, necne Organi aristotelici fons habenda esset, disputarent.

At vero, Stagiritam doctrinam syllogismi nec e scri-

---

[1]) P. Pons e S. I. an. MDCCXL primus omnium in sua epistola ad P. du Halde hunc certiorem fecit de usu syllogismi apud Brachmanas. Vid. *Lettres èdifiantes et curieuses*, t. XIV, Paris 1781.

[2]) Legesis duos eius Sermones, quos ad *Societatem Asiaticam* habuit an. MDCCLXXXVI, et MDCCXCIV, *Opp.* (angl.) vol. I, Lond. 1797.

[3]) *Op. cit.*, Ess. I, Introd., p. 21, et Ess. II, p. 50. Cf Pauthier, *Ibid.* not. (1), p. 21.

[4]) *Op. cit.*, loc. cit.

[5]) *Journal des Savants*, 1826, Avril p. 236 sqq.

[6]) *Cours d' hist.* etc., leç. VI, *Oeuvr.*, ser. 2, t. II, p. 132 et 133, Paris 1847.

niis Logicorum graecorum, qui eius actati praecesserunt, compilasse, nec ab Indiae Philosophis accepisse nobis post nuperos eruditissimos historicos indubium videtur. Ad primum evincendum ipsemet Stewartius duo nobis argumenta suppeditavit, quae Aristoteli inventionem syllogismi sibi vindicanti omnem fidem adhibendam esse commonstrant. Namque in primis, quandoquidem nulla vetustae philosophiae monumenta nobis suppetunt, ex quibus doctrinam syllogismi ante Aristotelem excultam fuisse patescit, nihil causae est, cur fides Aristoteli id asserenti denegetur. Praeterea, haud credibile est Aristotelem hanc gloriam sibi immerito tribuisse, quin ullus, ne inter eius adversarios quidem, ei fraudem, et mendacium obiiceret[1]. Nec audiendus est Ramus, qui logicam ante Aristotelem a Zenone Eleensi, a Pythagora, a Socrate, et Platone, immo iam inde a Mose, et Noe ad praecepta revocatam fuisse autumavit[2]. Et sane, ne de Mose, et Noe quidquam dicamus, quorum praecepta logicae artis nemo profecto vidit, nos iam diximus[3], quid de primis logicae auctoribus tenendum sit. Quod vero ad syllogismum spectat, nemo certe negaverit plures, diversosque argumentandi modos sive bonos, sive fallaces ab Aristotelis antecessoribus inventos, adhibitosque fuisse[4]. At certum est 1° neminem illorum invenisse unicum, et praecipuum modum argumentationis, ad quem reliqui revocantur, et ex quo reliquorum veritas, et falsitas diiudicatur; 2° modos argumentandi ab illis inventos potius ad topicen, et sophisticen, quam ad analyticen, pertinere, et ab illis ad scientiam, sive, ut antiqui aiebant, ad artem revocatos non fuisse, quam in *Topicis*, et in *Elenchis Sophist.* Aristotelis habent[5]. Ari-

---

[1]) *Op. cit.*, ibid., not. (1). — [2]) *La dialectique*, loc. cit.

[3]) P. 186 et 187 vol. I.

[4]) Cf de his I. G. Buhle, *De philosophorum graecorum ante Aristotelem de arte logica invenienda, et perficienda conaminibus*, inter *Comm. Societ. Gotting.*, t. XI, p. 234 sqq, Gottingae 1791.

[5]) Audiatur Aristoteles: « Huius autem dialecticae tractationis

stoteles autem non solum, primus omnium, hunc unicum modum invenit, quem syllogismum vocavit, eiusque universam structuram, et leges diligenter exposuit, sed etiam, quomodo omnis ratiocinatio sive simplex, sive composita, sive bona, sive fallax ad illum reducatur, subtilissime investigavit. Certe, ut Car. Remusatius advertit, etiamsi doctrina aristotelica syllogismi nulli usui ad rerum scientiam assequendam foret; tamen Aristoteles summam laudem meruisset, quod ita structuram syllogismi explicuit, ut nihil ingenium, et sagacitatem eius effugeret, quodque in illa enodanda exemplum demonstrationis praebuit, quo perfectius nulla scientia exhibere potest [1]. Verum, non in hac re dumtaxat, Waddingtonus subdit, laus Stagiritae consistit; ipse enim, uti ex dicendis patescet, doctrinam syllogismi ad omnem scientiae, et vitae utilitatem accommodavit, eiusque usus in disputationibus, in docendi officio, et in arte perorandi commonstravit [2].

Ii vero, qui Aristotelem a logica Gotamae doctrinam syllogismi hausisse contendunt, duo, tanquam certa, et concessa, sumunt, scilicet Nyâya Gotamae esse *Organo* antiquiorem, et in illo veram, germanamque doctrinam syllogismi inveniri. Ast horum duorum primum, si non prorsus falsum, procul dubio valde incertum est, quia, ut alibi innuimus [3], de vera aetate systematum philosophicorum Gotamae, aliorumque Indorum nihil liquet. Alterum autem, ut Barth.-de-Saint-Hilaire solide, luculen-

---

« non aliud erat, aliud non erat excultum, sed nihil prorsus exta-
« bat. Nam eorum, qui in litigiosis disputationibus quaestum fa-
« ciebant, institutio quidem erat similis Gorgiae disputationi; alii
« namque orationes rethoricas, alii ad interrogandum comparatas
« tradebant ediscendas, in quas utrique putabant mortuos sermo-
« nes saepe numero incidere, idcirco celeriter quidem, sed citra
« artem discipulos suos docebant »; *Elench. Soph.*, c. 34.

[1]) *Revue française*, an. 1838.

[2]) *Essais de log.*, Ess. V, *De la mèthode dèductive*, § I, p. 165, et 166, ed. cit.

[3]) P. 368, et not. 1, vol. I.

terque ostendit [1], est omnino falsum. Et sane, argumentatio, quae in Nyâya legitur, a syllogismo aristotelico, cui Colebrookeus illam similem fecit, immane quantum discriminatur. Enimvero, in argumentatione nyâya quinque partes numerantur, quas Gotama nec communi voce designavit, nec tanquam unicae argumentationis partes, exposuit, eaeque sunt *propositio*, *ratio*, *exemplum*, *applicatio*, et *conclusio* [2]. At nihil huiusmodi certe in syllogismo aristotelico occurrit; hic enim, ut vidimus, ex solis tribus conflatur enunciationibus, iisque adeo secum copulatis, ut unicum actum mentis significent [3]. Praeterea, narratio, quam Iones a Brachmanis excepit, digna non est, quae in disputationem adducatur; adeo putidam fabellam redolet. Etenim, praeterquam quod ipsa nullo vetusto monumento nititur, credibile non est aut Aristotelem linguam calluisse, in qua nyâya exaratus est, aut Brachmanas brevi tempore, quo Callisthenes apud eos diversatus est, linguam graecam didicisse, ut nyâya graece redderent [4].

Quae cum ita sint, liquet futilia esse argumenta, per quae Aristoteli inventio syllogismi abiudicatur. Verum, Aristoteles, ut innuimus, non modo invenit syllogismum, sed etiam perfectam, absolutamque eius scientiam tradidit. Re vera, penes Graecos, et Latinos nihil novi occurrit, si doctrina stoica syllogismi hypothetici excipiatur, quam cur Stagirita non tractaverit, inferius dicemus, et a Scholasticis post Arabes non aliud factitatum est, quam ut Stagiritae doctrinam exponerent, et tuerentur. In recenti aetate, post multa, iterataque conamina Vivesii, Vallae, Patritii, Nizolii, aliorumque adversus Aristotelem,

---

[1]) *Memoire sur le Nyâya*, *Mèm. de l' Acad. des scienc. moral. et polit.*, t. III, p. 147-250, Paris 1841.

[2]) En exemplum, quod Gotama attulit: Prop., *hic mons ardet*; Rat., *quia fumat*; Exempl., *iam id, quod fumat, ardet, uti ex igne culinae patet*; Applic., *idem de monte, qui fumat, dicendum est*; Concl., *ergo hic mons ardet*. Vid. Colebrooke, *Op. cit.*, Ess. I, Introd., p. 21, et Ess. II, p. 50, ed. cit.

[3]) Vid. *Mèm. cit.*, p. 197 sq. — [4]) Vid. *Mèm. cit.*, p. 224 sq.

doctrina syllogismi, non secus ac reliquae partes *Organi*, sensim in oblivionem cecidit, atque eo usque perventum est, ut qui logicam traderent, novam doctrinam syllogismi aristotelicae suffecisse arbitrarentur. Sed cunctis recentibus *Organi* aristotelici osoribus illud obiici potest, quod Ramo obiectum legimus, eum, cum adversus Aristotelem debaccharetur, ab hoc pleraque, et potiora dialecticae suae praecepta mutuatum esse [1].

Fatendum tamem est non defuisse, qui Leibnitii, recentium Philosophorum facile principis [2], exemplo, et auctoritate permoti, logicam Stagiritae, ex ea praesertim parte, quatenus ad syllogismum pertinet, summopere admirarentur, et commendarent. Hac vero nostra aetate non pauci, iique adprime eruditi qui in Aristotelis *Organum* studia sua converterunt, universam doctrinam aristotelicam syllogismi sedulo explicarunt, multoque in pretio habuerunt. In Germania, praeter multos, qui vel aliquam partem *Organi* illustrantes, vel de Organi pretio disserentes quidquam ad intelligentiam syllogismi contulerunt, commemorandi sunt cum laude Bieseus, Heyderus, et Trendelenburgius [3], atque inter Gallos Ad. Franck [4], et praesertim Bart.-de-Saint-Hilaire, qui non solum *Organum* exposuit, eiusque fata usque ad hanc aetatem enarravit, sed etiam illud gallice vertit, perpetuoque commentario instruxit [5].

His praeiactis, ad syllogismi, stricte sumti, sive syllogismi deductivi, de quo primum tractandum esse diximus, explicationem accedamus.

---

[1]) Steph. Pasquier, in suo *Iconum* libro (n. 146, *Petrus Ramus*), ita cecinit:

> Hic in Aristotelis dum famam et dogma vagatur,
> O quantum debet Ramus Aristoteli!

Vid. *Oeuvres*, Amsterdam (Trevoux) 1723.

[2]) Cf opera eius, quae inferius laudabimus.

[3]) Legesis Biese, et Trendelenb., *Opp. citt.*, et Heyder, *Critica expositio, et comparatio Dialecticae Aristotelicae, et Heghelianae* (germ.), Erlangen 1845.

[4]) Vid. opus eius, quod citavimus p. 188, not. 1 vol. I.

[5]) *Opp. citt.* passim.

ARTICVLVS SECVNDVS

De syllogismo deductivo

De sillogismo stricte sumto acturis principio clara eius definitio tradenda nobis est. Ex omnibus, quae hactenus disseruimus, nullo negotio perspicere licet syllogismum ab Aristotele scite definitum fuisse *orationem, in qua, quibusdam positis, aliud quidpiam ab his, quae posita sunt, ex necessitate accidit, eo quod haec sunt* [1], id est ex eo ipso quod haec posita sunt. Et sane, in omni syllogismo, uti Scotus hanc definitionem explicans advertit, tria inveniri necesse est, scilicet praemissas, conclusionem, et connexionem inter praemissas, et conclusionem. Atqui in definitione aristotelica per verba *quibusdam positis* praemissae, per verba *aliud diversum ab his, quae posita sunt*, conclusio, et per verba *de necessitate accidit, eo quod haec sunt*, connexio, sive, ut Scotus eam quoque vocavit, illatio significantur. Ergo definitio aristotelici syllogismi ea omnia complectitur, quae syllogismum constituunt [2]. Vt vero vis definitionis probe cognoscatur, advertere e re est verba τεθέντα, et κείμενα, quae nos, secundum Boëtium, *posita* interpretati sumus, vertenda non esse *concessa*, uti Apuleio placuit [3], vel *concessa et consensa*, uti Gellius voluit [4]. Namque τεθέντα, et κείμενα, Trendelenburgio an-

---

[1]) *Anal. prior.*, lib. I, c. 1, interprete Boëtio, *Opp.* p.468,ed.cit.

[2]) *In lib. I Prior.*, q. V, n. 8. Cons., si lubet, Apuleium, *Op. cit.*, p. 382 sqq, ed. cit.

[3]) « Ceterum tota ratiocinatio. . . secundum Aristotelem com-« modissime potest ita definiri: *Oratio*, in qua, concessis aliquibus, « aliud quidpiam praeter illa, quae concessa sunt, necessario eve-« nit, sed per illa ipsa concessa »; *Op. cit.*, p. 382.

[4]) « Syllogismus est oratio, in qua, consensis quibusdam, et con-« cessis, aliud quid, quam quae concessa sunt, necessario confici-« tur »; *Op. cit.*, lib. XV, c. 26.

notante [1], latius patent, quam *concessa*, et *consensa*; si quidem *poni* in praemissis dicuntur ea omnia, ex quibus aliud ab eis diversum in conclusione elici potest, sive quod ab adversario conceduntur, sive quod natura sua conclusionem gignunt. Quin immo syllogismus ille proprie dicendus est, in quo ea, quae in praemissis statuuntur, vi sua conclusionem efficiunt, quia, ut in secunda parte ostendemus, cum aliqua in praemissis ex sola concessione, sive consensu adversarii ponuntur, ad adversarium convincendum, non vero ad rerum scientiam efficiendam vim habent.

Cum haec sit vera, germanaque notio syllogismi, in promptu est perspicere, quid sentiendum sit cum de opinione Lockii, qui tenuit syllogismum esse actionem intuitivam, non vero deductivam intellectus, tum de opinione Rosminii, qui non solum deductionem mediatam propriam argumentationis, sed etiam deductionem immediatam ab argumentatione diversam admisit. Lockius, cui Stewartius plausit [2], ratus est intellectum unicum syllogismum, vel seriem syllogismorum conficere ex eo quod unam enunciationem in altera *intuetur* [3]. Hanc ob rationem Buffierius, cui lockiana philosophandi ratio non parum arrisit, censuit primitivam formam ratiocinationis, in qua deductio mediata invenitur, non esse syllogismum, sed *soritem*, hoc est, ut inferius videbimus, illam argumentationem, in qua plures propositiones ita inter se nectuntur, ut praedicatum unius sit subiectum alterius [4]. Rosminius, secus ac Lockius, Buffierius, et Stewartius senserunt, voluit omnem argumentationem esse natura sua deductivam; sed contendit, praeter argumentationem, agnoscendam esse

---

[1]) *Élém.* § 21, p. 88.

[2]) *Élémens* etc., part. II, c. 2, sect. 1, t. II, p. 64 sqq, ed. cit.

[3]) *Ess.*, lib. IV, c. 11, § 7, et c. 17, § 2, 14, et 15.

[4]) *Log.*, II, art. 3, § 124-126, *Cours des scienc.* etc., p. 785, et 786, ed. cit.

deductionem immediatam, seu *simplicem*, atque hanc existere cum una propositio in alia, veluti consequentia proxima eius, evidente continetur, ita ut opus non sit media enunciatione. Hanc ipse doctrinam nullo exemplo declaravit [1]. Rosminio, ni fallimur, Antipater Stoicus praeivit: hic enim, teste Apuleio, syllogismos dari docuit, in quibus ex unica praemissa, sive, ut Apuleius loquitur, *acceptione* conclusio colligitur. « Et, inquit Apuleius definitionem Aristotelis explicans, « *concessis* « *aliquibus*, pluraliter ideo dictum est, quia ex una « acceptione non fit collectio : licet Antipatro Stoico « contra omnium sententiam videatur plena conclusio « esse, *Vides, vivis igitur* [2] ».

Quanta sit harum opinionum absurditas, ex iis, quae de natura actionis ratiocinatricis in *Dynamilogia* dicturi erimus, abunde patescet: in praesentia pauca argumenta, quae fines logicae haud praetergrediuntur, afferre satis est. Principio, Lockio, eiusque discipulis reponimus intellectum aliquid ex aliquo cognoscere non quidem intuendo, sed, ut cum s. Bonaventura loquamur [3], *per modum elicientis*. Si enim intellectus argumentando unam propositionem in altera intueretur, profecto cognoscens unam propositionem simul alteram cognosceret. Ast id, quemadmodum quilibet super actiones suas reflectens cognoscere facile potest, prorsus falsum est.

---

[1]) *Logica*, lib. II, sez. 2, c. 1, § 533, p. 155, et 156, ed. cit.

[2]) *Op. cit.*, p. 382 ed. cit. Cf Boët, *De syllog. categ.*, lib. II, p. 600 ed. cit. Apuleius, eo quod τεθέντα et χείμενα *concessa* vertit, enunciationes, quae conclusioni praemittuntur, *acceptiones* vocavit, quia a respondente conceduntur. « Porro, ait, acceptio est pro« positio, quae conceditur a respondente, ut si quis ita proponat, « *Estne omne honestum, bonum?* Propositio est, et, si assentire se « dicet, fit acceptio, remota interrogatione » (*ibid.*, p. 381). At, praemissae dici nequeunt *acceptiones*, sicut nec ea, quae in ipsis statuuntur, *concessa*, nisi in illo argumentationis topicae genere, quo ex concessis, et interrogando aliquid evincitur.

[3]) *In lib. III Sent.*, Dist. XVIII, a. 1, q. 3 *ad arg.*

Enimvero, in primis intellectus cognoscens propositionem, simul non cognoscit assumptionem; si quidem ex eo, quod praedicatum notioni quaestionis propositae, quam veluti mediam sumpsit, convenire novit, non idcirco novit subiectum eiusdem quaestionis ambitu illius notionis mediae contineri, sed debet praeterea inquirere, utrum, necne notioni subiecti, cui praedicatum quaestionis convenit, notio subiecti eiusdem quaestionis subiiciatur, aut saltem aequalis sit. E. g., si quis quaerens, *sitne omne aurum ductile*, metallum, veluti medium, capessat, primum investigare debet, an omne metallum sit ductile; et, si invenerit omne metallum esse ductile, non ideo novit omne aurum esse metallum, sed opus ei est notionem auri cum notione metalli conferre, ut illam hac contineri cognoscat, proindeque omne aurum re ipsa esse ductile decernat. Nec intellectus, ambas praemissas cognoscens, simul conclusionem cognoscit; si quidem opus ei est novum actum exerere, ut subiectum, et praedicatum quaestionis, quae in praemissis cum tertia notione convenire perspexit, secum coniungat. Puta, intellectus, eo tantum quod novit omne metallum esse ductile, et omne aurum esse metallum, certe non novit omne aurum esse ductile, sed tum id cognoscit, cum aurum, et ductile inter se coniungit. Vnde tenendum cum s. Thoma est intellectum primo cognoscere principia secundum se in praemissis, deinde cognoscere ea in conclusione, prout huius causa sunt[1]. At, si intellectus conclusionem in praemissis, unico actu non cognoscit, sed ipsam ex praemissis, et diverso actu, ac praemissas, cognoscit, cognitio, quam syllogismus parit, non est intuitiva, sed deductiva, sive ut Scholae aiunt, *discursiva*. Iuvat audire s. Thomam, qui utriusque cognitionis discrimen luculenter exposuit hoc modo: « Differt « cognoscere aliquid in aliquo, et aliquid ex aliquo: « quando enim aliquid in aliquo cognoscitur, uno mo-

---

[1]) 1ª 2ae, q. VIII, a. 3 c.

« tu fertur cognoscens in utrumque , sicut patet quan-
« do aliquid cognoscitur in aliquo, ut in forma cogno-
« scibili, et talis cognitio non est discursiva . . . Sed
« tunc dicitur aliquid ex aliquo cognosci , quando non
« est idem motus in utrumque, sed primo movetur in-
« tellectus in unum, et ex hoc movetur in aliud; unde
« hic est quidam discursus , sicut patet in demonstra-
« tionibus [1] ».

Ex his, quae in *Dynamilogia* argumentationibus s. Augustini, B. Alberti M., s. Thomae, et s. Bonaventurae innixi, copiose exponemus, Lockio, aliisque ex eius Schola germanam naturam syllogismi latuisse abunde patebit. At planius argumentum , ex ipsa doctrina adversariorum petitum, hic praetermittere nolumus, quod huiusmodi est: Si intellectus ratiocinando unam enunciationem ab alia colligeret, eo quod unam in altera intuetur, profecto in syllogismo opus non foret assumptione, sed tantum propositione, et conclusione , quia , si conclusio ipsa per se, hoc est, sine ulla enunciatione media, in propositione ab intellectu conspicitur , opus non est assumptione , quae unam alia contineri declaret. Atqui, ipsis adversariis, ut paulo post videbimus, docentibus , in syllogismo praeter enunciationem continentem, et enunciationem contentam,

---

[1]) *Qq. dispp., De Ver.*, q. VIII, a. 15 c. Quandoquidem dici potest eum, qui intelligit aliquem effectum, in hoc causam, quam per illum cognoscit, quodammodo intueri, ideo s. Thomas *mediatam* quandoque dixit cognitionem rei, quam intellectus in alia re videt, cum haec res non est species, per quam res cognoscitur, sed medium, per quod res cognoscitur. « Tertium medium est, in quo « aliquid videtur; et hoc est res aliqua, per quam in cognitionem « alterius devenimus, sicut in effectu videmus causam. . . , et hoc « medium se habet ad intellectum, sicut speculum ad visum cor- « poralem, in quo oculus aliquam rem videt. . . Hoc medium fa- « cit visionem mediatam; visus enim prius fertur in speculum, si- « cut in visibile, quo mediante accipit speciem rei visae in specie, « vel speculo. Similiter intellectus cognoscens causam in causato « fertur in ipsum causatum, sicut in quoddam intelligibile, ex quo « transit in cognitionem causae »; *Quodlib.* VII, a. 1 c.

opus est enunciatione, quae unam altera contineri declarat. Ergo ratiocinatio non est actio, qua intellectus unam enunciationem in altera intuetur, sed qua unam ex altera, media alia ab ambabus diversa, colligit.

Opinio autem Rosminii lockiana absurdior est, propterea quod omnino repugnat dari deductionem *immediatam*, et *simplicem*, hoc est, deductionem, per quam intellectus unam enunciationem ab altera, sine ope alicuius enunciationis mediae, colligit. Enimvero, tum licet nobis unam enunciationem ab altera deducere, cum idem esse utriusque praedicatum, et subiectum unius subiecto alterius esse vel inferius, vel saltem aequale intelligimus. Atqui id intelligere non possumus sine media enunciatione, quae subiectum unius subiecto alterius, vel ut aliquid inferius eo, vel ut aliquid ei aequale contineri declaret, quippe quod si subiectum unius subiecto alterius continentur, praedicatum, quod huic convenit, illi quoque conveniat necesse est. Ergo non licet, quemadmodum Rosminius post Antipatrum Stoicum sensit, ullam enunciationem ab unica alia deducere, sed necesse prorsus est omni deductae enunciationi duas alias enunciationes praecedere, quarum prima illam contineat, secunda illam prima contineri declaret. Iuvat audire s. Thomam, qui errori Rosminii obviam iverat hoc modo: « Cum ad conclusionem inferendam « duae propositiones requirantur, scilicet maior, et mi- « nor, scita propositione maiori, nondum habetur con- « clusionis cognitio . . . . . Rursus autem si in minori « propositione inducatur, sive assumatur aliquid con- « tentum sub universali propositione, quae est maior, « de quo manifestum non sit, quod sub hoc universali « contineatur, nondum habetur conclusionis cognitio, « quia nondum erat certa veritas minoris propositionis. « Si autem in minori propositione assumatur terminus, « de quo manifestum sit, quod continetur sub univer- « sali in maiori propositione, patet veritas minoris pro-

« positionis , quo id , quod accipitur sub universali , « habet eius cognitionem , et sic statim habetur con- « clusionis cognitio. Vt si sic demonstraret aliquis : « *Omnis triangulus habet tres angulos aequales duo-* « *bus rectis*: ista cognita, nondum habetur conclusionis « cognitio ; sed , cum postea accipitur , *haec figura in* « *semicirculo descripta est triangulus*, statim scit, quod « habet tres angulos aequales duobus rectis [1] ». Ex quo vides scite Boëtium statuisse hoc pronuntiatum : « . . . collectio nonnisi plurimorum est, et quicumque « unam posuit propositionem, ille non colligit [2] ».

Quae cum ita sint , et omnem syllogismum deductione perfici , et nullam deductionem extra syllogismum fieri posse tuto concludamus.

Perspecta notione syllogismi , fundamentum , cui ipse innititur , exponere ordinis ratio iubet ; nam , quoniam syllogismus , et inductio sunt diversae species argumentationis , necesse est , ut praeter principium ipsis commune , ex quo veritas argumentationis in universum spectatae pendet, proprium principium habeant , ex quo veritas formae unicuique propriae enascitur.

Principium, ex quo veritas syllogismi pendet, investigaturis in memoriam nobis revocandum est syllogismum esse illam argumentandi formam, quae a toto ad partem, sive a generali ad particulare progreditur. Iam, si huiusmodi est argumentatio, quae syllogismus vocatur , liquet in conclusione syllogismi praedicatum cum subiecto coniungi, vel ab eo removeri , eo quod ipsum generi , cui subiectum, tanquam speeies, vel speciei , cui subiectum, tanquam singulare , subest , convenire , aut repugnare in praemissis compertum est. Ita , si syllogismi aiens , et negans, quos, exempli gratia , saepe adduximus , parumper considerentur, palam fiet *ductile* de *auro* enun-

---

1) *In lib. I Post.*, lect. II.
2) *De syll. categ.*, lib. II, p. 600.

ciari, quia in propositione ductile convenire *omni metallo*, et in assumptione aurum esse aliquam speciem metalli exploratum est, et *rationem* de *omni equo* negari, quia nulli animali rationem inesse, et omnem equum esse animal propositio, et assumptio patefaciunt. Ex quo facile intelligitur principium, quod veritatem aientis, aut negantis syllogismi firmat, esse huiusmodi: *quidquid de omnibus valet, de quibusdam, et singulis etiam valet, et quidquid de nullo valet, ne de quibusdam, et singulis quidem valet.* Et sane, cum quaedam, et singula omnibus contineantur, ob illud principium, quod cunctis argumentationibus commune esse vidimus [1], liquet quibusdam, et singulis id convenire, quod omnibus convenit, idque repugnare, quod omnibus repugnat. E. g., si omni metallo convenit esse ductile, necesse est, ut auro, quod est quoddam metallum, ductile etiam conveniat, et si omni bruto repugnat esse rationale, equo, qui quaedam species brutorum est, repugnare quoque debet [2]. Hoc principium Aristoteles initio *Analyt. prior.* haud latenter innuit. Ibi enim docuit 1° unum de altero praedicari, aut non praedicari idem valere, ac unum alteri inesse, aut non inesse; quia non aliud de aliquo praedicari potest, nisi quod in eo esse compertum est [3]; 2° aliquid de toto praedicari, cum nulla pars subiecti est, de qua non praedicatur, et de nullo praedicari, cum nulla pars subiecti est, de qua praedicari potest [4].

Quapropter Scholastici docebant fundamentum syllogismi esse *dictum de omni, et de nullo*, sive, ut Stagirita inquit: *de omni, et nullo praedicari*, τὸ κατὰ παντὸς, καὶ τὸ κατὰ μηδενὸς κατηγορεῖσθαι [5]. Ad hoc *dictum de omni, et de*

---

[1]) P. 231. — [2]) Cf p. 22. — [3]) Cf p. 29.

[4]) « In toto autem altero alterum esse, et alterum alteri omni attribui, idem est. Dicimus autem omni attribui, quando nihil « subiecti accipere licet, de quo alterum non dicatur; ac nulli attribui dicitur eodem modo »; *Anal. prior.*, lib. I, c. 1, ed. et vert. Bekker.

[5]) *Ibid.* Praeter multos veteres, et recentes consulere licet nuperum Drobisch, *Nova exposit. log.* (germ.), § 105, p. 95, Lipsiae 1836.

nullo Trendelenburgius redire dixit illud pronuntiatum, tum, quod nuperi Logici cum Kantio [1], tanquam fundamentum syllogismi, ponunt, scilicet *nota notae est etiam nota rei, et repugnans notae repugnat etiam rei* [2], quodque duo principia ratiocinationis universe spectatae, antea nobis statuta [3], complectitur. Contra ea, Lichtenfelsius contendit *dictum de omni, et de nullo* esse fundamentum proprium inductionis, et principium, quod Kantius, aliique nuperi inculcarunt, esse fundamentum proprium syllogismi [4].

At neuter rem, ut aiunt, acu tetigit. Etenim, quod attinet ad principium a Kantio inculcatum, hoc non syllogismi tantum, sed cuiusque argumentationis, uti ante vidimus, fundamentum est; si quidem in conclusione cuiuslibet argumentationis illud praedicatum cum subiecto coniungitur, vel a subiecto removetur, quod alteri praedicato eiusdem subiecti convenire, aut repugnare in praemissis compertum est. Quod vero ad *dictum de omni, et de nullo* spectat, istud nequit esse fundamentum proprium inductionis, quia inductio non a toto ad partes, sed a partibus ad totum progreditur. Lichtenfelsium illud fefellit, quod conclusionem inductionis cum fundamento, ex quo veritas conclusionis cognascitur, confudit. Nam in conclusione inductionis re ipsa aliquid de omni, vel de nullo subiecto dicitur, seu praedicatur; at vero, in ipsa hoc modo concluditur, quia cunctis partibus subiecti praedicatum convenire, aut repugnare per praemissas perspectum est. Quocirca principium, ex quo veritas inductionis pendet, non est illud effatum: id, quod subiecto universe sumto, seu toti convenit, aut repugnat, cunctis eius notione compre-

---

[1]) *De la fausse subtilitè des quatre Figures du syllogisme demontrée*, ad calc. eius *Logicae*, trad. Tissot, Paris 1840.

[2]) *Elem. log.*, § 23, p. 89.

[3]) P. 231.

[4]) *Op. cit.*, part. I, c. 1, § 24, p. 46, et c. 3, § 59, p. 59, ed. cit.

hensis convenit aut repugnat, sed illud, quod, inverso ordine partium, effertur, scilicet id, quod cunctis notione subiecti comprehensis convenit, aut repugnat, toti, sive universe sumto subiecto etiam convenit, aut repugnat.

Quandoquidem naturam, et fundamentum syllogismi novimus, necesse est in praesentia inquirere, quot, et quibus modis tres termini, et tres enunciationes, quae ipsum componunt, ordinem inter se habere queant; si quidem plures sunt modi, quibus terminus medius potest cum extremis coniungi, pluresque sunt enunciationum συζίζιαι [1], sive, ut Apuleius hanc vocem vertit, *coniugationes*, quae secundum unam, eamdemque dispositionem medii cum extremis existere possunt. Iam sciendum est 1° Scholasticos aptam dispositionem medii cum extremis *figuram* vocasse, et aptam dispositionem propositionis, et assumtionis secundum quantitatem, et qualitatem in eadem figura *modum* syllogismi post Boëtium [2] vo-

---

[1]) Alexand. Aphrod., *Schol.*, ed. Brandis, p. 143.

[2]) *De syll. categ.*, lib. II, p. 594 sqq, ed. cit. Apuleius id, quod Boëtius, σχῆμα Aristotelis vertens, *figuram* dixit, *formulam* vocaverat, et non solum *modi*, sed etiam *moduli* vocem adhibuerat (vid. *Op. cit.*, p. 384 sqq, ed. cit.). Τρόπος, quem Boëtius *modum* vertit, apud Interpretes (vid. Philop., *Ad Analyt. pr.* fol. XIX, Venetiis 1536) legitur; Aristoteles enim diversas combinationes enunciationum, quae in singulis figuris existere possunt, πτώσεις, *casus*, nominavit (vid. *Anal. prior.*, lib. I, c. 26, p. 192). Iulius Pacius (in l. c. *Organi*) arbitratus est Stagiritam dispositiones termini medii cum extremis *figuras* nuncupasse, quia syllogismi, figuris geometricis inscriptis, ab eo illustrati sunt. At non apposite; nam sive varios usus vocis σχῆμα apud eumdem Stagiritam, sive usus vocis *figura* apud Latinos expenderis, vocem σχῆμα ab ipso ordine terminorum, tanquam a materiae syllogismi forma, seu figura repetendam esse manifestum tibi fiet. Re vera, apud Aristotelem occurrunt σχήματα τῆς κατηγορίας, *figurae categoriae* (*Met.*, lib. IV, c. 7, p. 92, ed. Bonitz), vel τῶν κατηγοριῶν, *categoriarum* (*ibid.*, lib IX, c. 10, p. 175), τὸ σχηματῆς ἰδέας, *figurae ideae* (*Met.*, lib. VII, c. 3, p. 121), τά σχήματα τῆς λέξεως, *figurae dictionis* (*Reth.*, lib. III, c. 8, p. 1408, ed. Bekk). Latini vocem figurae adhibuere vel grammatice, ut Varro, qui nominis, et verbi figuras admisit (*Op. cit.*,

casse; 2° quandoquidem quaelibet figura syllogismi plures modos habet, modos, eodem Boëtio monente, ad propriam figuram, tanquam species ad suum genus, quodammodo se habere [1]. Hinc Aristoteles singularum figurarum explicationi enumerationem modorum adiecit. At nos, ut haec tractatio planior, breviorque evadat, primo omnes figuras, quas syllogismus habere potest, exponemus; deinde quot sint germani, utilesque modi singularum figurarum, investigabimus. Sed, antequam utrumque praestemus, e re esse putamus regulas explicare, quas ad syllogismos rite conficiendos nosse oportet; harum enim cognitione, ut ex dicendis patebit, opus est, ut et natura uniuscuiusque figurae cognoscatur, et modi recti, et utiles in singulis figuris a praeposteris, et inutilibus distinguantur. Neminem fore hac nostra aetate arbitramur, qui brevem hanc tractationem de figuris, et modis syllogismi, tanquam inanem, futilemque traducat. Die hauc opinio in recenti aetate obtinuit, ex quo factum est, ut haec pars *Organi* aristotelici vel omnino omitteretur, vel, eruditionis, aut receptae consuetudinis gratia, dumtaxat exponeretur [2]. Verum, aliter visum est praestantissimis Interpretibus Graecis, Arabibus, et Scholasticis, quippe qui in ipsa illustranda sedulam operam navarunt, necnon politissimis quibusque recentibus Philosophis, inter quos, praeter Auctorem

---

passim), vel rethorice, ut Quintilianus, qui de orationis figuris egit (*Op. cit.*, lib. IX, c. 1), vel iuridice, ut Iustinianus, qui institutiones iuris figuras dixit (*Inst.*, lib. II, tit. 20). Cons. Trendel., *Elem.*, § 24, p. 92, et Waitz, *Op. cit.* vol. I, p. 384, et 385.

[1]) Vid. *Op. cit.* p. 594.

[2]) Ita, ut de ceteris sileamus, doctissimus Ed. Corsinius, postquam hanc partem doctrinae de syllogismo inutilem declaravit, subdit: « Ne tamen syllogisticam hanc artem contemnere videa« mur, quam politiores etiam Dialectici Arnaldus, Clericus, Cosa, « aliique plurimi prosequuntur, praecipuas ipsius leges meliori, « quo poterit, ordine complectemur »; *Instit. phil. et mathem., Logic.*, part. 3, c. 4, § 5, t. I, p. 184, Venetiis 1764.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Artis cogitandi [1], satis est nominare Leibnitium [2], eiusque placitorum copiosissimum, et diligentissimum explanatorem Wolfium [3]. Et iure quidem optimo. Namque, uti laudatus Leibnitius observavit, quisquis omnes modos, quos syllogismus habere potest, omnesque leges, secundum quas conficiendus est, probe novit, is certe scientiam callet cum clare, pleneque argumentandi [4], tum ab erroribus cavendi, qui quamdam speciem veri prae se ferunt [5]. Iam, si ad scientiam rerum assequendam clare, plene, et tuto argumentari necesse est, consequitur valde utilia esse ea praecepta logicae, quae ad clare, plene, tutoque argumentandum quamplurimum conferunt. Leibnitio, aliisque s. Augustinus praeiverat, qui de regulis connexionum loquens, « In illis, inquit, discitur, « quid sit consequens, quid non consequens, quid re« pugnans [6] ». Illud porro dignum est, quod notetur, plerosque recentium, qui logicam aristotelicam vel impugnarunt, uti, e. g., Lud. Vives, vel certe haud nimio erga ipsam amore exarserunt, uti Kantius, Degerandus, Reidius, aliique, se tenere non potuisse, quin doctrinam eius de figuris, et modis syllogismi diligenter exponerent [7]. Ceterum, hunc locum logicae aristotelicae

---

[1]) Part. II, c. 3, c. 3-8, p. 130 sqq, ed. cit.

[2]) *Nouveaux Essais* etc., lib. IV, c. 2, § 1, p. 338-341, et c. 17, § 4, p. 393-396, *Oeuvr. phil.* ed. Erdmann.

[3]) *Logic.*, part. I, sect. IV, c. 2, § 361 sqq, ed. cit.

[4]) « Leges logicae non sunt aliud, nisi leges recti sensus in ordi« nem, et scripturam redactae... Nihil utilius foret arte argumen« tandi in forma secundum veram logicam: hoc est, plene ratione « materiae, et clare ratione ordinis, et vis conclusionem » (ex gall. idiom.); *Op. cit.*, lib. IV, § 17, p. 396.

[5]) « Haec qui observabunt diligenter, ab Ideis deceptricibus sibi « cavebunt »; *Meditationes de cognitione, veritate et ideis*, quas evulgavit in *Actis Eruditorum* an. 1684, *Oeuvr.* ed. cit., p. 81.

[6]) *De Doctr. Christ.*, lib. II, c. 34, n. 52.

[7]) Vives, *De censura veri*, lib. II, *Opp.* t. III, p. 171-175, Valentiae Edenatorum 1782; Kant, *Logiq.*, c. 3, sect. 2, § 62 sqq, p. 201 sqq, trad. par Tissot, Paris 1840; Degerando, *Des signes, et de l'art de penser*, part. 2, sect. 2, c. 1, t. IV, p. 27 sqq, Paris 1800; Reid,

omittere religio nobis foret, quippe quod hodie, ne longos logicae tractatus numeremus, in ipsis *Elementis*, et *Enchiridiis* ad Scholarum usum destinatis, de illa non ieiune tractatur [1].

Regulas, seu leges, quae ad syllogismum rite conficiendum Stagirita passim in *Anal. prior.* inculcavit, Scholastici ad octo revocarunt. Recentes Logici harum numerum, et veritatem concorditer agnoverunt : licet nonnulli, ut mox dicemus, ipsis, tamquam inutilibus, et aerumnosis unicam regulam suffectam voluissent.

Prima regula prohibet, quin plures tribus terminis in syllogismo sint. Nam, si quatuor termini in eo essent, duo extrema, quae sunt subiectum, et praedicatum conclusionis cum uno quodam tertio in propositione, et assumptione non consentirent. Sed quoties duo extrema cum tertio non consentiunt, inde nulla, uti ex dictis patet, conclusio existit. Ergo in syllogismo non plures, quam tres termini, sint oportet [2]. Secunda vetat, quominus quidam terminus latius in conclusione, quam in propositione, aut assumptione, sumatur. Et scite; nam, si in conclusione aliquid est, quod nec in propositione, nec in assumptione invenitur, connexio inter antecedens, et consequens syllogismi desideratur. Adde, quod terminus, qui modo latius, modo strictius usurpatur, non

---

Analyse de la log. d' Aristote, c. 4, sect. 3-5, *Oeuvr.* t. I, p. 167, et 170-178, trad. par Jouffroy, Paris 1836.

[1]) Vid. e. g., Galluppi, *Lezz.*, lez. XLVII-LIII, vol. I, p. 240 sqq, ed. cit.; Trendel., *Elem. Log.*, § 24-32, ed. 4ª, p. 90 sqq; Lichtenfels, *Op. cit.*, part. 1, c. 3, § 60, et 61, p. 95 sqq, ed. cit.; Jul. Simon, *Manuel de phil., Log.*, c. VII, § 1-3, p. 254-268, Paris 1846.

[2]) Vid. Arist., *Anal. prior.*, lib. I, c. 25, p. 190 ed. Waitz. Advertendum tamen est quartum terminum plerumque occulto modo in syllogismum irrepere; puta si terminus medius *aequivoce*, sive, uti latini aiebant, *ambigue* in propositione, et assumptione accipiatur. Huiusmodi est ille syllogismus, qui apud Senecam legitur: *Mus est syllaba; syllaba autem caseum non rodit; mus ergo caseum non rodit*; Epist. XLVIII, *Opp.* t. III.

est unicus, sed geminus; ex quo patet quatuor terminos esse in syllogismo, quando aliquod extremum in conclusione latius, quam in propositione, aut in assumptione, sumitur [1]. Tertia expostulat, ut terminus medius, vel in propositione, et assumptione, vel saltem in alterutra universe accipiatur. Etenim, si terminus medius in utraque ex parte accipitur, non est unicus, sed duplex: quocirca in syllogismo plures tribus terminis sunt [2]. Quarta iubet medium nunquam conclusionem ingredi. Nam, cum convenientia praedicati, et subiecti conclusionis, cum medio, aut discrepantia alterutrius cum ipso, sit causa, ob quam subiectum, et praedicatum secum consentiunt, aut pugnant [3], comparatio praedicati, et subiecti conclusionis cum medio conclusionem, tanquam causa effectum, praecedere debet [4]. Hae quatuor priores regulae ad usum terminorum spectant; quatuor autem, quae sequuntur, enunciationum propriae sunt.

Quinta regula vetat, quin ex duabus enunciationibus negantibus conclusio fiat [5]. Et sane, quoties propositio, et assumptio sunt negantes, id argumento est neutrum extremum cum medio convenire; at, quoties hoc evenit, nihil inde, ut iam diximus [6], de convenientia, aut dis-

---

[1]) Id genus est ille syllogismus, quo quidem ex Schola Platonis, teste Gellio, Diogenem aggressus est: *quod ego sum, id tu non es; homo autem ego sum; homo igitur tu non es.* Vid. Gell., *Noctes Atticae*, lib. XVII, c. 13, ed. cit., et s. August., *de Doctr. Christ.*, lib. II, c. 31, n. 48.

[2]) E.g. in hoc syllogismo: *aliquod animal ratione pollet; equus est aliquod animal; ergo equus ratione pollet*, sunt quatuor termini; si quidem *animal*; in propositione significat animal, quod est homo, et in assumptione animal, quod est brutum.

[3]) « Medium demonstrationis, s. Thomas scribit, est causa co« gnitionis »; *Qq. dispp., De Verit.*, q. VIII, a. 6 ad 9.

[4]) In hanc regulam peccat syllogismus: *Petrus est philosophus; Petrus est parvus; ergo Petrus est parvus philosophus.*

[5]) Vid. Arist., *Op. cit.*, c. 24, p. 180 ed. cit.

[6]) P. 231.

crepantia terminorum colligi potest [1]. Sexta prohibet, quominus ex duabus aientibus conclusio negans colligatur. Nam, propositio, et assumptio sunt aientes, si tam praedicatum, quam subiectum conclusionis cum medio consentiunt. Atqui, quoties utrumque extremum cum medio consentit, conclusio aiens esse debet, si quidem secundum illud effatum, quod ante adduximus, ea, quae conveniunt cum uno tertio, secum quoque conveniant necesse est. Ergo ex duabus aientibus non negans, sed aiens conclusio elicienda est. Septima requirit, ut saltem propositio sit universalis [2]. Re sane vera, si propositio, et assumptio fuerint particulares aientes, quatuor termini in syllogismo erunt, quia, cum enunciationis particularis aientis, uti ex dictis patet, ambo termini particulares sint, medius terminus tum in propositione, tum in assumptione est particularis, proindeque non est unicus, sed geminus. Sin propositio fuerit aiens, et assumptio negans, aut contra, conclusio amplior ipsis erit. Etenim, cum huiusmodi conclusio sit negans, in propositione, et assumptione duo termini universales inveniri debent, scilicet medium, quod saltem in alterutra enunciatione universale esse debet, et maius extremum, quod, cum sit attributum conclusionis negantis, universale est. At vero in duabus particularibus, quarum una est aiens, et altera negans, nonnisi unus terminus universalis est, scilicet attributum negantis, quia attributum negantis semper est universale, sive negans sit universalis, sive particularis [3]. Quapropter, si ex duabus particularibus conclusio eliceretur, haec latior praemissis foret. Octava lex statuit conclusionem partem debiliorem semper sequi [4]. Iam perspicuum est enunciationem parti-

---

[1]) Hinc perperam quis ratiocinaretur hoc modo: *Homo non est aeternus; animal non est aeternum; ergo homo non est animal.*

[2]) Arist., loc. cit.

[3]) Cf p. 173.

[4]) Arist., *Op. cit.*, c. 24, p. 189, et 190 ed. cit.

cularem esse universali debiliorem, et negantem aiente, quippe quod particularis universalis subiicitur, et negans posterior aiente est [1]; quocirca haec postrema lex illud sibi vult, ut, si alterutra praemissa fuerit particularis, vel negans, conclusio particularis, aut negans quoque sit. Huius autem ratio est, quod, cum propositio, et assumptio sint causae conclusionis, extrema nequeunt alio modo in hac secum coniungi, quam quo in illis cum medio coniuncta sunt; quamobrem, si in propositione, aut assumptione ex parte, aut negative cum medio coniuncta fuerint, in conclusione inter se universe, aut affirmative coniungi nequeunt. Atque haec de regulis syllogismi satis; in quarum nonnullis explicandis exempla omisimus, quia faciles intellectu nobis visae sunt.

Nonnulli recentes Logici, ut diximus, octo regulas, modo a nobis expositas, veluti inutiles, et incommodas, reiecerunt, cum putassent ipsas posse ad hanc unicam, et simplicissimam regulam revocari, scilicet *necesse est, ut una praemissarum conclusionem contineat, altera conclusionem in ea contineri declaret.* Sunt qui Eulerum [2], sunt et qui p. Buffierium e S. I. huius regulae primum auctorem faciunt. At certum est Buffierium illam, quadraginta ante Eulerum annis, exposuisse, eiusque inventionem alteri, quem non nominavit, tribuisse [3]. Ipse autem sensit cunctas regulas syllogismi ad hoc unum revocari, quod *terminus maior continet medium, et medius minorem*; at monuit bonitatem syllogismi negantis non posse hac regula metiri, nisi, secundum doctrinam enunciationis negantis a se traditam, antea in aientem mutetur [4]. Leibnitius unicam legem, de qua

---

[1]) Cf pp. 168-171.

[2]) *Lettres à une Princesse d' Allemagne*; *Logiq.*, p. 420-494, Paris 1818.

[3]) Scilicet an. MDCCXXX, in quo sua *Principia ratiocinationis* primum evulgavit.

[4]) *Principes de raisonnement*, Lettre VI, § 68, et 69, in op. *Cours de sciences sur des principes nouveaux*, p. 766, Paris 1732.

Buffierius locutus est, valde commendavit, sed advertit illam esse ipsissimam legem *de continenti, et contento*, quae apud Scholasticos secundum doctrinam Stagiritae iamdiu obtinuerat [1]. Logici, qui hanc regulam explicuere, uti apud Arnaldum [2], Corsinium [3], aliosque videri potest, ex praemissis illam, quae conclusionem continet, *continentem*, et illam, quae conclusionem ea contineri declarat, *applicativam*, vel *indicantem* vocarunt. Nec moveat quemquam, quod sunt syllogismi aientes, in quibus conclusio, et propositio aeque patent, si quidem, ut Leibnitius advertit [4], continens, et contentum interdum aequalia sunt, ut in enunciationibus reciprocis videre licet. Iidem Logici docuerunt in syllogismis aientibus plerumque propositionem esse continentem, quia ipsa, cum plerumque sit conclusione universalior, conclusionem in se continet, et in negantibus praemissam negantem semper esse continentem, quia, cum conclusio in ipsis sit negans, nonnisi praemissa negans illam continere potest. Horum Logicorum opinioni Gulicl. Hamiltonus nuperrime litavit [5].

Iam, nos hac de re iudicium ferre volentes, certe ii non sumus, qui « universam doctrinam, ut Leibni- « tii verbis [6] utamur, de syllogismo ex regula *de con- « tinenti, et contento* demonstrari posse » inficiemur. Nam, quoniam praemissae sunt causa conclusionis, necesse est, ut, quemadmodum quilibet effectus in sua causa, ita quaelibet conclusio in suis praemissis contineatur : eapropter nobis non licet ullam conclusionem ex praemissis elicere, nisi ipsam per unam praemissarum in altera contineri noverimus. At vero, id Buffierio, aliisque concedentes, contendimus pronuntiatum *de continenti, et contento*, quod iam in Scholis invaluerat, non esse regulam, cuius ope de veri-

---

[1]) *N. E.*, lib. IV, c. 17, § 8, p. 399 ed. cit.
[2]) *Op. cit.*, part. 3, c. 10, p. 159 sqq.
[3]) *Op. cit.*, ibid., c. 7, § 4-6, p. 198 sqq. — [4]) *Ibid.*
[5]) *Discuss. phil.*, p. 614, ed. cit. — [6]) Loc. cit.

tate syllogismi iudicium ferri potest, sed esse principium, sive, ut aiunt, fundamentum, cui veritas eius innititur. Re vera, ipsum est geminum *dicto de omni*, *et nullo*, quod fundamentum syllogismi esse ostendimus; nos enim in conclusione praedicatum cum subiecto coniungimus, aut ab eo separamus, quia subiectum eius in subiecto propositionis, seu *maioris*, cum quo idem praedicatum coniungitur, aut a quo separatur, vel tanquam partem eius, vel tanquam aliquid ei aequale, contineri cognoscimus. Ita, in exemplo syllogismi, quod saepe adduximus, aurum esse ductile in conclusione statuimus, quia ex praemissis novimus aurum esse partem, seu speciem metalli, quod ductile est. Octo autem regulae a Scholasticis traditae,et explicatae sunt, ut, illarum subsidio, cognosci queat, utrum, necne in singulis syllogismis, qui vel ad aliquid demonstrandum conficiuntur, vel contra demonstrationem confectam ab adversariis obiiciuntur, conclusio in propositione, tanquam pars eius, aut tanquam ipsi aequalis, contineatur. Quocirca nos non negamus octo regulas, quas Scholastici tradiderunt, ad unicam revocari, sive haec, *de continenti*, *et contento*, sive *de omni*, *et nullo* dicatur; sed existimamus ipsas esse valde utiles ad veritatem syllogismi perspiciendam, quia singulae nobis patefaciunt, quae praestanda, quaeve cavenda sunt, ut inter conclusionem, et praemissas syllogismi ea servetur connexio, sine qua syllogismus existere non potest. In hac sententia Leibnitius certe fuit; hic enim, quamvis universalem regulam *de continenti*, *et contento* valde commendaret, tamen utilitatem peculiarium regularum saepe, ut diximus, agnovit, adiecitque: « Aristotelem vel ex eo, quod hoc parvum systema « formarum argumentationis invenit, optime meritum « fuisse de doctis contra illos, quos omnia inficiari non « pudet [1] ».

Praeterea, asserimus p. Buffierium falsum esse, quod

---

[1]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 17, § 4, p. 394 ed. cit.

contendit syllogismum negantem non posse unica regula a se proposita metiri, nisi antea in aientem commutatus fuerit. Nam, praeterquam quod revocatio logica enunciationis negantis ad aientem, uti ostendimus [1], absurda est, cuilibet naturam syllogismi negantis parumper consideranti dubium esse non potest, quin in eo, perinde ac in aiente, conclusio praemissis contineatur; si quidem in eo etiam assumptio declarat subiectum conclusionis subiecto propositionis contineri, ideoque, quoniam praedicatum subiecto propositionis repugnat, subiecto etiam conclusionis repugnare. Ita, si quis hunc syllogismum: *Spiritus non est materialis*; *mens humana est spiritus*; *ergo mens humana non est materialis*, expendit, facile videt conclusionem in propositione per se contineri, quia, cum mens, quae est subiectum conclusionis, sit, assumptione id declarante, species spiritus, qui est subiectum propositionis, conclusio propositioni, veluti minus universale magis universali in eodem genere, subiicitur.

Denique regulam *de continenti, et contento*, ut Leibnitius advertit [2], ex Aristotelis doctrina ad Scholam promanasse indubium nobis videtur. Etenim Stagirita syllogismum primae figurae, ad quem syllogismi ceterarum figurarum, eius sententia, revocantur, describens, asseruit tres eius terminos in duabus praemissis ita se inter se habere, ut maior in medio universe sumto, et medius in minori universe sumto sit, vel non sit [3]. Puta, ut idem exemplum urgeamus, *ductile* est *in omni metallo*, et *metallum* est *in omni auro;* unde fluit haec conclusio, *ductile est in omne auro*: qui quidem syllogismus, secundum recentes, effertur hunc in modum: *omne metallum est ductile*; *omni aurum est metallum*; *ergo omne aurum est ductile.* Quin autem pronunciatum *de continenti*, *et contento*, Aristotelis iudicio, geminum sit pronunciato *de omni*, *et nullo*, dubitari non potest; si

[1]) P. 161 sqq. — [2]) Loc. cit. § 8, p. 399.
[3]) *Anal. prior.*, lib. I, c. 4.

quidem ipsemet Aristoteles in loco, quem ante citavimus [1], luculenter scripsit aliud in toto alio inesse, aut non inesse idem valere, ac aliud de omni alio, aut de nullo alio praedicari.

His circa syllogismi regulas praestitutis, ad recensendum eius figuras, et modos progrediamur. Aristoteles syllogismi tres figuras, et quatuordecim modos explicuit, nec plures his figuris apud antiquos Interpretes occurrunt. At, postquam Averroes quartam figuram a Galeno [2] expositam fuisse scripsit, acerrima inter mediae, et recentis aetatis Philosophos lis exarsit, num quarta figura, ab eis *galenica* nuncupata, eiusque modi admittendi sint. Nos primum doctrinam Aristotelis, quam omnes politiores Logici amplexati sunt, explicabimus; deinde quid de quarta figura, eiusque modis sentiendum sit, inquiremus.

Quandoquidem figura syllogismi consistit in modo, quo medium cum extremis in praemissis colligatur, consequens est tot esse oportere figuras syllogisticas, quot sunt modi, quibus medium cum extremis in prae-

---

[1]) P. 254.

[2]) *In lib. I Anal. prior.*, c. 8, fol. 55 verso, Venetiis 1574. Huius quartae figurae inventor Galenus, unius Averrois auctoritate, usque ad an. MDXLIV existimatus fuit; si quidem in operibus eius, quae vulgata erant, nihil huiusmodi inveniebatur. Ast in laudato anno Mynas Parisiis graece edidit *Introductionem dialecticam* Galeni, a se in monte Athos inventam, in qua mentio quartae figurae iniicitur. Miramur id latuisse eruditissimum Trendelenburgium, quippe qui in quarta *Element.* editione, an. MDCCCLII concinnata, inquit: « In Galeni scriptis, quae nobis extant, eiusmodi inventionem frustra quaesivimus » (§ 27, p. 98). Illud notandum est Galenum quartam figuram, veluti vulgo receptam, exponere, eamque pauci dueere; inde enim patet ipsam Eudemo, et Theophrasto Stagiritae discipulis a plerisque eruditis non iniuria tributam fuisse (cf Saint-Hilaire, *La log. d'Arist.*, Append. *De la quatrième figure du syllogisme*, t. II, p. 342 sqq). Idem Mynas hanc coniecturam Graeci Interpretis *Post. Analyt.*, nondum editi, auctoritate comprobavit (Praef. p. 56). Cons. Daremberg, *Essai sur Galien considerè comme philosophe*, p. 6, not. 4, et p. 9, et Eiusdem, art. *Galien* in *Diction. des scienc. phil.*, t. II, p. 479, Paris 1845.

missis colligari potest. Iam, perspicuum est hosce modos plures tribus esse non posse; si quidem medium vel est in propositione subiectum, et in assumptione praedicatum, vel est utrobique praedicatum, vel utrobique subiectum. Syllogismus, in quo medium subiecti in propositione, et praedicati in assumptione munere fungitur, est primae figurae; puta *malum est fugiendum*; *vitium est malum*; *ergo vitium est fugiendum*. Syllogismus vero, in quo medium cum in propositione, tum in assumptione officium praedicati obit, est secundae figurae; puta *nulla avis est quadrupes*; *omnis equus est quadrupes*; *ergo nullus equus est avis*. Denique est tertiae figurae syllogismus, in quo medium est subiectum tam in propositione, quam in assumptione; puta *omnis avis est bipes*; *omnis avis est animal*; *ergo aliquod animal est bipes* [1].

Graeci, latinique Interpretes, et plerique Scholastici mediae aetatis, exemplo Aristotelis insistentes, ad tres terminos syllogismi in qualibet figura designandos litteras A, B, C in diversis figuris adhibebant, quarum prima extremum minus, altera medium, et tertia extremum maius designant. E. g., syllogismum primae figurae efferebant hunc in modum: B est C; A est B; Ergo A est C, vel secundum Aristotelem: C est in B; A est in A; ergo C est in A [2].

Albertus M. has litteras terminos *transcendentes* vocavit, quia ipsae aliquam certam materiam non designant, sed omnem materiam *transcendunt*, seu transgrediuntur. Scholastici autem posteriorum aetatum lit-

---

[1]) Vid. Albertum M., *Anal. prior.*, lib. I, tract. II, c. 13.

[2]) Vid. Boëtium, *De syllog. categ.*, p. 592 sqq, ed. cit. Aristoteles, quem nonnulli secuti sunt (vid. Albert. M., *Prior. Anal.*, lib. I, tract. II passim), diversas pro diversis figuris litteras adhibuit. Etenim in syllogismis primae figurae adhibuit litteras ΑΒΓ, quarum prima extremum minus, altera medium, tertia extremum maius, in syllogismis secundae figurae ΜΝΞ, scilicet, Μ medium, Ν extremum maius, Ξ minus; in tertia autem figura ΠΡΣ, nempe Π maius extremum, Ρ minus, Σ medium.

teris exempla addiderunt, ut istam partem Organi, valde salebrosam, iuvenum intelligentiae accommodarent. Reidius, qui logicam Aristotelis, ut mos erat suorum concivium baconianae philosophiae praeconum, pauci faciebat, scripsit Scholasticos ob hanc suam operam de praeceptore suo male meruisse, quia exempla ab eis allata, quantum doctrina aristotelica de figuris, et modis syllogismi frivola, et inanis sit, mirifice commonstrant. At hoc scomma Reidium, sane non ignobilem Philosophum, prorsus dedecet. Namque, etiamsi litteras ab Aristotele adhibitas nullius utilitatis esse detur, certe credibile non est Aristotelem, illarum ope, doctrinae suae futilitatem occultare voluisse, cum in illa aetate multi, iique praestantissimi, maxime e Platonis schola, philosopharentur. At usus litterarum pro exemplis indoli huius tractationis valde accommodatus est. « Nos enim, uti apposite Albertus M. inquit, « non quaerimus hic nisi generationem « syllogismi secundum formalem esse suum, secundum « quod syllogismus est; et ideo oportet tales terminos « ponere, in quibus non significetur nisi forma syllogi- « smi: quia, si aliquid significarent determinate, non de- « notaretur in eis forma omnibus applicabilis [1] ». Huic palmari rationi duae aliae addi possunt, quas Boëtius nobis suppeditat. Prima est, quod cum, litterarum ope, figuras universaliter demonstremus, brevitatem assequimur: altera autem, quod in exemplis error facile obrepere potest, in litteris vero, dummodo firma, valensque coniunctio fuerit, falli non possumus [2].

Aristoteles, singulas figuras syllogismorum exponens, modos descripsit, secundum quos ipsae variari possunt. Discipuli eius vero, et Antiqui Interpretes *Organi*, quorum agmen Alexander Aphrod. ducit, omnibus, quae ipse passim docuit, collectis, et in ordinem redactis, omnes figurarums ecundum modos *coniugationes*, συζυγίας, enumerarunt, simulque inquisiverunt, quaenam illarum

---

[1]) *Prior. anal.*, lib. I, tract. II, c. 1. — [2]) *Op. cit.*, p. 592.

sint naturae syllogismi accommodatae, et utiles, συλλόγιστικαι καὶ χρηστοὶ, et quaenam syllogismi naturae repugnantes, et inutiles, ἀσυλλόγιστοι καὶ ἄχρηστοι [1]. Graeci posteriores, et Scholastici operam ab antiquis Interpretibus inceptam, atque ab Arabibus auctam diligenter persecuti, quasdam figuras geometricas, et quasdam voces technicas, nempe artificiosas invenerunt, ut figurae, et modi syllogismi per illas planius intelligerentur, et per has facile memoriae mandarentur [2].

Iam, facile perspicitur quadraginta octo esse omnes modos, quos syllogismus habere potest. Etenim, quandoquidem modus syllogismi in dispositione praemissarum secundum quantitatem, et qualitatem positus est, consequitur tot esse oportere in qualibet figura modos, quot sunt modi, secundum quos quantitatis, et qualitas in praemissis syllogismi variare possunt. Atqui modi,

---

[1]) Vid. *Schol. ad Anal. prior.* ed. Brandis, passim.

[2]) Figurae geometricae in cunctis codicibus mss. inveniuntur; at, qua aetate, et quibus auctoribus in *Organum* invectae fuerint, non liquet. Exploratum videtur illas, perinde ac litteras, et voces technicas, a graecis ad latinos manasse, atque ante XI saeculum a Logicis adhibitas fuisse. Quin immo, quandoquidem Aristoteles figuris ad suas doctrinas declarandas saepe usus est, nihil prohibet, quin illarum quoque auctor existimetur (vid. Saint-Hilaire, *Explications graphiques de la thèorie du syllogisme*, *La logiq. d' Aristote*, Append., t. II, p. 339-341). Voces technicae vero primum inveniuntur saec. XIII apud Nicephorum Blemmidam in *Epitome Logicae*, quam saepe laudavimus, et apud Petrum Hispanum, postea Ioannem XXII, in suo enchiridio, quod inscripsit *Summulae* (Colon. Agrip. 1622); sed illarum usum iam antea, praesertim apud Graecos, obtinuisse probabile est (vid. Saint-Hilaire, *Op. cit.*, part. III, sect. III, c. 6, t. II, p. 160, et c. 10, p. 220, ed. cit.). *Summulae*, quas Petrus Hispanus, exemplo Pselli, aliorumque graecorum, elucubravit, magno adiumento ad philosophiae peripatetìcae cognitionem in Occidente propagandam fuere; si quidem in illis summa totius *Organi* a subtilibus disputationibus, nec non a difficultatibus, quibus laborat, expedita invenitur. Ad calcem extant ea, quae iam ab illa aetate *Parva Logicalia* vocabantur, scilicet nonnullae quaestiones circa res ab Aristotele in diversis *Organi* partibus tractatas, quibus locus in *Summulis* dari non poterat. Videsis B. Haurèau, *Diction. phil.*, t. V, p. 102 ed. cit.

quibus quantitas, et qualitas in praemissis variare possunt, sunt sexdecim; quippe quod, cum enunciatio secundum quantitatem, et qualitatem quadruplex sit, scilicet universalis aiens, universalis negans, particularis aiens, et particularis negans, syllogismus quatuor modis secundum singulas quaternas enunciationes variare potest. Ergo cuiuslibet figurae sexdecim modi sunt. Qui quidem sexdecim per tres figuras multiplicati modos quadraginta octo constituunt.

Numero omnium modorum cognito, videndum est, quinam in qualibet figura ab illo, tanquam inutiles, sint expungendi, et quinam, tanquam utiles, retinendi. Perspicuum porro est illos modos esse veros, et utiles, qui regulas syllogismi servant, atque falsos, et inutiles illos, qui contra aliquam regulam syllogismi peccant. Iam, si sexdecim modi primae figurae diligenter considerentur, facile patet quatuor solos modos recte, et utiliter concludere, scilicet *a a a*, *e a e*, *a i i*, *e i o*. Re vera, in primo ex duabus praemissis universalibus, et aientibus conclusio universalis aiens elicitur in secundo, ex propositione universali negante, et assumptione universali aiente conclusio universalis negans colligitur; in tertio, ex propositione universali aiente, et ex assumptione particulari aiente conclusio particularis aiens infertur; in quarto demum, ex propositione universali negante, et ex assumptione particulari aiente conclusio particularis negans eruitur. Vocabula artificiosa, ad quatuor modos huius figurae designandos adhibita, sunt *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*, in quibus singulis tres vocales tribus partibus syllogismi respondent, nempe prima propositioni, secunda assumptioni, tertia conclusioni[1]. Ex aliis duodecim, qui super sunt, expungendi sunt hi

---

1) *Bar* Omne animal est sensibile; *Da* Omne animal est sensibile;
ba Omnis homo est animal; *ri* Aliquis homo est animal;
ra Ergo omnis homo est sensibilis. *i* Ergo aliquis homo est sensibilis.
Ce Nullum animal est lapis; *Fe* Nullum animal est lapis;
la Omnis homo est animal; *ri* Aliquis homo est animal;
rent Ergo nullus homo est lapis. *o* Ergo aliquis homo non est lapis.

quatuor, scilicet *e e e*, *e o o*, *o e o*, *o o o*, quia in ipsis, secus ac sexta regula statuit, propositio, et assumptio sunt negantes, et quatuor alii, scilicet *i i i*, *i o o*, *o i o*, *i o i*, quia in ipsis, contra id, quod regula septima praecipit, propositio, et assumptio sunt ambae particulares. Duo alii reiiciendi sunt, quorum assumptio est negans, nempe *a e e*, et *a o o*, si quidem in eis maius extremum contra regulam secundam latius in conclusione, quam in propositione, est. Et sane, quoniam in huiusmodi syllogismis conclusio, prout octava lex iubet, negans quoque esse debet, consequitur in huiusmodi syllogismis maius extremum in conclusione universe accipiendum esse, quippe quod praedicatum enunciationis negantis est semper universale. Atqui in praemissis maius extremum nonnisi ex parte accipi potest, quia in syllogismis primae figurae maius extremum est praedicatum propositionis, et propositio in syllogismo, cuius assumptio est negans, secundum regulam sextam, debet esse aiens, praedicatum aientis vero ex parte accipitur [1]. Ergo in syllogismis primae figurae, quorum assumptio est negans, maius extremum in conclusione latius, quam in propositione, patet. Denique duo alii modi, quorum maior est particularis, scilicet *i a i*, et *o a o*, excludantur necesse est, quia tam in propositione, quam in assumptione medium ex parte sumitur, cum in propositione sit subiectum enunciationis particularis, et in assumptione sit praedicatum universalis aientis.

Ex sexdecim modis secundae figurae expungendi etiam sunt quatuor modi negantes, et quatuor modi particulares ob eamdem rationem, quam in prima figura adnotavimus. Inter octo, qui supersunt, repugnantes syllogismo, et inutiles sunt omnes aientes, nempe *a a a*, *a i i*, *i a i*, quia in his medium tam in propositione, quam in assumptione ex parte sumitur, contra ac

---

[1]) Cf pp. 172 et 173. Adde s. Bonavent., *In lib. III Sent.*, Dist. VII, a. 1, q. I *ad arg.*

regula tertia statuit. Cuius ratio haec est, quod medium in syllogismis secundae figurae praedicatum est cum in propositione, tum in assumptione, praedicatum autem enunciationis aientis ex parte sumitur. Id genus quoque est modus, in quo propositio est particularis, nempe *i e e*. Nam, cum in syllogismis secundae figurae, ut diximus, alterutra praemissarum semper sit negans, conclusio in ipsis negans quoque esse debet [1]; quapropter in modo, cuius propositio est particularis, extremum maius in conclusione sumitur universe, quia est praedicatum negantis, et in propositione sumitur ex parte, quia est subiectum enunciationis particularis. Restant alii quatuor modi, qui sunt naturae syllogismi consentanei, et utiles, scilicet *a e e*, quia ex propositione universali aiente, et ex assumptione universali negante conclusionem universalem negantem elicit; *a o o*, quippe qui ex duabus praemissis, una aiente universali, et altera negante particulari conclusionem particularem negantem elicit; *e a e*, quia in eo a propositione universali negante, et ab assumptione universali aiente conclusio universalis negans colligitur; *e i o*, quia a propositione universali negante, et ab assumptione particulari aiente conclusionem particularem negantem colligit. Voces technicae pro quatuor his modis sunt *Camestres*, *Baroco*, *Cesare*, *Festino* [2].

Quod denique ad modos tertiae figurae attinet, principio, non aliter, ac in prima, et secunda figura, reiiciendi sunt octo modi, quorum propositio, et assumptio sunt ambae negantes, aut particulares. Deinde expun-

---

[1]) « In 2ª figura, s. Thomas ait, non est conclusio, nisi negati« va, unde oportet alteram praemissarum esse negativam, et alte« ram affirmativam. Non enim ex duabus negativis potest aliquid « concludi, nec ex duabus affirmativis potest concludi negativa »; *In lib. I Post.*, lect. VIII.

[2]) *Cam* Omnis homo est rationalis; *Ce* Nullus equus est rationalis;
es Nullus equus est rationalis; *sa* Omnis homo est rationalis;
tres Ergo nullus equus est homo. *re* Ergo nullus homo est equus.
Ba Omnis homo est animal; *Fe* Nullus lapis est animal;
ro Aliquis lapis non est animal; *sti* Aliquis homo est animal;
co Ergo aliquis lapis non est homo. *no* Ergo aliquis homo non est lapis.

gendi sunt duo alii modi , quorum assumptio est negans , scilicet *a e e*, et *a o o*. Nam, si assumptio est negans , propositio , secundum regulam sextam , debet esse aiens , et conclusio , secundum regulam octavam, negans; ex quo fit, ut contra regulam secundam extremum maius in propositione, utpote praedicatum aientis, ex parte, et in conclusione , utpote praedicatum negantis universe accipiatur. Sex reliqui modi , nempe *a a i*, *a i i*, *e a o*, *e i o*, *i a i*, et *o a o*, sunt recti, et utiles. Enimvero, in primo, ex duabus praemissis universalibus aientibus colligitur conclusio aiens ; in secundo, ex duabus aientibus, una universali, et altera particulari, conclusio particularis aiens ; in tertio , ex propositione negante universali , et ex affirmatione universali aiente conclusio negans ; in quarto , ex propositione universali negante , et ex assumptione particulari aiente conclusio particularis negans; in quinto, ex duabus aientibus, una particulari , et altera universali , conclusio particularis aiens; in sexto demum , ex propositione particulari negante, et ex assumptione universali aiente conclusio particularis negans. Voces artificiosae , quibus hi sex modi significantur, sunt *Darapti*, *Datisi*, *Felapton*, *Ferison*, *Disamis*, *Bocardo* [1].

Quisquis omnes rectos , et utiles modos syllogismi, quos enumeravimus , diligenter expenderit , facile intelliget utiles syllogismos primae figurae esse perfectos, et syillogismos secundae , et tertiae figurae esse imperfectos. Quod ut planum fiat , quid sit syllogismus perfectus , et quid imperfectus , definire nos oportet. Syllogismus *perfectus* , τέλειος , a Scholasticis post Ari-

1) *Da* Omne animal est sensibile; *Da* Omnis planta est vivens:
ra Omne animal est substantia; *ti* Aliqua planta est fructifera:
pti Ergo aliqua substantia est sensibilis. *si* Ergo aliquod fructiferum est vivens.
Fe Nullum animal est lapis; *Fe* Nullus lapis est rationalis;
la Omne animal est substantia; *ri* Aliquis lapis est substantia:
pton Ergo aliqua substantia non est la- *son* Ergo aliqua substantia non est ratio-
Di Aliquid animal est rationale; (pis. *Bo* Aliquod animal non est lapis:(nalis.
sa Omne animal est substantia: *car* Omne animal est substantia:
mis Ergo aliqua substantia est rationalis. *do* Ergo aliqua substantia non est lapis.

stotelem [1] ille dictus est, in quo connexio consequentis cum antecedente intellectui nostro ipsa per se evidens, et perspicua est; *imperfectus* vero, ἀτελής, ille, in quo connexio consequentis cum antecedente ab intellectu non cognoscitur, nisi per aliud, puta, ut mox videbimus, per conversionem, vel per conversionem simul, et transpositionem propositionum [2]. Huius divisionis origo, ut per se patet, ex eo repetenda est, quod termini in praemissis syllogismi non semper ita inter se disponuntur, ut connexio praemissarum cum conclusione ex se intelligatur, sed quandoque opus est, ut propositiones quodam modo convertantur, aut transponantur.

Iam dubitari non potest, quin non alii syllogismi, quam primae figurae, sint perfecti, nam in his solis, uti ab exemplis allatis cognoscere licet, termini suo loco collocantur, et naturam suam constanter servant. Re vera, medium in ipsis tenet locum inter ambo extrema, et geminum praestat officium subiecti, et praedicati, et extrema, cum medium inter se claudant, eamdem in praemissis, ac in conclusione, naturam servant, scilicet praedicatum praedicati, et subiectum subiecti. Contra ea, cum in syllogismis secundae figurae medium in utraque praemissa sit praedicatum, et in syllogismis tertiae figurae subiectum, in ipsis medium in ambabus praemissis officio praedicati dumtaxat, aut subiecti fungitur, proindeque extrema in praemissis diversam, ac in conclusione, naturam habent, quia in syllogismis secundae figurae sunt ambo subiecta, et in syllogismis tertiae figurae ambo praedicata [3]. Ex hoc fit, ut prima figura omnes modos concludendi contineat, scilicet universalem aientem, et universalem negantem, particularem aientem, et particularem negantem, cum in secunda figura non sit ulla conclusio affirmans, et in terzia non sit ulla universalis.

---

[1]) *Anal. prior.*, lib. I, c. 1, p. 146, ed. Waitz.
[2]) Cf Albert. M., *Prior. anal.*, lib. I, tract. 1, c. 6.
[3]) *Ibid.* tract. II, c. 6, et 14.

Sed prima figura non solum propter formam, sed etiam propter vim, quam ad verum manifestandum habet, reliquis duabus praestat. Et sane, cum syllogismus ad scientiam rei gignendam maxime spectet, illa figura reliquis excellentior dicenda est, quae scientiam rerum maxime gignere valet. Iamvero, prima figura, uti Aristoteles ostendit, ad scientiam rerum pariendam accommodatissima omnium est [1]. Etenim, quandoquidem scientia rei nonnisi ex iis, quae naturam, sive essentiam eius comprehendunt, perspici potest, ipsam assequi non licet nec syllogismo, cuius conclusio est negatio, quia negatio quid res non sit, non vero quid sit, aperit, nec syllogismo, cuius conclusio est particularis, quia natura omnibus, quae eiusdem sunt generis, aut speciei, communis est, sed solo syllogismo, cuius conclusio aiens, et universalis esse potest [2]. Atqui in solis syllogismis primae figurae conclusio aiens, et universalis esse potest, cum in syllogismis secundae sit semper negans, et in syllogismis tertiae semper particularis [3]. Ergo sola prima figura eiusmodi est, ut scientiam gignere maxime valeat [4]. Aristoteles id comprobavit exemplo mathematicarum scientiarum, puta arithmeticae, geometriae, et prospectivae [5], hae enim, uti ex qualibet fere Euclidis demonstratione patet, syllogismis primae figurae utuntur [6].

Quandoquidem soli syllogismi primae figurae sunt perfecti, reliquarum autem figurarum imperfecti, et pro-

---

[1]) Τῶν δὲ σχημάτων ἐπιστημονικὸν μάλιστα τὸ πρῶτόν ἐστιν; *Anal. post.*, lib. I, c. 14, t. II, p. 22, ed. Waitz. Cf Trendel., *Elem. Log.*, § 30, p. 101.

[2]) *Ibid.* Notanda sunt verba, quibus sanxit scientiam quidditatis, τοῦ τί ἐστιν, esse propriam *affirmationis*, κατάφασεως, et universalium, τῶν καθόλου.

[3]) Cons. s. Thom., *In lib. I Post. anal.*, lect. VIII.

[4]) *Ibid.* — [5]) *Ibid.*

[6]) Drobisch (*Op. cit.*, p. 209) ad id evincendum demonstrationem geometricam quasi colligatam ita dissolvit, ut omnem syllogismorum compagem prae oculis ponat.

prium cuiuslibet perfecti est, ut s. Thomas advertit [1], posse imperfecta eiusdem generis ad ipsum revocari, Aristoteles, inventis cunctis modis syllogismi, regulas investigavit, quarum ope modi recti quidem, et utiles, sed imperfecti ad perfectos reduci possunt. Scholastici praecepta, quae Stagirita tradidit, evolventes de syllogismis imperfectis ad perfectos reducendis copiose, subtiliterque egerunt. Nobis satis erit regulas exponere, easque uno, aut altero exemplo e singulis figuris petito illustrare.

Et primo, sciendum est reductionem syllogismorum imperfectorum ad perfectos non posse semper fieri per conversionem, διὰ τῆς ἀντιστροφῆς, aut per mutationem propositionum; nonnulli enim eorum adeo a formis perfectorum syllogismorum aberrant, ut ad hos nonnisi per incommodum, sive per impossibile, διὰ τοῦ ἀδυνάτου, reduci queant [2]. Hinc Scholastici post Stagiritam [3] docuere syllogismos imperfectos ad perfectos revocari duobus modis, scilicet *directe*, sive *ostensive*, δεικτικῶς, et *indirecte*, sive *per deductionem ad impossibile*, διὰ τῆς εἰς τὸ ἀδύνατον ἀπαγωγῆς [4]. Reductio directa est illa, in qua syllogismus imperfectus ad perfectum revocatur vel per solam conversionem, vel per conversionem simul, et mutationem propositionum. Ita hic syllogismus imperfectus, qui est tertius modus secundae figurae, nempe *Cesare: Nullus lapis est animal; omnis homo est animal; ergo nullus homo est lapis*, per solam conversionem propositionis in hanc alteram, *nullum animal est lapis*, reducitur ad secundum modum primae figurae, qui dicitur *Celarent*, scilicet, *Nullum animal est lapis; omnis homo est animal; ergo nullus homo est lapis*. Hic alter syllogismus eiusdem secundae figurae,

---

[1]) « In quocumque genere invenitur aliquid imperfectum, « oportet praeexistere aliquid perfectum in genere illo » (I, q. LI, a. 1 c.); atque alibi: « Semper imperfectum est propter « perfectius »; *ibid.*, q. CV, a. 5 c.

[2]) Cf *Anal. prior.*, c. 7, p. 158, et 159 ed. cit.—[3]) *Op. cit.* ibid.

[4]) Cons. Albert. M., *Prior. anal.*, lib. I, tract. II, c. 14, et ult.

qui est *Camestres*: *Omne vitium est vitandum ; nulla virtus est vitanda; nulla igitur virtus est vitium*, opus habet non solum conversione , sed etiam mutatione propositionum, ut ad aliquem perfectum modum reducatur. Primo enim oportet assumptionem in se converti hoc modo, *nullum vitandum est virtus* , necnon conclusionem hoc pacto, *nullum vitium est virtus;* deinde assumptionem iam conversam in locum propositionis , et propositionem in locum assumptionis migrare. Et sane inde efficitur hic syllogismus perfectus primae figurae, qui *Celarent* vocatur: *Nullum vitandum est virtus; omne vitium est vitandum; ergo nullum vitium est virtus.*

Reductio autem indirecta , seu per impossibile , est , quando adversarius , qui concedit praemissas , et negat conclusionem, in prima figura ad impossibile deducitur. Quamvis huiusmodi reductio in cunctis modis secundae, et tertiae figurae locum habeat, tamen pertinet maxime ad modum *a o o* secundae figurae , nempe *Baroco* , et ad modum *o a o* tertiae figurae , hoc est *Bocardo*; hi enim duo modi directam reductionem non admittunt [1]. Vt reductio indirecta rite instituatur, efficienda est enunciatio, quae conclusioni negatae contradicit, atque haec, si modus sit *Baroco*, ponenda est loco assumptionis, sin *Bocardo*, loco propositionis, inde enim oritur syllogismus primae figurae, cuius conclusio alterutri ex praemissis concessis contradicit. Quocirca adversarius cogitur vel concedere conclusionem syllogismi secundae , et tertiae figurae , quam negavit , vel admittere aliquod impossibile, scilicet duas enunciationes sibi repugnantes esse simul veras , nempe alterutram ex praemissis syllogismi secundae, vel tertiae figurae , et conclusionem syllogismi primae figurae , ad quem syllogismus secundae , vel tertiae figurae reducitur. Rem exemplis declaremus. Esto hic syllogismus: *a o o*, qui modus *Baroco* est ,

---

[1] Vid. Albert. M., *Op. cit.*, ibid., tract. VIII, c. 3.

Omne utile est expetendum; aliqua voluntas non est expetenda; ergo aliqua voluptas non est utilis. Si quis non videns, quomodo conclusio ex praemissis necessario fluat, conclusionem neget, licet eum redarguere hoc modo: Si putas non esse veram hanc conclusionem, *aliqua voluptas non est utilis*, fatearis oportet esse veram, quae illi opponitur, *omnis voluptas est utilis.* Quod si concedis omnem voluptatem esse expetendam, concedere cogeris conclusionem huius syllogismi primae figurae in *Barbara*, quippe qui ex praemissis a te concessis fluit: *Omne utile est expetendum; omnis voluptas est utilis; ergo omnis voluptas est expetenda.* Iam, quoniam antea concessisti aliquam voluptatem non esse expetendam, hic autem concedis omnem voluptatem esse expetendam, duo sibi repugnantia concedis, id quod impossibile est. Esto hic alter syllogismus tertiae figurae *o a o*, qui est modus *Bocardo*: *Aliqua perturbatio non est moderata; omnis perturbatio est qualitas; ergo aliqua qualitas non est moderata.* Evidens est hunc syllogismum nec per solam conversionem, nec per conversionem, et mutationem propositionum ad aliquem modum primae figurae posse reduci. Nam, quod attinet ad propositionem, praeterquam quod haec, utpote particularis negans, converti non potest, in modis primae figurae nulla est propositio particularis. Sin assumptio convertatur, erunt in syllogismo duae praemissae particulares, quia assumptio, cum sit aiens, nonnisi in particularem verti potest. Quod si praemissas permutabis, syllogismum conficies, in quo assumptio est negans; id vero modis primae figurae repugnat. Reliquum igitur est, ut allatus syllogismus, quemadmodum Aristoteles voluit, *per incommodum* reducatur. Re vera, quoniam in eo conclusio est particularis negans, ei opponenda est universalis aiens, nempe *omnis qualitas est moderata*; ex hac autem, et ex assumptione, quae est quoque universalis aiens, efficitur syllogismus primae figurae, qui est modus *Barbara*, nempe, *omnis qualitas est moderata;*

omnis perturbatio est qualitas; ergo omnis perturbatio est moderata. Hoc pacto adversarius ad impossibile concedendum deducitur, cum cogatur pro veris habere duas enunciationes sibi repugnantes, scilicet *aliqua perturbatio non est moderata*, quia ipsam concessit, et *omnis perturbatio est moderata*, quia est conclusio syllogismi perfecti [1].

Vt vero cognoscatur, ad quosnam modos primae figurae modi reliquarum reducendi sint, et quomodo reductio sit efficienda, animadvertere oportet consonantes, ex quibus inchoantur. Nam quilibet modus secundae, et tertiae reduci debet ad illum modum primae, qui ab eadem consonante, ac ille, incipit: puta *Cesare* et *Camestres* ad *Celarent*, *Festino* ad *Ferio*, et *Datisi* ad *Darii*. Consonantes autem, quae primam syllabam sequuntur, modum denotant, quo reductio facienda est. Nam *S* significat propositionem praecedentem convertendam esse *simpliciter*, *P per accidens*, *M* vero mutandas esse loco praemissas. Ita, in voce artificiosa *Cesare*, per quam modus primus secundae figurae denotatur, *C* significat hunc modum reducendum esse ad modum primae figurae *Celarent*, et *S* reductionem faciendam esse per conversionem simplicem. Sicubi C in mediis, aut postremis syllabis reperiatur, id argumento est modum illum directa reductione carere, et ad indirectam confugiendum esse, uti in *Baroco*, et in *Bocardo* patet [2].

Cum omnes hae reductiones syllogismorum secundae, et tertiae figurae ad syllogismos primae sint omnino certae immo valde luculentae, profecto Gul. Hamilto-

---

[1]) Cf Albert. M., *Op. cit.*, lib. I, tract. II, c. 14, et ult.

[2]) Quae omnia, memoriae causa, comprehensa sunt hoc disticho:

S vult simpliciter verti. P per accid.
M vult mutari. C per impossibile duci.

Quandonam autem in reductione indirecta enunciatio repugnans enunciationi negatae ponenda sit loco assumptionis, et quandonam loco propositionis, hoc altero disticho innuitur:

Maiorem servat, mutatque *Baroco* minorem.
Maiorem mutat, retinetque *Bocardo* minorem.

nus per summam inscitiam illas, nedum inutiles, absurdas declaravit. Re vera, inter pronunciata logica, quae ipse ex doctrina sua de numero enunciationum, tanquam corollaria, collegit, extant haec duo, quae ad hanc rem faciunt, scilicet, « 8° Inutile est ad syllogismos primae « figurae syllogismos reliquarum figurarum revocare ; 9° « quaelibet figura habet proprium principium, ex quo « eius structura pendet [1] ».

Quandoquidem cl. Auctor haec pronunciata potius innuit, quam explicuit, satis esse possent ad eorum refutationem omnia, quae modo ostendimus. Nihilominus iuvat eum perstringere hac generali argumentatione. Quandoquidem unica esse debet forma syllogismi proprie dicti, consequens est modos syllogismi non aliter differre posse, quam quod alii magis, alii minus luculenter illam formam exhibent. Atqui id, quod in aliquo genere ab eius perfectione quodammodo deficit, ad id, quod in eodem genere perfectum est, reduci, ab eoque metiri debet. Ergo modi imperfecti syllogismi ad modos syllogismi perfecti reduci non solum possunt, sed debent, ut illorum veritas dignoscatur. Iam, cum indubium sit primam figuram syllogismi esse omnium optimam, et perfectissimam, indubium quoque esse debet modos reliquarum figurarum ad modos illius posse revocari, et hanc revocationem esse valde utilem ad illorum veritatem tuto cognoscendam. Nos equidem non inficiamur, sicuti forma syllogismi in diversis eius modis quodammodo variatur, ita principium, quo diversi modi innituntur, quodammodo variari posse. Certe, Auctor *artis cogitandi* sex principia statui posse putavit, quorum bina pro singulis figuris inserviunt [2] ; sed quisquis ea vel raptim, leviterque expenderit, facile intelliget ultima quatuor ad duo priora primae figurae revocari, quorum primum cunctorum syllogismorum aien-

---

[1]) *Discus. phil.*, etc., loc. cit.
[2]) Part. III, c. 5-7, p. 141, 142, 144, 145, 147, 148, ed. cit.

tium, alterum omnium negantium fundamentum est. Id luculenter Albertus M. docuit, cum, expositis reductionibus syllogismorum secundae, et tertiae figurae ad syllogismos primae, subdit: « Adhuc autem ex praeinductis manifestum est, quoniam imperfecti syllogismi perficiuntur per primam figuram, quae sola perfecta est in seipsa per dici de omni, et dici de nullo [1] ». Quamobrem nos ex animo gratulamur nuperis Logicis, uti Galluppio [2], Twesteno [3], aliisque, quod reductionem ab Aristotele traditam retinuerint, nec non Barth, Saint-Hilaireo, quod ipsam dilucide exposuit, et propugnavit [4].

Hactenus de figuris, et modis syllogismi ea persecuti, et tuiti sumus, quae Aristoteles in suis *Analyticis* tradidit; sed nosse quoque iuvabit pauca alia, quibus Interpretes doctrinam aristotelicam locupletasse visi sibi sunt, cum de horum veritate, et pretio nulla aetate disputatum inter Philosophos non sit, et lis etiamnum exardescat. Theophrastus, et Eudemus, teste Boëtio, quatuor modis ab Aristotele in prima figura enumeratis quinque alios addiderunt, eorumque opinioni Porphyrius, gravissimus auctor, litavit [5]. Quinque autem modi a quatuor aristotelicis distinguuntur, quod, cum in his praedicatum conclusionis sit praedicatum propositionis, in illis praedicatum conclusionis est subiectum assumptionis. Id genus est hic syllogismus, *omne animal est sensitivum; omnis homo est animal; ergo aliquid sensitivum est homo*, in quo praedicatum conclusionis, nempe *homo*, non est, uti in cunctis modis aristotelicis primae figurae, praedicatum propositionis, sed est subiectum assumptionis. Iam perspicuum est modos, quos Theophrastus, et Eudemus invenerunt, non *directe*, uti aristoteleos, sed *indirecte* concludere. Nam, cum in ipsis

---

[1]) *Op. cit.*, lib. I, tract. 2, c. 14.
[2]) *Op. cit.*, vol. I, lez. LIII, p. 276 sqq. — [3]) *Op. cit.*, p. 112 sqq.
[4]) *Hist. de la Log.* App. *De la quatrième figure du syllogisme*, t. II, p. 542.
[5]) Vid. Boët., *De syllogis. categ.*, lib. II, p. 594, ed. cit.

praedicatum conclusionis non sit idem, ac praedicatum quaestionis, ad quam solvendam syllogismus extructus est, conclusio terminos quaestionis inversos complectitur, scilicet praedicatum in loco subiecti, et subiectum in loco praedicati. Hinc Scholastici quatuor modos, quos Aristoteles manifeste exposuit, *directos*, et quinque, quos eius discipuli illis addiderunt, *indirectos* vocarunt. Satis sit hoc discrimen unico exemplo declarare. Si quis quaerens, *sitne omnis homo sensitivus*, syllogismum in prima figura ita disponat: *Omne animal est sensitivum*; *omnis homo est animal*; *ergo omnis homo est aliquod sensitivum*; iste modus directus dicetur. Sin ipsam disponat in hunc alium modum: *Omne animal est sensitivum; Omnis homo est animal; ergo aliquid sensitivum est homo*, iste secundus modus *indirectus* vocabitur, quia in eo conclusio modi directi invertitur, cum praedicatum illius subiectum huius fiat. Quinque modi indirecti, quos Theophrastus, et Eudemus, ceteris reiectis, tanquam utiles, explicuere, sunt *a a i*, *e a e*, *a i i*, *a e o*, et *i e o* [1], qui designantur his vocibus technicis *Baralipton*, *Celantes*, *Dabitis*, *Fapesmo*, *Frisesomorum* [2]. Plures syllabae in vocibus prima, et quartà vacant causa poëseos, qua comprehensae sunt [3].

---

[1]) Vid. Boët., *Op. cit.*, p. 594-596.

[2]) *Ba* Omne animal est substantia; *ra* Omnis homo est animal; *lip* Ergo aliqua substantia est homo.
Da Omne animal rationale est risibile; *bi* Aliquis homo est animal rationale; *tis* Ergo aliquod risibile est homo.
Ce Nullum animal est lapis; *lan* Omnis homo est animal; *tes* Ergo nullus lapis est homo.
Fa Omne animal est sensitivum; *pe* Nullus lapis est animal; *smo* Ergo aliquod sensitivum non est lapis.
Fri Quidam homo est doctus; *se* Nullum brutum est homo: *som* Ergo aliquod brutum non est doctum.

[3]) En tetrastichum, quo voces omnium modorum, indirectis inclusis, comprehenduntur:

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton,
Celarent, Debitis, Fapesmo, Frisesomorum.
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Galenus, vel quisquis alius eo antiquior, ut diximus, posthabitis modis indirectis primae figurae, quartam concinnavit, ad quam illi modi quodammodo referri possunt. Haec in eo consistit, quod medium, inverso, ac in prima figura, ordine, praedicatum est in propositione, et subiectum in assumptione. Inversio medii inversionem terminorum secum fert; si quidem in syllogismis quartae figurae aliter, quam in illis primae, id, quod est praedicatum in conclusione, est subiectum in propositione, et id, quod est subiectum in conclusione, est praedicatum in assumptione. Vt differentia inter utramque figuram oculis subiiciatur, licet conferre hunc syllogismum primae figurae, *omne animal est sensitivum; omnis homo est animal; ergo omnis homo est sensitivus*, cum hoc quartae, *omnis homo est animal; omne animal est sensitivum; ergo aliquod sensitivum est homo*. Ii, qui quartam figuram amplexati sunt, huius quinque modos utiles recensuerunt, nempe *a a i*, *a e e*, *i a i*, *e a o*, et *e i o*, eosque *Baralipton*, *Camentes*, *Dimatis*, *Fespamo*, *Fresisomorum* vocarunt. Quae plures sunt litterae in vocibus prima, et ultima, perinde ac de aliis huiusmodi diximus, metri causa vacant [2].

Averroes, qui primus huius quartae figurae mentionem fecit, eamque Galeno tribuit, ipsam, tamquam inutilem, omnino explosit, ea ratione permotus, quod ipsa contra logicam concludit, eiusque modos commodius ad primam figuram, licet *indirecte*, referri, secundum Theophrastum, putavit [2]. Celeberrimi huius Interpretis sententiam, si Medicos Galenicorum Operum stu-

---

[1]) Qui quartam figuram admittunt, tetrastichum concinnant hoc modo:

I. Barbara, Celarent, Darji, Ferio. IV. Baralipton
Camentes, Dimatis, Fespamo, Fresisomorum.
II. Cesare, Camestres, Festino, Baroco. III. Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

[2]) Vid. *Op. cit.*, ibid.

diosos exceperis, omnes Arabes secuti sunt. Duces Scholae, retentis quinque modis indirectis primae figurae, quartam aut omnino omiserunt, ut Albertus [1] aliique cum eo, aut Averrois exemplo, ut inter ceteros Scotus [2], refutarunt.

Sub recentis aetatis initia, ne de multis aliis dicamus, duo praeclarissimi Italiae Philosophi Contarinius [3], et Zabarella [4] quartam figuram ex industria impugnarunt. Deinde, hac controversia sensim cessante, fere omnes recentes Logici, Arnaldum [5] secuti, quatuor figuras syllogismorum numerarunt, et explicuerunt, licet nonnulli eorum hanc flocci facerent [6]. Sed inter nuperos, quoniam studium *Organi* in honorem rediit, quaestio de numero figurarum, et modorum syllogismi rursus exarsit, et quarta figura fere ab omnibus explosa fuit. Reidius hanc omnino reiecit, atque a multis modis figurarum, quos Ramus descripsit [7], doctrinam syllogismi specie, non re perfici advertit [8]. Kantius, cum totam doctrinam de figuris, et modis inutile, et aerumnorum Dialecticorum commentum esse contendisset, quartae figurae maxime

---

[1]) *Op. cit.*, ibid., c. 13, ubi quinque modos indirectos primae figurae innuit, quin mentionem quartae figurae iniiceret.

[2]) *In lib. I Prior.*, q. XXXV, passim. Nonnulli s. Thomam inter assertores quartae figurae enumerant; sed isti utuntur *Opusc.* XLVIII, c. 8, quod non esse genuinum foetum s. Thomae inter omnes recentes convenit.

[3]) Hic opusculum exaravit, cui hanc epigraphen adlevit: *Non dari quartam figuram syllogismorum secundum opinionem Galeni*, inter eius *Opera*, p. 233 sqq, Venetiis 1578.

[4]) *Liber de quarta syllogismorum figura*, c. 6, inter *Opera Logicae*, Tarvisii 1604.

[5]) *Op. cit.*, c. 4-8, p. 136 sqq, ed. cit.

[6]) Inter hos numerandus est Galluppius noster, qui in eo se continuit, ut Auctorem Artis cogitandi, et Corsinium exscriberet. Vid. *Op. cit.*, lez. cit., p. 272 sqq.

[7]) Hic in editione *Dialecticae*, quam an. MDLXXII (Lutetiae, apud Ard. Wechelum) exaravit, primam, et secundam figuram dumtaxat admisit, sed multos earum modos enumeravit.

[8]) *Op. cit.*, c. 4, sect. 2, p. 164, et 165.

infensus fuit [1]. Heghelius quartam figuram quoque repudiavit, sed illam, aeque ac alias tres, aliter, quam Aristoteles, aliique post eum Logici, intellexit, propterea quod naturam syllogismi, ut in *Dynamilogia* dicemus, ex philosophiae suae placitis omnino pervertit. Re vera, ipse quartam figuram reiecit, non quod ipsa syllogismi leges violat, sed quod, cum in pronunciato identitatis fundetur, abstractam, et mathematicam, non vero concretam, et obiectivam formam syllogismi exhibet [2]. Kantium hac in re Herbartius, qui logicam impense excoluit, secutus est [3]. E contrario, Lichtenfelsius tribus figuris aristoteleis alias tres ex ipsis conflatas adiecit, atque harum primam quartae heghelianae simillimam esse, et duas alias quartam divisam exhibere putavit [4]. Hamiltonus in numero figurarum statuendo nihil invenire potuit, quod Aristoteli obiiceret, quia, explosa quarta figura, tres primas ab eo descriptas retinendas censuit [5]. Deinde, ne de Italis taceamus, Rosminius non modo quartam figuram, sed etiam secundam, et tertiam a germana veraque forma syllogismi abhorrere pertendit, proindeque unicam esse voluit figuram syllogismi, scilicet illam, quam Logici post Aristotelem primam vocant, quia haec sola, eodem Stagirita docente, perfectos syllogismos suppeditat. Nihilominus secundam, tertiam et quartam Logico explicandas esse censuit, cum quod ipsae inter disputandum occurrere facile possunt, tum quod, si perfectam syllogismi formam non habent, procul dubio sua vi, et efficacia ad probandum non carent [6].

---

[1]) *De la fausse subtilitè des quatre figures* etc., ed. cit.

[2]) *Logiq. subiective*, trad. par Sloman, et Wallon, c. 3, p. 68-71, ed. cit. Quarta figura heghelіana cum prima aristotelica fere consentit. De discrimine inter doctrinam aristotelicam, et heghelianam videsis Trendelenburgium, *Disquis. log.*, t. II, p. 251 sqq, ed. cit.

[3]) *Institutiones introductionis ad philosophiam* (germ.), § 71, Konisbergae 1837.

[4]) *Op. cit.*, c. 3, § 60, p. 95-97. — [5]) *Discuss. phil.*, ibid.

[6]) *Logic.*, lib. II, sez. 2, c. 6, p. 178-184, ed. cit.

Quamvis hoc Logicae caput non magni momenti sit; tamen e re esse duximus opiniones nuperrimorum. Logicorum de ipso afferre, ne quis, hodiernae philosophiae statum haud callens, nobis quasi quisquilias Scholae refricantibus importune succenseat. Vt vero vis quartae figurae probe diiudicetur, advertendum est cum Trendelenburgio [1] controversiam inter eos, qui tres figuras tantum admittunt, et eos, qui tribus quartam adiiciunt, ex eo ortam fuisse, quod alii naturam terminorum, alii autem externam enunciationum formam in figuris syllogismorum investigantis spectarunt. Re vera, illi, qui vestigiis Aristotelis insistentes naturam terminorum explorarunt, non plures tribus figuris invenire potuerunt, quippe quod terminus medius cum extremis non aliter coniungi quit, quam quod vel mediam, vel supremam, vel infimam sedem occupet. Terminus medius mediam sedem occupat, quoties in propositione est subiectum, et in assumptione est praedicatum, quia, cum hoc evenit, maius extremum in medio, et medium in minori extremo esse significatur. Tenet autem supremam sedem, quoties non solum in propositione, sed etiam in assumptione est subiectum, si quidem, cum utrobique est subiectum, ambo extrema in ipso esse denotatur. Denique, quoties in ambabus praemissis est praedicatum, infimam sedem habet, quia, cum utrobique est praedicatum, id argumento est ipsum in ambobus extremis esse. At vero, ii, qui externam formam enunciationum spectarunt, tribus figuris quartam, secundum Galenum, addere coacti sunt; nam enunciationes non solum possunt ita inter se disponi, ut medium sit subiectum in propositione, et praedicatum in assumptione, quemadmodum prima figura expostulat, sed etiam ita, ut praedicatum in propositione, et subiectum in assumptione sit: id autem est, quo quarta figura galenica a prima aristotelica discriminatur. E. g., si quis ad probandum

---

[1]) *Disquis. Log.*, t. II, p. 233, ed. cit.

omnem hominem vi sentiendi pollere, *animal*, tanquam terminum medium, sumat, potest ipsum inter duo extrema duobus modis disponere, scilicet, *omne animal est sensitivum; omnis homo est animal; ergo omnis homo est sensitivus*, vel, *omnis homo est animal: omne animal est sensitivum; ergo aliquod sensitivum est animal.* Ex quo schemate perspicis primum syllogismum a secundo differre, eo quod, cum enunciationes in eis diversum locum occupent, medius terminus in primo est subiectum in propositione, et praedicatum in assumptione, in secundo autem in illa est praedicatum, et in hac subiectum. Iam, quoniam terminus medius inter duo extrema duobus modis disponi potest, exinde non una, sed duae figurae repetendae sunt.

At vero, Scotus, aliique mediae aetatis Logici post Averroem [1] observarunt quartam figuram, quae Galeno tribuitur, non aliter a prima differre, quam quod enunciatio, quae in hac primum locum tenet, in illa tenet secundum, et vicissim, atque hanc transpositionem enunciationum minime efficere, ut figura syllogismi varietur. Primum ex solo schemate syllogismorum, quos, exempli causa, adduximus, patet. Alterum evincitur hoc modo: Ratio uniuscuiusque figurae, ut apud omnes in confesso est, in dispositione medii cum extremis consistit. Atqui sive primo loco ponatur enunciatio, in qua medium est subiectum, et secundo loco enunciatio, in qua medium est praedicatum, sive contra, medium semper ad extrema ita comparatur, ut maius extremum sit in ipso, et ipsum sit in minori extremo. Ergo, si praemissae in prima figura transponantur, inde nova figura specie tenus, sed non re a prima differens efficitur. Audire lubet prae ceteris Scotum: « . . . propter solam transpositionem non provenit diver- « sitas alicuius praemissae, nec conclusionis, per conse- « quens nec diversitas figurae. Et ideo concedendum est

---

[1]) *Op. cit.*, ibid.

« istum syllogismum fieri in prima figura, omne C est B, « omne B est A, igitur omne C est A, quia, praemissis « transpositis, est manifeste prima figura [1] ». Re vera, si *Omne B est A* ponatur loco *Omne C est B*, et vicissim, efficitur syllogismus primae figurae, quia medio B in propositione officium subiecti, et in assumptione officium praedicati tribuitur.

Haec argumentatio Scoti, quam Facciolatus [2], Bachmannus [3], Licthenfelsius [4], aliique probarunt, etsi contemnenda non sit, tamen quartam figuram perimere sola per se non valet. Et sane, ii, qui pro quartae figurae utilitate pugnant, advertunt ipsam a prima differre non solum quod praemissae in ea transponuntur, sed etiam quod termini conclusionis in ea invertuntur: si quidem quoties, transpositis praemissis in syllogismo primae figurae, medium efficitur praedicatum in propositione, et subiectum in assumptione, alia, ac in syllogismo primae figurae, conclusio inde fluit. Nam, si medium in propositione est praedicatum, et in assumptione est subiectum; in conclusione praedicatum assumptionis subiectum, et subiectum propositionis praedicatum sit oportet, quippe quod subiectum propositionis, tanquam universale, et praedicatum assumptionis, tanquam particulare, intelligitur. Atqui in syllogismis primae figurae subiectum, et praedicatum, ut ante vidimus, in conclusione idem officium, ac in praemissis, praestant, quia illud est subiectum assumptionis, hoc autem praedicatum propositionis. Ergo, si praemissae in syllogismo primae figurae transponantur, alia, ac in ipso, conclusio inde efficitur, si quidem, transpositis praemissis, termini in conclusione etiam transponantur necesse est.

Vt id luculenter patescat, iuvat exempla expendere,

---

[1]) *In lib. I Prior.*, q. XXXV, n. 6.
[2]) *Rudim. Log.*, part. III, c. 3, *Log.*, t. I, p. 87, ed. cit.
[3]) *Systema Logicae* (germ.), p. 598, Lipsiae 1828.
[4]) *Op. cit.*, part. I, c. 3, § 60, p. 97, ed. cit.

quibus Facciolatus usus est. Hic ostensurus quartam figuram, transpositis terminis, esse ipsissimam primam, protulit hos duos syllogismos: *Malum est fugiendum, Vitium est malum, Ergo vitium est fugiendum; Vitium est malum, Malum est fugiendum, Ergo vitium est fugiendum.* Ex quo schemate patet eum ex praemissis transpositis primae figurae eamdem in quarta figura conclusionem elicuisse, quam prima habet. At eius error manifestus est. Nam, quandoquidem in praemissis transpositis *vitium*, utpote subiectum enunciationis universalis, universe, et *fugiendum*, utpote praedicatum universalis aientis, ex parte accipitur, necesse est, ut in conclusione *fugiendum* subiecti, et *vitium* praedicati officio fungatur, quia in enunciatione aiente praedicatum latius, quam subiectum, patet. Vnde germana conclusio huius syllogismi est haec: *Ergo aliquid fugiendum est vitium.* Iam, quoniam alia est conclusio in syllogismis primae figurae, alia conclusio in syllogismis, qui ex transpositis praemissis eorum efficiuntur, Galenici adversus Scotum, aliosque inde conficiunt, quoties praemissae syllogismorum primae figurae transponuntur, syllogismos novae figurae existere, quia diversitas conclusionis diversitatem figurae arguit.

At, quamvis verum sit, propositione, et assumptione in syllogismo primae figurae transpositis, diversam inde conclusionem fluere; tamen non idcirco novam figuram, sed quandam perturbationem primae existere putandum est. Vt locus hac in re aequivocationi tollatur, advertere e re est praemissas in syllogismis primae figurae inter disputandum quandoque locum mutare, quin conclusio eius varietur, idque evenire, quoties praemissae, ob mutationem loci, naturam suam non amittunt. Hoc cum fit, bonus, utilisque primae figurae syllogismus existit, quippe quod transpositio praemissarum fortuita est. Revera, Alcinous protulit, tanquam optimum primae figurae exemplum, hunc syllogismum ex Platonis Alcibiade: *Quae iusta sunt, pulcra sunt; quae pulcra sunt, bona sunt; ergo*

quae iusta sunt, bona sunt [1]. In hoc enim enunciatio, quae primum locum occupat, vim assumptionis, et enunciatio, quae secundum locum tenet, vim propositionis habet; ex quo fit, ut, si enunciationes contrarium, nempe illum, quem natura earum expostulat, locum resumant, inde eadem conclusio fluat. Huiusmodi quoque est syllogismus, quem Sextus Emp. Dogmaticis obiecit: *Socrates est homo; omnis homo est animal; ergo Socrates est animal* [2]. Advertendum tamen est mutationem loci, quam praemissae in syllogismis primae figurae interdum prae se ferunt, non semper esse fortuitam, sed quandoque viam innuere, qua intellectus noster in illis syllogismis conficiendis ad conclusionem pervenit. Nam, quoniam nos non raro singulare prius, quam universale, vel unum universale prius, quam aliud eo superius cognoscimus, non raro efficitur, ut progrediendo a singulari ad universale, vel ab uno minus universali ad aliud magis universale ad conclusionem perveniamus. Quod cum ita sit, nemo miretur, si disputans non ordini, quem praemissae naturaliter habent, sed ordini, quo ipsas cognoscit, insistens, praemissas interdum ita disponat, ut singularis particulari, vel minus universalis magis universali, nempe assumptio propositioni praecedat. Ita, menti nostrae quandoquidem prius occurrit Socratem esse hominem, quam hominem esse animal, facile fieri potest, ut quispiam ad concludendum, *Socratem esse animal*, assumptionem, *Socrates est homo*, propositioni, *omnis homo est animal*, praemittat.

At vero, si, transpositis praemissis in syllogismo primae figurae, necesse est conclusionem inverti, quia transposi-

---

[1]) *Isag. ad doctr. Platonis*, c. 6, ed. cit. Cf Sext. Emp., *Pyrrh. Hypoth.*, lib. II, c. 13, sect. 164.

[2]) *Op. cit.*, ibid. Trendelenburgius memoria deceptus est, quod Sextum Emp. hunc syllogismum e Platone sumpisse scripsit (*Elem. log.*, § 28, p. 99), si quidem non hic, sed ille, quem primo loco adduximus, Platonis est. Cf Ioan. Albert. Fabricium, in laud. locum Sexti Empirici, *Opp.* t. I, p. 169, not. r), Lipsiae 1840.

tio non est fortuita, sed naturam praemissarum mutat, ideo non efficitur syllogismus novae figurae, sed syllogismus primae figurae perturbate, et sine ordine concludit. Et sane, quocumque modo praemissae in syllogismo primae figurae transponantur, medium in ipsis duplex officium subiecti, et praedicati praestare non desinit. Atqui natura primae figurae in hoc consistit, quod medium in una praemissarum sit praedicatum, et in altera subiectum. Ergo, mutatis loco praemissis in prima figura, ipsa figura non mutatur. Nec iuvat fautores quartae figurae asserere, quod ex mutatis loco praemissis diversa conclusio oritur; namque haec conclusio non est aliud, ut scite Goudinus advertit [1], quam perturbatio, et violentia conclusionis primae figurae. Re vera, eodem Goudino argumentante, syllogismus, in quo medium est praedicatum, et subiectum, natura sua expostulat, ut de subiecto conclusionis affirmetur, aut negetur id, quod de termino medio affirmatum, aut negatum est in praemissis. Atqui hoc non fit, nisi praedicatum conclusionis sit idem, ac praedicatum propositionis, et subiectum conclusionis idem ac subiectum assumptionis. Ergo syllogismus, in quo medium duplici officio subiecti, et praedicati fungitur, non est rectus, nisi subiectum, et praedicatum conclusionis in praemissis naturam suam, scilicet praedicatum praedicati, et subiectum subiecti naturam retineant. Qua de re, quoniam in syllogismis quartae figurae res aliter se habet, quarta figura, tanquam violenta primae perturbatio, non tanquam nova habenda est. Id, ut Trendelenburgius non iniuria advertit, exemplis quartae figurae comprobari potest. Haec enim omnia, praemissis inter se commutatis, prima figura concluduntur, exceptis fortasse duobus, quae ad secundam quoque revocari possunt [2].

Quamobrem nos, quarta figura reiecta, quinque modos indirectos primae figurae cum Theophrasto, Eude-

[1]) *Log. minor.*, part. III, art. 2, *Op. cit.* vol. I, p. 125, et 126.

[2]) Vid. ea, quae de tota hac re disseruit in *Disq. log.*, t. II, p. 33 sqq.

mo, Averroe, Zabarella, aliisque retinendos esse arbitramur, si quidem in his, cum propositio, et assumptio locum suum non mutent, conclusio *indirecta* quidem, sed non violenta, et perturbata est. Cuius rei illud argumento est, quod istos modos indirectos, ut quisquis ex se perspicere potest, secundum regulas duplicis reductionis, quas iam statuimus, ad modos directos eiusdem figurae nullo negotio revocare licet. Omittendum autem non est dubitari non posse, quin Theophrastus, et Eudemus modos indirectos ab Aristotele didicerint; nam, cum hi modi conclusiones modorum directorum inversas exhibeant, ad syllogismos, quos Aristoteles ἀντεστραμμένους nuncupavit [1], ut Rosminius advertit [2], commode revocantur.

Restat, ut de Lichtenfelsio, et Rosminio nonnihil dicamus: reliqui enim recentes Logici, qui hunc locum logicae aristotelicae aversati sunt, doctrinam Aristotelis inutilem quidem, et futilem, non vero falsam esse pugnarunt. Lichtenfelsius, ut vidimus, tres esse figuras syllogismorum simplicium non negavit, sed eis alias tres syllogismorum compositorum addendas esse putavit. At novas figuras, quas cl. Auctor post Krugium [3] excogitavit, ne frivolas dicamus, certe nullius usus esse vel sola exempla ab eo probata demonstrant. Ea huiusmodi sunt: IV. P. M. *Homo est ens sensitivo-rationale*; S. M. *homo est ens corporeo-rationale*; S. P. *ergo ens corporeo-rationale est etiam ens sensitivo-rationale.*—V. P. M. *Spiritus est ens rationale*; S. M. *homo est ens rationale*; S. P. *ergo homo est spiritus*—VI. M. P. *Homo est liber*; M. S. *homo est ens sensitivo-rationale*; S. P. *ergo ens sensitivo-rationale est liberum* [4].

---

[1]) *Anal. prior.*, lib. I, c. 28, p. 196, ed. cit. Praeter AA. iam laudatos consulendus est Eduard. Bencke, *De syllogismorum analiticorum originibus, et ordine naturali*, Berolini 1839.

[2]) *Log.*, loc. cit., a. 2, p. 180 ed. cit.

[3]) *De syllogism. figuris* Comment., Regiomonti 1808.

[4]) In his exemplis S. subiectum, P. praedicatum, et M. medium significant.

Iam, primo, enunciationes, ex quibus huiusmodi figurae constant, uti ex dictis [1] patet, ab enunciationibus, circa quas tres priores figurae aristotelicae versantur, non logice, sed grammatice differunt. Nam, si grammatice spectentur, illae sunt compositae, hae simplices; at, si logice, utraeque *unae* sunt, hoc tantum discrimine, quod illae sunt *simpliciter*, hae *coniunctione* unae. Secundo, ex tribus postremis figuris, quas Lichtenfelsius addidit, quarta, et sexta sunt eaedem cum tertia, quia medium in illis utrobique est subiectum, et quinta eadem est cum secunda, quia medium in illis utrobique est praedicatum.

Rosminius vero, postquam quartam figuram, nempe *galenicam*, necnon secundam, et quartam Aristotelis impugnavit, atque unicam esse veram, utilemque figuram omnium syllogismorum demonstrare studuit, eo tandem pervenit, ut non solum secundam, et tertiam secundum Aristotelem, sed etiam quartam secundum Galenum admitteret. Ipse enim non negavit, immo luculenter asseruit secundam, tertiam et quartam utilitate sua in disputationibus non carere; sed, quoniam in solis syllogismis primae figurae praemissae conclusionem luculenter continent, hanc solam esse *perfectam*, reliquas autem tres esse imperfectas [2]. Iam ita quidem, ut vidimus, de secunda, et tertia figura Aristotelici, et de quarta Galenici senserunt.

ARTICVLVS TERTIVS

De syllogismo inductivo

De syllogismo inductivo tractaturis a definitione eius, quemadmodum de syllogismo egimus, initium sumendum nobis non est. Nam de veritate definitionis syllogismi, quam ex Aristotele tradidimus, inter omnes Logicos convenit, licet pauci, ut vidimus, illam congruis vocibus haud significassent; at, cum de natura inductionis multae, et valde discrepantes sint recentium Philosophorum

---

[1]) P. 126 sqq. — [2]) *Op. cit.*, ibid. art. 3, 5, et 6, p. 180 sqq.

sententiae, germanam eius definitionem, nonnisi postquam illas sententias discussimus, statuere nobis licebit.

Inductio a Philosophis ante Aristotelem procul dubio adhibita fuit. Socrates *inductivas orationes*, ἐπακτικοὺς λόγους, adeo usurpavit, ut ipsae, Aristotele auctore, ei iure *proprio*, δικαίως, tribuendae sint [1]. Certe, apud Xenophontem [2], et Platonem [3] multa inductionis exempla, a Socrate adhibita, inveniuntur, quae quantae utilitatis inductio ei in disputationibus adversus Sophistas fuerit, luculenter commonstrant [4]. Verum Aristoteles primus omnium hoc argumentandi genus ἐπαγωγήν, quod Tullius *inductionem* vertit [5], nominavit, quidque a syllogismo proprie dicto differat, exposuit, necnon quid ad scientiae constitutionem conferat, et quibus ex mentis actibus efficiatur, investigavit [6]. Post Aristotelem apud Graecos de forma inductionis haud disputatum fuisse videtur, quia nihil, quod ad ipsam spectat, ab Epicuro, eiusque discipulis, et a Stoicis traditum legimus, nihilque in Plotini, aliorumque Neoplatonicorum libris invenimus. Apud veteres Interpretes fere nihil novi occurrit; sed Scholastici, ut ex dicendis palam fiet, Arabum observationibus adiuti, structuram, et fundamentum inductionis investigarunt, et vim, quam ad cognitionem efficiendam habet, explorarunt.

In recenti aetate doctrina Aristotelis de inductione a

---

[1]) *Met.*, lib. XII, c. 4, p. 242, ed. Bonitz.

[2]) *Memorabilia Socratis*, lib. IV, c. 6 (*Opp.* ed. Thieme, vol. IV, p. 240-258, Lipsiae 1764). Ibi Xenophon opportunis exemplis declaravit diversos modos, secundum quos Socrates inductione usus est, ut vel notiones generum conficeret, vel ad leges generales rerum assurgeret, vel *analogice*, hoc est, *per similitudinem* ad aliquid admittendum discipulos adduceret.

[3]) *Euthidem.*, in quo Socrates ad iustitiae notionem inveniendam inductione usus est.

[4]) Cf Ravaisson, *Mèt. d' Arist.*, t. I, p. 278, ed. cit. — [5]) *Top.*, c. 10.

[6]) Loca praeterimus, quia haec passim laudanda nobis erunt. Exempla, si lubet, videsis *Top.*, lib. I, c. 12, p. 90, ed. Waitz; *Ethic.*, lib. I, c. 9; *ibid.*, lib. II, c. 5; *Polit.*, lib. II, c. 8.

nemine, quantum scimus, ante Baconem ex industria impugnata fuit. Baco inductionem, contra ac de syllogismo sensit [1], nedum idoneum, unicum instrumentum sciendi esse docuit, et inculcavit; sed contendit veram, utilemque inductionem prorsus aliam esse, quam quae ab Aristotele, eiusque discipulis usque ad sua tempora tradita fuerat. Vt quid Cancellarius hic Angliae sibi voluerit, intelligatur, sciendum est inductionem ab Aristotele, aliisque Logicis usque ad Baconem definitam esse, « a singularibus ad universale progressum [2] », et, quandoquidem singularia, tanquam partes universalis, considerantur, statutum ab eis fuisse, quod inductio « per enumerationem omnium partium » procedit [3]. Iamvero, Baco inductionem « de qua dialectici loquuntur, quae procedit per enumerationem simplicem partium, tanquam puerile quoddam » obtrudit [4], « pinguem, et crassam » appellavit, contenditque ipsam « naturam tantum abesse, ut perficiat, ut eam pervertat, et detorqueat [5] ». Ipse vero huic inductioni aristotelicae vulgo receptae aliam, ut mox videbimus, sufficiendam decrevit, quae non per affirmationes, et statim, sed per negationes, et gradatim a singularibus ad universale progreditur [6].

Ast haec doctrina Baconis de inductione, Dugald-Stewartio [7], aliisque perpaucis recentioribus exceptis, nullos sectatores, assertoresque, ne inter Anglos quidem, invenit; ii enim, qui Baconi successere, vel, exemplo

---

[1]) Vid. p. 241, et 242.

[2]) Ἐπαγωγὴ ἡ ἀπὸ τῶν καθ' ἕκαστον ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος; *Top.*, lib. I, c. 12, p. 90, ed. Waitz. « Haec, ait Tullius, ex pluribus per« veniens quo vult, appellatur *inductio*, quae graece ἐπαγωγὴ no« minatur »; *Top.*, c. 10, ed. cit.

[3]) Ἡ γὰρ ἐπαγωγὴ διὰ πάντων; *Anal. pr.*, lib. II, c. 23, p. 256, ed. cit.

[4]) *N. O.*, t. I, lib. I, aph. CV, *Opp*, t. II, p. 102 et 103, ed. cit.

[5]) *De augm. scient.*, lib. V, c. 2, *Opp.* t. I, p. 268, ed. cit.

[6]) *N. O.* ibid., et lib. II, aph. XI-XX, p. 145-192, ed. cit.

[7]) *Élémens* etc., trad. Peisse, part. II, c. 4, sect. 2, p. 238 sqq, ed. cit.

Auctoris *Artis cogitandi* [1], inductionem flocci fecerunt, et vix indicarunt, vel notionem aristotelicam inductionis amplexati sunt. Nisi quod plerique horum, Wolfium [2] secuti, structuram, et leges eius mirifice perturbarunt; si quidem senserunt inductionem non esse aliud, nisi syllogismum, cuius propositio reticetur, eamque cum argumentatione, quam Aristoteles *enthymema* vocaverat, perperam confuderunt. At non defuere interea temporis, qui inductionem a syllogismo discriminarent, germanamque eius notionem secundum Aristotelis placita traderent, eosque plerique nuperrimi Logici, qui studium Organi instaurarunt, secuti sunt. Verum, dum nuperrimi Logici ad veram doctrinam Aristotelis de inductione explicandam, vindicandamque animum applicabant, ab. Gratryus post Apeltium [3], cuius opellam ceterum ignorabat, novam doctrinam de inductione excogitavit. Ipse enim, ut inferius dicemus, pro viribus pugnavit intellectum humanum in inductione ab enumeratione singulorum ad universalem conclusionem pervenire, non quod universale in particularibus contineri cognoscit, sed quod, ob quemdam *divinum sensum*, quo pollet, a cognitione particularium ad universale assurgit. Quapropter inductionem a syllogismo ob id potissimum differre opinatus est, quod hic est argumentatio *mediata*, illa autem *immediata* [4].

Ex his, quae modo diximus, perspicitur inductionem tribus diversis modis a Logicis explicatam fuisse, quorum primus ad Aristotelem, alter ad Baconem, postremus ad Apeltium, et Gratryum pertinet. Harum trium inductionum, scilicet aristotelicae, baconianae, et gratryanae, sive apeltianae, quarum pleniorem notitiam suis

---

[1]) Re vera, hic inductionem quam brevissime innuit, ubi de nono sophismate verba fecit; part. III, c. 19, p. 210, ed. cit.

[2]) *Log.*, part. I, sect. IV, c. 6, § 448-451, ed. cit.

[3]) Apelt., *De theoria inductionis* (germ.), Lipsiae 1851.

[4]) Vid. Gratry, *Logique*, lib. IV, t. II, p. 1-198, ed. cit. Paris 1855.

locis daturi sumus, quamdam veluti delineationem ab ipso initio exhibendam duximus, ut in ista tractatione quid agere, et quo ordine uti nobis opus sit, patesceret. Itaque nos hunc ordinem adhibebimus, ut primo inductionem aristotelicam explicemus, illamque cum a praeposteris interpretationibus, tum ab obiectionibus, quibus impugnata est, vindicemus, deinde quantum baconiana, et gratryana contra exploratas logicae notiones peccent, ostendamus. A priori capite ordiamur.

Reidius [1], quem Stewartius [2], Royer-Collardus [3], aliique secuti sunt, Baconem, primum omnium, inductionem, tanquam verum, et utile instrumentum sciendi, proposuisse scripsit, cum Aristoteles, ceterique Logici ante illum, nonnisi syllogismo uterentur. Hoc iudicium Reidii adeo pervagatum erat, ut, cum cl. Anglus post Gilliesium illi vehementer contradixisset, multos quodam stupore afficeret. E re est eius verba afferre, quippe quae ad rem nostram valde faciunt. « Ex quibus excerptis, « inquit, quae hoc opere continentur, conficitur 1° Ari- « stotelem methodum inductivam ratiocinandi, quam « magnus Verulamius in suo *Novo Organo* enodavit, « et perfecit, cuique celeres progressus scientiarum in « hisce temporibus vulgo accepti referuntur, perfecte « calluisse, eamque veluti methodum investigandi, quae « ad certitudinem, et veritatem ducit, luculenter propo- « suisse; 2° eum perfectam notitiam quoque habuisse non « solum formae inductionis, sed etiam materiae, quam « ipsa adhibere debet, quaeque ex factis, et experien- « tiis constat. Quamobrem concludamus necesse est A- « ristotelem iniuria reprehensum fuisse, quod spiritum « humanum catenis syllogismi diu vinxisset, imme- « ritaque laude exornatum Baconem, quod ab illis ca-

[1]) *Analys. de la log. d' Arist.*, c. VI, sect. 2, *Oeuvr.*, t. I, p. 205, ed. cit., et *Recherch. sur l' entend. hum.*, c. 6, sect. 24, t. II, p. 359 sqq.
[2]) *Op. cit.*, ibid. — [3]) *Op. cit.*, ibid.

« tenis expedivisset, et in libertatem vindicasset [1] ». Omissa secunda parte huius loci, de qua alias disseremus [2], quisquis *Organum* vel leviter pervolutavit, dubitare non potest, quin Aristoteles inductionem noverit, eiusque formam, et vim saepe, et accurate explicuerit, nec, quantum scimus, dubitarunt, frustra adversus laudatos Angelos obstrepente Stewartio [3], omnes nuperi, qui vel *Organum* interpretati sunt, vel philosophiam Aristotelis exposuerunt, vel de inductione accurate tractarunt. Et sane, Aristoteles docuit 1° nos omnia discere [4], omnibusque assensum praebere [5] syllogismo, aut inductione, nec aliis instrumentis, quam syllogismo, et inductione, quidquam demonstrare [6], aut ullam scientiam assequi posse [7]; 2° syllogismum, et inductionem esse duas species ratiocinationis [8], quia omnis ratiocinatio per syllogismum, aut per inductionem fit [9]; 3° inductionem es-

---

[1]) *Comment.*, quae extat in *Disquis. Asiat.* (angl.), t. VIII, p. 89, et 90, ed. Lond. Gillies idem tuitus erat in sua *Analysi moralis, et politicae Aristotelis*, quam idem Auctor laudavit.

[2]) Waddigtonus asseruit Aristotelem, aliosque antiquos novisse quidem formam inductionis, sed ignorasse, quibus subsidiis intellectus illam conficit (*Essais* etc., Ess. VI, c. 1, § 1, p. 207 ed. cit.). At id, uti ex iis, quae in toto hoc opere dicturi sumus, patebit, per summam iniuriam antiquis obiecit. Quod ad Stagiritam spectat, videsis ut permulta loca praetereamus, *Anal. post.*, lib. II, c. 19, t. II, p. 76-78, ed. Waitz.

[3]) *Op. cit.*, ibid.

[4]) Εἴπερ μανθάνομεν ἢ ἐπαγωγὴ ἢ ἀποδείξει; *Anal. post.*, lib. I, c. 18, t. II, p. 98.

[5]) Ἅπαντα γὰρ πιστεύομεν ἢ διὰ συλλογισμοῦ ἢ ἐξ ἐπαγωγῆς; *Anal. pr.*, lib. II, c. 23, t. I, p. 256; cf *Top.*, lib. I, c. 8, t. II, p. 186.

[6]) Ὅλως ἀνάγκη συλλογιζόμενον ἢ ἐπάγοντα δεικνύναι ὁτιοῦν ἢ ὁντινοῦν; *Reth.*, lib. I, c. 2, ed. Brandis.

[7]) Ἡ μὲν γὰρ δι' ἐπαγωγῆς, ἡ δὲ συλλογισμῷ; *Ethic. Nic.*, lib. VI, c. 3, ed. Brad.

[8]) Περὶ τοὺς λόγους οἵτε διὰ συλλογισμῶν καὶ οἱ δι' ἐπαγωγῆς; *Anal. post.*, lib. I, c. 1, t, II, p. 1, ed. Waitz.

[9]) Χρὴ διελέσθαι τόσα τῶν λόγων εἴδη τῶν διαλεκτικῶν, ἔστιν δὲ τὸ μὲν ἐπαγωγή, τὸ δὲ συλλογισμὸς; *Top.*, lib. I, c. 12, t. II, p. 90.

se quodam modo oppositam syllogismo [1], tum ratione principii, a quo proficiscitur, quia ipsa a singularibus ad universale, syllogismus vero ab universalibus ad particulare progreditur [2], tum ratione modi, quo procedit, quia ipsa sine medio, syllogismus autem cum medio concludit [3]; 4' quandoquidem inductio a particularibus ad universale assurgit, ipsam principia suppeditare, ex quibus syllogismus proficiscitur [4]; unde « ipsa via ad « principia ducens [5] » dici potest.

Haec pronuntiata Stagiritae, aliis multis omissis, quae hinc inde ex eius libris colligi possent, satis superque commonstrant eum non modo inductionem non ignorasse, sed etiam nihil eorum, quae ad cognoscendum eius naturam, vim, et utilitatem pertinent praetermisisse. At, quandoquidem in hisce pronuntiatis explicandis, et inter se componendis Interpretes, et Logici, praesertim nuperi, non consenserunt, e re esse putamus hanc tractationem ita digerere, ut simul diversas interpretationes doctrinae aristotelicae, ex ea parte, quatenus ad formam inductionis spectant, excutiamus, et de singulis quaestionibus, quae circa ipsam ventilatae sunt, iudicium nostrum proferamus.

Prima quaestio, quae naturam inductionis indaganti occurrit, in eo versatur, utrum inductio sit purus, putusque syllogismus, an species argumentationis a syllogismo differens. Maxima pars recentium, ut innuimus, priorem sententiam tuita est: Namque, ut nihil dica-

---

[1]) Τροπον τινὰ ἀντίκειται ἡ ἐπαγωγὴ τῷ συλλογισμῷ; *Anal. prior.*, lib. II, c. 23, p. 256.

[2]) Vid. loc., quem citavimus p. 295, not. 2. Adde: Ἐστι δ' ἡ μὲν ἀπόδειξις ἐκ τῶν καθόλου, ἡ δ' ἐπαγωγὴ ἐκ τῶν κατὰ μέρος; *Anal. prior.*, lib. I, c. 18, t. II, c. 28.

[3]) Ὧν μὲν γὰρ ἔστι μέσον, διὰ τοῦ μέσου ὁ συλλογισμὸς ὧν δὲ μὴ ἔστι, ἡ ἐπαγωγής; *Anal. prior.*, lib. I, c. 23; p. 257.

[4]) Ἡ μὲν δὴ ἐπαγωγὴ ἀρχῆς ἔστι καὶ τοῦ καθόλου, ὁ δὲ συλλογισμὸς ἐκ τῶν καθόλου; *Ethic. Nicom.*, lib. VI, c. 3, ed. Brand. Cf *ibid.*, et *Anal. post.*, lib. I, c. 1, et 18.

[5]) Ἡ επὶ τας ἀρκὰς ὁδὸς αὕτη ἐστιν; *Anal. post.*, lib. I, c. 23, p. 36.

mus de Mako [1], Genuensi [2], aliisque non paucis, qui, inductione inter formas syllogismi amandata, nihil de natura eius asseruere, alii inductionem inter syllogismos imperfectos numerarunt, eamque, ut S. Gravesande ait, « ad illustrandum, non ad probandum » accommodatam esse senserunt [3]. Alii, iique plures, cum Wolfio manifeste statuerunt ipsam non esse aliud, quam *enthymema*, sive, ut ab eis enthymema definitur, syllogismum, in quo propositio subintelligitur, atque hanc propositionem esse voluere illud pronunciatum: *quidquid singulis convenit, aut non convenit, id toti, quo singula continentur, etiam convenit, vel non convenit.* En locum Wolfii, in quo schema inductionis quoque exhibetur: « Omnis inductio est « enthymema contentum sub hoc syllogismo categorico « generali : Quidquid competit, vel non competit singulis inferioribus, id etiam competit omni superiori, « sub quo continetur. Sed hoc competit, vel non competit singulis inferioribus. Ergo hoc competit, vel non « competit omni superiori [4] ». Opinionem Wolfii, praeter alios, amplexati sunt in Anglia Wathelyus [5], in Italia Galluppius [6], et Rosminius [7], et in Gallia Iul. Simonius [8]. Remusatus, quamvis inductionem a syllogismo secundum Aristotelem secrevisset [9], tamen inductionem,

---

[1]) *Compendiaria Log. institutio*, part. I, c. 6, § 91, p. 80-82, Venetiis 1796.

[2]) *Elementa artis logico-crit.*, lib. V, c. 6, § 2, p. 318, Venetiis 1767.

[3]) *Introd. ad phil.*, Append. c. 8, p. 287, Venetiis 1737.

[4]) *Log.*, part. I, sect. IV, c. 6, § 450, ed. cit.

[5]) *Syst. log.* (angl.), lib. IV, c. 2, § 1, p. 210, et 216, ed. 3, Lond. 1829.

[6]) *Lezz.*, lez. LVII, vol. I, p. 314, ed. cit.

[7]) *Log.*, lib. II, sect. IV, c. 3, art. 2, § 2. n. 1002, p. 315, ed. cit. Hic tenuit inductionem ad enthymema, tanquam speciem ad genus, pertinere, quippe quod, missis aliis rationibus, quae ad hanc partem logicae non spectant, in enthymemate aut propositio, aut assumptio omittitur, in inductione autem semper propositio. Vid. *ibid.* not. (3).

[8]) *Manuel de phil., Log.*, c. 6, p. 252, Paris 1846.

[9]) *Essais* etc., Ess. X, § 4, vol. II, p. 418, Paris 1842.

saltem incompletam, hoc est, illam, in qua non omnes partes enumerantur, ad merum enthymema revocasse videtur [1]. B. Albertus M. [2], s. Thomas [3], Scotus [4], et cum his plerique posteriores Interpretes [5] tenuerunt Aristotelem inductionem, et syllogismum, tamquam duas species argumentationis, seu syllogismi universe accepti habuisse, eiusque opinionem esse veritati apprime consentaneam. Id ipsum Hamiltonus [6], Ravaissonus [7], Malletus [8], Martinius [9], Ad. Franck [10], Buchezius [11], aliique tuiti sunt; nec aliter visum est doctissimo Trendelenburgio [12], ceterisque Germanis, qui hodie in excolenda Aristotelis doctrina eum ducem sequuntur.

Iamvero, nobis, diversis hisce sententiis excussis, cum Alberto M., s. Thoma, aliisque, quos innuimus, omnino sentiendum esse videtur. Et primo, Aristotelem opinionem eorum, qui inductionem cum enthymemate confundunt, haud propugnasse certo certius est. Namque Aristoteles, praeterquam quod haud docuit enthymema esse syllogismum, in quo propositio omittitur, inductionem, ut mox ostensuri sumus, ex tribus enunciationibus con-

---

[1]) *Op. cit.*, ibid., p. 413 sqq, necnon *Bacon, sa vie, son temps, sa philosophie* etc., lib. III, c. 3, p. 335, et 336, Paris 1857.

[2]) « Est autem haec una quaedam species ratiocinationis dialecticae inductio, illa vero syllogismus »; *Top.* lib. I, tract. III, c. 4.

[3]) *In lib. I Post.*, lect. III.—[4]) *In lib. II Prior.*, q. VIII, n. 5, et 8.

[5]) Vt unum, et alterum exemplum afferamus, Fratres Discalceati Collegii Complutensis data opera demonstrarunt inductionem, et syllogismum « sortiri dispositiones essentialiter diversas, et ex consequenti specifice differre »; *Dispp. in Arist. dialecticam*, lib. III, c. 1, et 2, Lugduni 1637.

[6]) *Fragm., Log.*, p. 250-254, ed. cit.

[7]) *Op. cit.*, lib. III, c. 2, t. I, p. 499-501.

[8]) *Études philos.*, t. I, p. 216, Paris 1844.

[9]) *Philosophie spirit. de la nature*, part. I, c. 9, p. 115 sqq, Paris 1849. — [10]) *Diction. phil.*, art. *Induction*, t. II, p. 259, et 260.

[11]) *Traité complet de phil. du point de vue du catholicisme, et du progrès*, lib. II, c. 1, § 14, t. I, p. 393 sqq, Paris 1838.

[12]) *Elem. log.*, § 35, p. 107, et 108; cf eiusdem, *In lib. I Arist. De Anim.*, c. 1, § 2, p. 197, et 198, ed. cit.

flari luculenter docuit. At, seposita Aristotelis doctrina, formula, ad quam Wolfius inductionem revocavit, omnino absurda est. Enimvero, in qualibet ratiocinatione distinguere oportet enunciationem universalem, quae illius est fundamentum, ab enunciationibus, quae eius elementa sunt; si quidem, ut s. Thomas advertit, enunciatio, quae officio fundamenti fungitur, structuram ratiocinationis non ingreditur, sed principium evidens complectitur, cui veritas logica ipsius ratiocinationis innititur [1]. Id in primis argumento ex concessis probatur. Nam, si principium, ex quo veritas syllogismi deductivi pendet, ipsis adversariis concedentibus, syllogismum, tamquam pars eius, non ingreditur, ne illud quidem principium, ex quo pendet veritas syllogismi inductivi, partem, seu elementum inductionis esse tenendum est; si quidem eamdem esse utriusque principii rationem ipsimet adversarii diffiteri non possunt, nec re ipsa diffitentur. Praeterea, argumento ex eiusdem Wolfii logicis pronuntiatis demonstratur. Et sane, omnis ratiocinatio sive inductiva, sive deductiva circa aliquam specialem materiam versatur, et, quoniam conclusio praemissis continetur, praemissae in eadem, ac conclusio, materia versari debent. Atqui pronuntiatum, quod nos fundamentum inductionis esse diximus, et Wolfius, eiusque sectatores propositionem inductionis esse volunt, est axioma commune, hoc est, ut in secunda parte videbimus, axioma, quod circa nullam specialem materiam versatur. Ergo illud pronuntiatum, quod fundamentum inductionis esse diximus, officium propositionis in inductione praestare non potest. Quamobrem omnino dicendum est illud pronuntiatum, *quod competit, vel non competit singulis inferioribus, id etiam competit, vel non competit omni superiori, sub quo continentur*, non esse propositionem inductionis sive tacitam, sive expressam, sed esse dumtaxat principium,

[1]) « Fundamentum, quantum ad ordinem, praecedit alias par« tes; et quantum ad virtutem... totum aedificium sustentat »; *In lib. III Sent.*, Dist. XXIII, q. II, a. 5 ad 2.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

quod veritatem formalem inductionis firmat, hoc est legem, seu conditionem, sine qua forma propria syllogismi inductivi existere nequit.

Error Wolfii planior fiet, si formulae, quas ipse tum pro inductione aiente, tum pro inductione negante statuit, attente considerentur. Formula pro prima haec est: *Hoc convenit singulis inferioribus. Ergo convenit omni superiori*; sive *Singula A sunt B. Ergo omne A est B.* Formula autem pro secunda est: *Hoc non convenit singulis inferioribus. Ergo non convenit omni superiori;* seu *Singula A non sunt B. Ergo nullum A est B* [1]. Iamvero, perspicuum nobis videtur consequens secundum hasce formulas latius, quam antecedens, patere; si quidem concludi non potest *omne a* esse *b*, aut *nullum a* esse *b*, nisi *singula a*, quae in antecedente numerata sunt, esse *omne b* ante statutum fuerit. Vnde enunciatio, quae in inductionibus secundum illas formulas concinnatis subintelligitur, non est illud axioma commune: *quidquid convenit singulis inferioribus, convenit omni superiori, quo illa singula continentur*, et contra; sed est haec enunciatio: *Singula A sunt omne B.* Iuvat, maioris perspicuitatis gratia, allatas formulas aliquo exemplo illustrare, in quo propositio etiam significatur. Si quis tres angulos omnis trianguli esse aequales duobus rectis inductione demonstrare vellet, inductionem secundum Wolfium hoc modo concinnare deberet: *Quidquid competit singulis inferioribus, id etiam competit superiori. Atqui triangulo rectangulo, triangulo obtusangulo, et triangulo acutangulo habere tres angulos aequales duobus rectis competit. Ergo omni triangulo habere tres angulos aequales duobus rectis competit.* Iam, nemo non videt in praemissis huius syllogismi non inveniri subiectum conclusionis, nempe *omne triangulum*, sed dumtaxat praedicatum eius, hoc est, *habere tres angulos aequales duobus rectis*, atque idcirco

---

[1]) *Op. cit.*, ibid.

subiectum, et praedicatum conclusionis non comparari cum termino medio in praemissis, prout natura cuiuslibet ratiocinationis expostulat. Id ipsemet Aristoteles nos monuit, ubi advertit eum, qui novit cum triangulum rectangulum, tum obtusangulum, tum denique acutangulum aequare duos rectos, non scire *ratione formae*, κατ' εἶδος, tres angulos omnis trianguli aequare duos rectos, sed tantum *secundum numerum*, κατ' ἀριθμόν, quia nondum novit, an sint plura triangula, quam quae expertus est, et quod ad essentiam trianguli spectet habere tres angulos aequales duobus rectis [1].

Cum haec ita se habeant, profecto Aldrichius [2], eiusque abbreviatores oxonienses [3] minus, quam Wathelius, eiusque asseclae, a veritate aberrarunt. Hi enim nonnullos posteriores Scholasticos secuti, docuerunt enunciationem, quae in inductione subintelligitur, esse minorem, non vero maiorem, et minorem in eo consistere, quod inferiora, in maiori enumerata, totum superius, quo continentur, constituere asserat. Ita in exemplo allato, Aldrichii sententias, maior est: *Tres anguli trianguli rectanguli, trianguli obtusanguli, et trianguli acutanguli duos rectos aequant.* Minor autem, quae subintelligitur, est haec: *Triangulum rectangulum, triangulum obtusangulum, et triangulum acutangulum sunt omne triangulum.* Conclusio denique: *In omni triangulo tres anguli duos rectos aequant.* Diximus Aldrichium minus a veritate aberrasse, non veritatem consecutum esse; si enim inductio re ipsa esset syllogismus, in quo aliqua praemissarum omittitur, procul dubio haec

---

[1]) *Anal. post.*, lib. I, c. 5, t. II, p. 9.

[2]) *Compendium logicae*, apud Hamiltonum, *Op. cit.*, ibid., p. 260.

[3]) Vid. *Artis logicae rudimenta* cum adnott. Hill, Oxonii 1828; Bentham, *Specimen novi systematis logicae* etc. (angl.), Londini 1827; Huyshe, *Tractatus logicae secundum principia Aldrichii* cum adnott. etc. (angl.), Oxonii 1833; *Quaestiones circa log.* (angl.), aliosque, quos videre licet apud Hamiltonum, loc. cit.

praemissa non alia enunciatio, nisi quam Aldrichius proposuit, esse posset. At falsum est inductionem a syllogismo hanc ob causam discriminari, quod in ea sive propositio, sive assumptio omittitur. Enimvero, quoniam inductio, perinde ac syllogismus, actionem intellectus ignotum a noto elicientis significat, ea profecto tot enunciationes exhibere debet, quot sunt iudicia, quibus intellectui ad ignotum e noto eliciendum opus est; alioquin actionem intellectus perfecte non exhiberet. Atqui ad ignotum e noto eliciendum tria iudicia, ut diximus, expostulantur. Ergo inductio tres enunciationes, non secus ac syllogismus, complecti debet. Quod si quandoque in inductione aliqua praemissarum omittitur, id non est formae logicae eius tribuendum, sed commodo disserentis, quem aliquam praemissam intellectui auditorum obviam praetermittere interdum iuvat. Verum, quoties inductio, prout forma propria eius expostulat, effertur, non pauciores, quam tres, enunciationes contineat necesse est.

Quandoquidem vidimus inductionem non esse syllogismum, in quo aliqua praemissa omittitur, sed tres in ea, perinde ac in syllogismo, enunciationes inveniri, altera quaestio instituenda nobis est, num inductio *ratione formae* a syllogismo differat, et, si ipsam ab hoc differre compertum fuerit, quid sit, in quo differentia consistit.

Quisquis ex se facile intelligit Logicos asserentes inductionem esse syllogismum, in quo alterutra praemissa omittitur, nullum verum discrimen inter inductionem, et syllogismum agnovisse; si quidem expressa enunciatione, quae praetermissa erat, inductio in purum, putumque syllogismum evadit. Re vera, Wathelyus saepe inculcavit inductionem esse purum, putumque syllogismum in *barbara*, quia in ea propositio est universalis aiens, scilicet *id, quod cunctis individuis aliqua specie comprehensis convenit, speciei, ad quam ea pertinent, etiam convenit*, universalis aiens est quoque as-

sumptio , quippe cuius subiectum cuncta individua certa specie comprehensa complectitur , universalis conclusio , quia huius subiectum est species , cui individua in assumptione enumerata subiiciuntur [1]. Verum, Wallisius longe ante Wathelyum, aliosque modo laudatos Oxonienses, et non pauci eorum, qui in inductione, non secus ac in syllogismo , tres propositiones admiserunt , in ea sententia versati sunt inductionem esse purum , putumque syllogismum tertiae figurae , et modi , qui *darapti* nuncupatur, quia ipsa ex duabus *a*, nempe universalibus aientibus conclusionem *i* , nempe particularem aientem colligit [2]. Alii autem recentes , quibus Barth. Saint-Hilaire pollicem pressit [3], senserunt inductionem a syllogismo quidem distingui , sed commode posse revocari ad syllogismum tertiae figurae , quia medium in ambabus eius praemissis officio subiecti fungitur.

Iamvero , in primis Aristotelem inductionem , et syllogismum pro duabus speciebus ratiocinationis, sive syllogismi universe sumti habuisse certum nobis videtur. Etenim ipse , ut ex locis ante allatis perspicere licet , luculenter asseruit inductionem quodam modo opponi syllogismo, atque hanc oppositionem ex duobus potissimis capitibus enasci. Quorum primum est , quod inductio progreditur ab iis , quae notiora sunt nobis , nempe a singularibus , syllogismus autem ab iis , quae sunt natura seu per se notiora , nempe ab universalibus ; alterum vero , quod syllogismus cum medio , et inductio sine medio concludit. Hanc ob causam nomen syllogismi, quod latine, ut diximus, *ratiocinatio* redditur modo, tanquam proprium ratiocinationi deductivae, modo , tanquam commune ratiocinationi deductivae , et ratiocinationi inductivae , usurpavit [4]. Duplicem hunc usum

---

[1]) *Op. cit.*, ibid.

[2]) *Institutio logica*, lib. III, c. 15, p. 204 sqq, Oxonii 1702.

[3]) *Logic. d'Arist.*, trad. etc., *Pref.*, t. I, p. LVIII, et not. in *Anal. prior.* lib. II, c. 18, t. II, p. 325 sqq.

[4]) Re vera, inductionem quandoque, *syllogismum ex inductione*

vocis syllogismi Albertus M., secundum Stagiritam, luculenter adnotavit, ubi, postquam rationes exposuit, quarum causa inductio, et syllogismus sibi opponuntur, inquit: « Syllogismo enim communiter dicto non oppo-« nitur inductio : quin immo sic sumendo syllogismum « est verum dicere, quod inductio et syllogismus, sed « syllogismo proprie dicto opponitur inductio [1] ».

Num haec doctrina Aristotelis, quam nobiliores Scholastici amplexati sunt, et nonnulli nuperi post Hamiltonum propugnarunt, veritati consentanea sit, nosse volentibus structura inductionis cum structura syllogismi conferenda nobis est ; ex hac enim comparatione intelligere nobis licebit, utrum forma inductionis a forma syllogismi specie differat, an sit eadem cum ipsa, vel saltem ad ipsam reducatur.

Quandoquidem in syllogismo unum ab alio colligitur, eo, quod unum in alio contineri perspicitur, oportet terminos syllogismi perfecti hunc ordinem inter se servare, ut in propositione medium cum attributo conclusionis, atque in assumptione subiectum eiusdem conclusionis medii ambitu comprehendi intelligatur. E. g., si ad quaestionem *de simplicitate animae humanae* syllogismo resolvendam conceptum *cogitationis*, tanquam medium, sumpseris, patefaciendum tibi est in propositione notionem *cogitationis* cum notione *simplicitatis*, quae est attributum quaestionis, convenire, et in assumptione animam humanam, quae est eiusdem quaestionis subiectum, sub rerum, quae *cogitatione* pollent, genere comprehendi ; inde enim colligere tibi licet in conclusione notionem *simplicitatis* cum notione *animae* convenire. Quapropter syllogismus, qui, sumpto medio cogitationis, animam esse

---

vocavit (ὁ ἐξ ἐπαγωγῆς συλλογισμὸς; *Anal. prior.*, c. 23, p. 256). Vnde appellatio *syllogismi inductivi* apud Albertum M. (in *Prior. anal.* lib. II, tract. VII, c. 4) aliosque Scholasticos derivata est.

[1]) In *Prior. anal.* lib. II, tract. VII, c. 4.

simplicem ostendit, conficiendus est hoc modo: *Quidquid cogitat, est simplex; anima humana cogitat; ergo anima humana est simplex.* Ex quo schemate apparet medium, dum rationem exhibet, propter quam extrema in conclusione connectuntur, ab his tamen luculenter distingui. At vero, quoniam in inductione illud de toto in consequenti enunciatur, quod in antecedenti singulis partibus, eius convenire compertum est, oportet, ut in propositione attributum quaestionis propositae cum singulis partibus quae officium medii praestant, coniungatur, atque in assumptione statuatur huiusmodi partes efficere subiectum quaestionis, quod est totum ex illis partibus conflatum, unde in conclusione attributum cum toto consentire colligitur. En exemplum ab Aristotele allatum, quo Iulius Pacius, inter *Organi* interpretes praestantissimus, concinnavit hunc in modum: *Omnis homo, equus, mulus est longaevus; omnis homo, equus, mulus vacat bile, quidquid vacat bile, est longaevum* [1]. Hoc schema luculenter patefacit medium, quod in ambabus praemissis est subiectum, rationem continere, ob quam attributum in conclusione cum subiecto coniungitur; et simul unum, idemque esse cum subiecto, quia partes, quae in praemissis officio medii funguntur, constituunt illud totum, quod subiectum conclusionis est. Iuvat prae oculis ponere schemata utriusque argumentationis, quae, secundum Balforeum [2], aliosque recentes aristoteleos [3], Hamiltonus confecit: Ind. *Omnis homo, equus, mulus est longaevus: omnis homo, equus, mulus est quidquid vacat bile; quidquid vacat bile, est longaevum.* Syll. *Quidquid vacat bile, est longaevum; omnis homo, equus, mulus vacat bile; ergo omnis homo, equus, mulus est longaevus* [4].

Ex his primo intelligis, quam gnaviter Aristoteles

---

[1]) *In lib. II Anal. Post.*, c. 23, Francofurti 1597.
[2]) *In lib. II Prior. Anal.*, c. XV, p. 496, et 497, ed. cit.
[3]) Vid. Wallis, *Op. cit.*, ibid.
[4]) *Op. cit., Fragm.* cit., p. 250, et 251.

sanxerit syllogismum , et inductionem in eo sibi opponi, quod ille, interiecto medio (B), summam notionem (C), nempe praedicatum , notioni infimae (A), nempe subiecto , inesse demonstrat , haec vero summam notionem (C) notioni mediae (B), per tertiam , seu infimam notionem (A) vindicat [1]. Et sane, schemata, quae modo adduximus , contemplanti apparet *quidquid vacat bile* esse extremum minus in inductione , quia est id , de quo aliquid in conclusione praedicatur , et esse medium in syllogismo, quia tam in propositione, quam in assumptione invenitur, atque e contrario , *omnis homo*, *equus*, *mulus* esse medium in inductione, quia invenitur in utraque praemissa , et esse extremum minus in syllogismo , quia est in eo dumtaxat subiectum assumptionis. Iamvero, quoniam id, quod est medium in syllogismo, est extremum minus in inductione , et contra, liquet terminos inductionis ita se habere ad terminos syllogismi, ut in ea extremum maius (C) de eo , quod est medium (B) in syllogismo, per id, quod in eodem syllogismo est extremum minus (A), praedicetur.

Ex his primo intelligitur locum laudatum Stagiritae , ut Balforeus advertit [2], non illud sibi velle , quod medium in inductione conclusionem ingreditur , sed quod id , quod minus extremum , nempe subiectum conclusionis in inductione est, officium medii in syllogismo praestat. Ad quam rem scire oportet Aristotelem inductionem in *Analyticis* ex ea parte potissimum considerasse, quatenus principia syllogismis suppeditat ; si quidem conclusiones inductionum , eius sententia , uti ante in-

---

[1]) *Anal. prior.*, lib. II, c. 23, t. I, p. 256, et 257 ed. Waitz. Albertus M. in h. l. inquit: « inductio, et syllogismus, qui est ex « inductione, est alterum extremum de medio per alteram, sive « tertiam extremitatem syllogizare. Dico autem tertium: quia « tria sunt primum, et medium, et tertium: et syllogizatur in « syllogismo inductivo primum de medio per tertium »; In *Prior. anal.* lib. II, tract. VII, c. 4.

[2]) *Op. cit.*, ibid., p. 496.

nuimus, atque ex schematis modo allatis patescit, sunt principia syllogismi. Iam, cum conclusio inductionis in propositionem syllogismi transmigrat, id, quod est extremum minus in inductione, evadit medium in syllogismo, quippe quod subiectum conclusionis in syllogismo perfecto est semper extremum minus, et subiectum propositionis est semper medium.

Secundo, illud quoque perspicis, cur ab Aristotele dictum sit inductionem versari in iis, « quorum non « est medium », proindeque ipsam esse syllogismum, « primae, et immediatae propositionis [1] ». Gratryus, ne in dubium quidem vocavit, quin Aristoteles inductionem sine ullo medio fieri existimasset, eamque esse voluit ipsissimam διαλεκτικὴν τὴν πορεῖαν [2], *dialecticam progressionem*, sive μέθοδον [3], *methodum*, qua mens humana a factis, in sensus incurrentibus, nempe, ut aiunt, *a conditionali*, ἐξ ὑποθέσεως ad aliquid absolutum, sive, ut aiunt, *inconditionatum*, ἀνυπόθετον [4], avolat [5]. Waddingtonus vero censuit Aristotelem duas inductiones admisisse, earumque unam *immediatam*, et *spontaneam*, qua principia demonstrationis cognoscuntur, et alteram syllogismo valde adfinem, quae per partium enumerationem progreditur, quaeque, quoties enumeratio integra est, recte, riteque concludit [6]. Ipse ratus quoque est Aristotelem in anima agnovisse quamdam facultatem divinam, cuius ope inductionem spontaneam conficit [7]. Cum Gratryus porro, tum Waddingtonus post Royer-Collardum, aliosque paucos, ut infra videbimus, pugnarunt non aliam inductionem esse veram, et utilem, nisi illam, quae sine ullo medio fit, quaeque a Plato-

---

[1]) *Op. cit.*, ibid.
[2]) *Repub.*, lib. VII, p. 532, ed. H. Steph., Parisiis 1578.
[3]) *Ibid.*, p. 533.
[4]) *Ibid.*, lib. VI, p. 509.
[5]) Vid. *Op. cit.*, lib. IV, c. 1, et 2, p. 1 sqq.
[6]) *Op. cit.*, Ess. VI, c. 2, § 1, p. 253.
[7]) *Ibid.*, c. 1, § 2, p. 221, ed. cit.

ne, et Aristotele profecta, et a nonnullis eximiis Philosophis in recenti aetate exculta fuit.

Sed omnino falsum est Stagiritam vel non aliam inductionem, nisi *immediatam*, vel duas inductiones, nempe unam *immediatam*, et alteram *mediatam* tradidisse. Etenim ipse structuram inductionis explanans, docuit, ut iam ostensum est [1], in ea, non secus atque in syllogismo, tres terminos inveniri, quos iisdem, ac terminos syllogismi, litteris, scilicet A, B, C designavit, illosque hunc ordinem inter se habere ostendit, ut unum in altero per tertium inesse, aut non inesse significent. Atqui, cum unum in altero per tertium inesse, aut non inesse cognoscitur, convenientiam, vel discrepantiam unius cum altero *cum medio*, non vero *sine medio*, hoc est, *mediate*, non vero *immediate* cognosci manifesta res est. Inductio igitur, prout ab Aristotele explicata fuit, non immediatam, sed mediatam cognitionem gignit. Quod si Aristoteles inductione mediatam cognitionem gigni docuit, ipsam sine medio construi docere non potuit. Nec quemquam movere debet, quod inductionem esse syllogismum immediatae, et primae propositionis asseruit. Etenim, quemadmodum Saint-Hilaireus [2], Remusatus [3], et Ravaissonus [4] observarunt, subiectum conclusionis in inductione est idem cum medio, quia illud complectitur totum, hoc vero partes, quae totum constituunt. Iamvero, si subiectum conclusionis idem est cum medio, nihil prohibet, quin conclusionem inductionis esse propositionem immediatam secundum Stagiritam dicatur, ob idque etiam a syllogismo discriminetur, quia, cum in syllogismo subiectum conclusionis aliud, ac medium, sit, conclusio eius nonnisi veluti mediata propositio intelligi potest [5]. Id Philosophi Complutenses longe ante

---

[1]) P. 309.
[2]) *Op. cit.*, *Prèf.*, t. I, p. LVIII, LIX, et CXIII-CXV.
[3]) *Essais* etc., loc. cit., p. 414.
[4]) *Op. cit.*, ibid.
[5]) Cf Albertum M., *Op. cit.*, ibid., ubi illud quoque advertit

laudatos nuperos praeclare explicuerant his verbis, quae hic praeterire nefas foret : « Neque enim ibi (*in inductione*) proprie dantur extrema, inter se unita, quae « prius coniunguntur cum alio medio, sed loco plurium « terminorum singularium, qui sunt in antecedente, ponitur in consequente terminus communis aequivalens. « Vnde propria inductionis dispositio praecise consistit « in eo quod substituatur in consequente propositio aequivalens antecedenti [1] ». Nihil quoque probant alia loca Stagiritae, quae Gratryus adduxit [2], et ad quae fortasse Waddingtonus digitum intendit [3]. Nam Gratryus, omisso loco, in quo Aristoteles *formam*, seu structuram inductionis exposuit, illa excripsit, in quibus docuit inductionem a singulis ad universale progredi, ob idque principia syllogismo praebere, quippe qui ab universali ad particularia, vel singula descendit. At vero, Stagirita nec in his, nec in aliis locis unquam asseruit in inductione progressionem a singulis ad universale *immediate* fieri, et nullibi docuit, ut Waddingtonus contendit [4], inesse animae aliquam specialem facultatem, cuius ope illam progressionem efficit. Quin immo, ea, quas in cap. ultimo *Analyticorum* de actionibus, per quas mens humana a singulis ad universale in inductione progreditur, breviter edisseruit, a facultate, seu sensu divino, a

---

conclusiones inductionum ex eo, quod immediatae sunt, principia syllogismorum, seu demonstrationum esse.

[1]) *Op. cit.*, lib. III, c. 2, ed. cit.

[2]) Ea sunt, quae exscripsimus p. 299.

[3]) Hic loca Aristotelis non laudavit; sed certe, quod ad inductionem spontaneam, innuere voluit *Anal. post.*, lib. II, c. 19 (p. 76-78, ed. Waitz), et quod ad mediatam, *Anal. pr.*, lib. I, c. 23 (p. 256 ed. cit.), aliqua loca, quae p. 298, et p. 299 laudavimus.

[4]) Ne de hac re quidem ulla loca citavit, ex quibus ad laudatam doctrinam Aristoteli adscribendam permotus fuit. Ea fortasse sunt, *De gener. animal.*, lib. II, c. 3, et *De part. animal.*, lib. II, c. 10 (ed. Brandis); sed quam perversa, et absurda sit haec illorum interpretatio, in *Dynamilogia* ostendemus.

Waddingtono commemorato, quam longissime distant. Idem vero Waddingtonus, quid eum ad duplex inductionis genus Aristoteli tribuendum compulerit, non significavit. Nobis, ni fallimur, ex eo permotus esse videtur, quod Aristoteles ipsam cum argumentationi *apodicticae*, nempe scientificae, tum argumentationi *dialecticae*, nempe probabili, inservire tradidit [1]. At, si haec est opinio Waddingtoni, nae ipse vehementer deceptus est. Enimvero, Aristoteles inductionem demonstrativam, et inductionem dialecticam, sive, ut quoque aiunt, topicam non ratione formae, sed ratione materiae inter se discriminavit. Nam ipse, cum in *Anal. prior.* in quibus *formas* diversarum argumentationum investigavit, unicam *formam* inductionis explicans, satis, superque innuit unicam esse structuram inductionis, sive *apodicticae*, hoc est, demonstrativae, de qua in *Anal. poster.*, sive *dialecticae*, hoc est, probabilis, de qua in *Topic.* tractavit. Huius interpretationis vadem dare possumus Albertum M., qui asseruit Stagiritam in *Anal. prior.* inductionem explicuisse universe spectatam, nempe prout demonstrationi, et dialecticae communis est, atque in *Topic.* ex ea parte tantum, quatenus ad dialecticam pertinet [2].

Ea, quae ad germanam opinionem Aristotelis explicandam, vindicandamque statuimus, fieri nunquam posse, ut ulla inductio sine medio construatur, evidenter commonstrant. Et sane, non potest, uti ante ostendimus, per enumerationem partium quidquam de toto concludi, nisi conclusioni quae enunciationes praecedant, quarum una patefaciat aliquid partibus convenire, aut non convenire, altera autem omnes partes enumeratas esse, quae totum constituunt. Atqui in duabus his enunciationibus, praeter terminos maiorem, et minorem, terminus medius quoque invenitur. Nam, si id, quod

---

[1]) *Op. cit.*, Ess. cit., c. 2, § 1, p. 253.
[2]) *Op. cit.*, ibid.

de partibus in antecedenti, et de toto in conclusione praedicatur, constituit terminum maiorem, et *omne*, seu totum, quod ex partibus constat, terminum minorem, procul dubio partes terminus medius sunt; si quidem, cum de partibus et terminus maior, et terminus minor praedicentur, partes ille terminus sunt, cum quo terminus maior, et terminus minor comparantur, scilicet terminus medius. Frustra obiicitur partes eumdem terminum cum toto efficere, quia ipsae a toto, quod constituunt, non distinguuntur. Etenim, etsi totum a partibus, quae ipsum, prout totum est, efficiunt, re ipsa non distinguatur; tamen licet nobis partes seiunctas a toto intelligere [1]; unde fit, ut alius sit conceptus partium, alius vero conceptus totius, quod ex ipsis conflatur [2]. Atqui termini in omni ratiocinatione, seu syllogismo, ut iam ostensum est, considerantur tanquam conceptus, non tanquam res, quia logica non naturas rerum, sed ordinem, quem intellectus inter conceptus rerum ponit, expendit. Ergo alius in inductione logice spectata est terminus, qui significat partes, alius autem terminus, qui significat totum, quod ex ipsis componitur. Iam, si terminus, qui partes, et terminus, qui totum significat in inductione, diversi sunt, nihil certe prohibet, quin in ipsa ille medii, hic minoris officium praestet.

Excusso primo capite huius quaestionis, alterum aggrediamur, scilicet num inductio ad syllogismum revocari queat. Logicorum, qui hanc reductionem admittunt, nonnulli, uti innuimus, sentiunt inductionem reduci ad syllogismum tertiae figurae, iique sunt, qui inductionem a syllogismo specie differre contendunt. Alii autem volunt inductionem reduci ad syllogismum pri-

---

[1]) « Dicendum, s. Thomas ait, quod partes originaliter sunt « priores toto, quasi constituentes ipsum »; *In lib. III Sent.*, Dist. II, q. II, a. 1, *sol.* 3 c.

[2]) « Totum, idem sanctus Doctor subdit, proprie loquendo, « non est suae partis, sed aliquid ex partibus constitutum »; *Op. cit.* Dist. cit., q. I, a. 3, *sol.* 3 ad 3.

mae figurae; sed hi non omnes ob eamdem rationem. Nam qui putant inductionem esse syllogismum obtruncatum, sive enthymema, tenent, expressa propositione, quae praetermissa erat, inductionem in syllogismum tertiae figurae mutari; ii autem, qui secundum doctrinam, quam tuiti sumus, tres enunciationes in syllogismo admittunt, sentiunt ipsam in syllogismum primae figurae mutari, si conclusio in locum propositionis, et propositio in locum conclusionis transferatur, quemadmodum in schematis ante allatis videre licet. Ast utraque opinio reiicienda est; inductio enim neque ad ullum syllogismum tertiae figurae, neque ad ullum primae revocari potest. Et primo, quamvis in inductione, perinde ac in syllogismis tertiae figurae, medius terminus in utraque praemissa sit subiectum: tamen inductiones, uti Albertus M. advertit [1], ad syllogismos tertiae figurae reduci non possunt, quia in his conclusio est semper particularis, in illis autem semper universalis. Nec iuvat Balforeum, aliosque Scholasticos asserere, quod, cum extrema in inductione reciproca sint, inductio potest tanquam syllogismus tertiae figurae spectari, etiamsi eius conclusio sit universalis. Nam, ipso Aristotele monente [2], quoties extrema in syllogismo tertiae figurae reciproca sunt, non repugnat conclusionem in ipso esse universalem, quia, cum liceat assumptionem, ob naturam reciprocam terminorum, converti, syllogismus primae figurae effici potest. Ita, si in exemplo aristotelico inductionis assumptio convertatur, inde hic syllogismus primae figurae existet: *Omnis homo, equus, mulus est longaevus; quidquid vacat bile, est omnis homo, equus, mulus; ergo quidquid vacat bile, est longaevum.* Verum, huiusmodi reductio, ipso Balforeo fatente, non « ex ratione formae » sed « ex conditione materiae universalis » fieret, quippe quod ex consideratione materiae dumtaxat patescere potest, utrum, necne extrema reciproca sint; re-

---

[1]) *Op. cit.*. ibid, — [2]) *Op. cit.*, ibid.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ductio autem , uti ex dictis patet , formam , non vero materiam syllogismi spectat. Secundo, absurda quoque est posterior opinio, sive haec secundum wolfianos, et reidianos, sive secundum Balforeum , aliosque posteriores peripateticos , accipiatur. Certe , si primo modo explicetur, sine ullo examine mittenda nobis est. Namque, ut iam vidimus , quoties alterutra praemissarum in inductione ob aliquam causam omittitur, haec esse non potest pronuntiatum commune ; quod Wolfius in inductione subintelligi dixit , aut pronuntiatum proprium , cuius vi intellectum a singulis ad universale progredi Reidius voluit. Sin secundo modo explicetur, advertendum est cum eodem Alberto M. huiusmodi reductionem fieri non *ratione formae*, sed *ratione materiae*. Enimvero, conclusione , et propositione loco inter se mutatis , eadem remanet materia, quia iidem termini, eaedemque enunciationes manent, sed mutatur forma, quia , praeterquam quod enunciationes locum mutant , non terminus maior de medio per minorem , uti antea , sed maior de minore per medium praedicatur. « Dicendum , laudatus « Doctor scribit, quod inductio in syllogismum reducitur « materialiter , et non formaliter , ita quod forma in- « ductionis reducatur in formam syllogismi : sed quia « materia nunc existens sub forma inductionis reduci- « tur ad acceptionem formae syllogisticae » ; et paucis interiectis : « ideo , cum inductio reducitur in ipsum , « non salvatur in eo natura syllogismi proprie dicti se- « cundum modum , hoc est secundum quod est osten- « dere in ipso primum de medio per tertium : quod « proprium est inductionis [1] ». Iam , quoniam reductio formam , non vero materiam syllogismi spectat , inductionem ad syllogismum revocari non posse cum Alberto M., aliisque Scholasticis, et nupero Hamiltono omnino tenendum est.

Haec de prima quaestione satis sunto ; in praesentia

---

[1]) *Op. cit.*, ibid.

quaeramus necesse est, utrum inductio, ab Aristotele in *Anal. prior.* exposita, sit illa, quam recentes *completam*, an illa, quam *incompletam* vocant. Vt status huius secundae quaestionis, quae ad intelligendum naturam, utilitatemque inductionis maximi momenti est, scite cognoscatur, sciendum est recentes Logicos, ut apud Wolfium videri potest [1], inductionem in *completam*, et *incompletam* divisisse. Inductio, eorum sententia, completa dicenda est, cum in antecedenti numerantur omnes res singulares, quae alicui speciei, vel omnes species, quae alicui generi subiiciuntur; incompleta autem, cum antecedens non complectitur integram singularum rerum, aut specierum enumerationem. Ita, inductione completa utuntur Geometrae, ubi statuunt angulum ad centrum esse deplum anguli ad circuitum eidem arcui insistentis; in tribus enim modis, quibus angulus ad circuitum potest crura dimittere ad arcum, cui angulus ad centrum innititur, hoc verum esse demonstrant. Contra, inductione incompleta probant Physici omnia corpora esse gravia, quia cuncta corpora experiri haud possibile est.

Iamvero, non pauci e Schola Baconis, inter quos Stewartius, et Bouilletus numerantur, putarunt Aristoteli, ceterisque Philosophis ante Baconem non aliam inductionem perspectam fuisse, nisi *completam*, nempe illam, quae, ut ipse ait, per omnium partium enumerationem, διὰ παντῶν, fit [2], atque a Bacone tandem inductionem incompletam detectam, explicatamque esse, atque ad scientiarum usum accommodatam [3]. Quoniam vero ip-

---

[1]) *Op. cit.*, ibid., § 449.—[2]) *Anal. prior.*, lib. II, c. 23, p. 236 ed. cit.

[3]) Vid. Stewart (*Op. cit.*, ibid., p. 239, et 240, ed. cit.), et Bouillet (*Oeuvr. phil. de Bacon*, t. II, *Introd.*, Paris 1834). Hi, ut ante innuimus, inductioni aristotelicae, et inductioni baconianae nomen commune esse, sed rem nomine significatam prorsus diversam pertendunt. Hanc gloriam iam Baco sibi tribuerat. Ait enim: « *Cogitavit et illud* (Baco) restare *inductionem*, tanquam ultimum, « et unicum rebus subsidium, et refugium. Verum et huius *no-*

si in ea sententia versati sunt inductionem completam esse futilem, et supervacaneam, atque e contrario incompletam progressui scientiarum valde utilem, Baconem summis laudibus prosecuti sunt, eo quod primus Philosophorum veram inductionem descripsit, methodumque inductivam cultoribus scientiarum naturalium commendavit. Ast Hamiltonus Stewartio, aliisque concessit Stagiritam, veteresque peripateticos non aliam inductionem, nisi completam, explicuisse, sed contendit illos hanc ob causam nedum vituperatione, laude dignos esse, quia non alia inductio, quam completa, in logica admitti potest [1]. Remusatius firmiter asseruit inductionem, quae ab Aristotele usque ad Collardum tradita est, non esse aliam, nisi incompletam, quia, cum singula aliqua specie, aut genere comprehensa enumerare impossibile sit, omnis inductio, quae per simplicem enumerationem partium procedit, numquam completa esse potest. Huiusmodi autem inductionem esse imperfectam, et periculis plenam argumentationem post Auctorem *Artis cogitandi* [2], existimavit, quia occurrere nobis possunt aliqua singula, quae conclusioni iam per ipsam statutae adversantur [3]. Id sane a Bacone didicit; non aliud enim hic sibi voluit, ubi ait: « Inductio, quae « procedit per *enumerationem simplicem* res puerilis est, « et precario concludit [4] », necnon a Wathelyo, qui hoc pronuntiatum Baconis in sua *Logica* amplexatus est [5].

At nos secundum Arabes, principesque Scholasticos sentimus 1° Aristotelem inductionem completam non ignorasse, sed ad incompletam maxime digitum inten-

---

« *men* tantummodo notum esse, *vim*, *et usum* homines hactenus « latuisse »; *Cogitata et Visa*, t. III, p. 28 ed. cit.

[1]) *Fragmens de phil.*, *Log.*, p. 244, et 245, ed. cit., et *Discuss. phil.*, *Log.*, p. 156-175 ed. cit.

[2]) Part. III, c. 19, p. 210 ed. cit.

[3]) *Essais* etc., Ess. cit., § 4, p. 414-417.

[4]) *N. O.*, lib. I, *aph.* CV, ed. cit., p. cit.

[5]) *Op. cit.*, ibid., p. 232, ed. cit.

disse, cum inductionem descripsit, et commendavit; 2° utramque inductionem, et potissimum incompletam quam plurimum ad scientiarum adeptionem conferre.

Principio, inductionem incompletam ab omnibus antiquis Philosophis cognitam, et frequentatam fuisse Sextus Empiricus locupletissimus testis est. Hic enim, cum vim omnium instrumentorum sciendi retundendam suscepisset, ubi ad inductionem pervenit, non aliam, nisi incompletam, impugnavit, atque ad illius vim minuendam eadem, ac recentes, argumentatione usus est [1]. Iam, nemo non intelligit eum inductionem incompletam dumtaxat impugnatum non ire, nisi illam frequentius, et fere unicam a Dogmaticis adhibitam novisset. Quod ad Aristotelem attinet, omnia, quae ipse de inductionis notione, et natura disseruit, ad incompletam maxime spectare certo certius est. Re vera, ipse dixit, et inculcavit inductionem, quippe quae a singularibus ad universale ascendit, principia praebere syllogismis, ex quibus demonstrationes fiunt, et, quoniam singularia nonnisi sensibus cognoscuntur, inductionem sensibus inniti. Ex quo confecit, animam humanam ad scientiae adeptionem hac methodo pervenire, ut primo singularia sensibus apprehendat, deinde ex singularibus ad universalia inductione assurgat, tum denique ex universalibus demonstrationes conficiat, quae scientiam pariunt [2]. Itaque inductionis usus, Stagiritae sententia, in

---

[1]) E re est hunc locum exscribere: « Per inductionem etiam « argumentandi modum facile reiici posse existimo, quoniam « enim volunt per eam probare universale ex singularibus, aut « omnia percurrentes universalia hoc facient, aut aliqua, sed si « quidem aliqua tantum persequentur, non erit firma inductio, « cum fieri possit, ut aliqua ex praetermissis singularibus in in- « ductione contraria reperiantur universali; sin omnia percur- « rere instituerint, aggredientur rem impossibilem, cum infinita « sint singularia, nullisque circumscripta terminis, itaque sic « contingit, ut utroque modo nutet, et vacillet inductio »; *Pyrrh. hypoth.*, lib. II, c. 15, sect. 204, ed. cit.

[2]) Cf *ll. citt.*, et potissimum *Anal. post.*, c. 19, et ultim. Adde

iis versatur, quae sensibus subiiciuntur, et experientiam constituunt [1]. Ast hisce in rebus integram enumerationem confici possibile non est, fieri enim nequit, ut unus, vel multi homines cunctas res, quae aliquam speciem constituunt, vel cuncta *phaenomena*, sive, ut aiunt, *facta*, quae ad aliquam legem naturae stabiliendam requiruntur, experiri possint. Ceterum longa oratione opus nobis non est; si quidem ipsemet Aristoteles, praeterquam quod inductionibus incompletis in suis libris, iisque praesertim, qui ad scientias naturae spectant, saepissime usus est [2], luculenter edixit inductiones non per integram, sed per *sufficientem* recensionem partium fieri. « Sufficienter e- « nim, ait, acceptis iis, quae apparent (ληφθέντων γάρ ἱκανῶς « τῶν φαινομένων), ita inventae sunt astrologicae demon- « strationes. Similiter se res habet in qualibet arte, et « scientia [3]. ».

Quamvis haec procul dubio sit Aristotelis doctrina; tamen ad omnem dubitationem amoliendam necesse est locum explicare, quo fautores adversae sententiae utuntur, nempe illum, in quo Aristoteles inductionem per omnium partium enumerationem, διὰ παντῶν, fieri docuit [4]. Explicatio huius loci magnum in hac controversia momentum habet; ipsa enim viam nobis sternit ad perspiciendum, quodnam sit verum discrimen, quod completam inter, et incompletam inductionem intercedit, et quaenam sit de hac re Scholasticorum doctrina.

Cum de ratiocinatione universe spectata disseruimus, tanquam rem omnino exploratam, nullique dubitationi

---

his *De Anim.*, lib. II, c. 2, p. 37, et lib. III, c. 8, p. 96, ed. Trendel.; *Eth. Nic.*, lib. I, c. 7; *Met.*, lib. I, c. 1, ed. cit., etc. Iuvat videre Franck, *Histoire de la log.*, p. 103, et 104 ed. cit., et Martin, *Op. cit.*, part. I, c. 9, t. I, p. 107 ed. cit.

[1]) « Est, s. Thomas inquit, in nobis experientia, dum singu- « laria per sensum cognoscimus »; I, q. LV, a. 5 ad 2.

[2]) Loca alias afferemus. Videsis interea Ritter, *Hist. de la phil. ancien.*, trad. par Tissot, lib. IX, c. 4, t. III, p. 173, Paris 1836.

[3]) *Anal. prior.*, lib. I, c. 30, p. 201, ed. Waitz.

[4]) *Anal. prior.*, lib. II, c. 23, p. 256, ed. cit.

obnoxiam, statuimus, quaecumque sit forma ratiocinationis, non posse in ea conclusionem latius patere, quam praemissas, quippe quod tota vis conclusionis ex praemissis pendet. Iam, cum res ita se habeat, procul dubio in conclusione inductionis enunciare non licet aliquid toti speciei, aut toti generi inesse, aut non inesse, nisi in praemissis illud cunctis individuis illa specie, aut cunctis speciebus illo genere comprehensis inesse, aut non inesse compertum fuerit; alioquin conclusio praemissas excederet. Ex quo vides inductionem recte concludere non posse, nisi plenam, et integram esse in antecedenti enumerationem partium constet. Id sane Aristoteles sibi voluit, cum inductionem per omnium partium enumerationem progredi sancivit, laudandusque est Hamiltonus, eo quod doctrinam Aristotelis hac ex parte propugnavit [1].

Verum, quisquis facile intelligit enumerationem partium in inductione, nisi cum inductio in scientiis mathematicis, et abstractis adhibetur, integram, et plenam actu esse non posse, quia, ut modo diximus, cunctas res, quae ad aliquam speciem, vel ad aliquid genus pertinent, enumerare haud possibile est. Quamobrem ab Interpretibus Aristotelis, et Scholasticis observatum est ad conclusionem in inductione obtinendam necesse non esse, ut enumeratio singulorum sit *actu* integra, sed satis esse, ut integram esse intelligatur. Nam, quoties certi esse possumus id, quod in aliquibus singularibus observavimus, ceteris eiusdem speciei experientiae nondum subiectis etiam convenire, in assumptione numerationem singulorum, tanquam plenam, et integram, intelligere, indeque conclusionem universalem elicere nobis licet [2]. Hinc Averroes in locum laudatum Aristotelis adnotavit enumerationem, Aristotelis iudicio, oportere esse integram *secundum opinionem*, non *se-*

---

[1]) *Op. cit.*, ll. citt.

[2]) « Ex multis experimentis, ait s. Thomas, universale colli-« gimus, quod est principium artis, vel scientiae »; *In lib. II Sent.*, Dist. XXIII, q. II, a. 2 ad 2.

cundum veritatem [1], quia non oportet re ipsa esse, sed « oportet *intelligere* illud ? (*terminum minorem*) id, quod « ex omnibus singularibus constat [2] ». Arabem Philosophum secutus Albertus M., scribit: « Intelligendum est « enim esse terminum, scilicet ex omnibus singularibus « ipsius medii aggregatum, sive compositum : eo quod « inductio est per omnia singularia, nullo omisso [3] ». Secundum hanc doctrinam s. Thomas advertit in inductione non oportere, ut omnia, quae ad aliquam communem notionem pertinent, enumerentur, sed satis esse, ut omnia, tanquam enumerata, sumantur, hoc est, ut enumeratio, quae per se manca est, intelligatur, quasi integra sit. « Oportet, scribit, supponere, quod accepta « sint omnia, quae continentur sub aliquo communi, « alioquin nec inducens poterit ex singularibus acceptis « concludere universale [4] ».

Haec doctrina, quam Albertus M., et s. Thomas post Averroem tradiderunt, reliquis Doctoribus Scholae probata est. Enimvero, Scotus luculenter inquit : « Inductio « non valet ad concludendum evidenter; supposito quod « inducatur in omnibus singularibus, nisi coassumatur « propositio universalis, mediante qua ex singularibus « fit syllogismus. Verb. grat. posito quod non essent, nisi « tres hominés, scilicet Socrates, et Plato, et Cicero: tunc « sequitur necessario, *Socrates currit*, *et Plato*, *currit*, « *et Cicero currit* ; *igitur omnis homo currit* ; tamen « non sequitur evidenter, nisi addatur ista universalis, « *Omnis homo est Socrates*, *et Plato*, *et Cicero*; qua « apposita, est consequens evidens [5] ». Idem venerabilis Doctor advertit: « multa principia naturalia . . . ut ista: « omnis ignis est calidus : omne grave existens sursum, « non impeditum naturaliter descendit deorsum: et con- « similia, quae facile sunt evidentia per inductionem, et

---

[1]) *Opp.* t. I, fol. 161 *verso*, Venetiis apud Iuntas 1574.
[2]) *Ibid.*, fol. 22, et 23.
[3]) *Prior. anal.*, lib. II, tract. VII, c. 4.
[4]) *In lib. II Post.*, lect. IV.—[5]) *In lib. II Prior.*, q. VIII, n. 5.

« *non in omnibus singularibus*, ut notum est [1] ». Nec quisquam, ipse pergit, obiicere posset, in inductione illud sophisma, quod *petitio principii* vocatur, admitti. Nam « in inductione, subdit, non committitur petitio princi- « pii, quia ex quo aliquae singulares res sunt notae, et « non apparet instantia in aliis, ut dicitur, quare non « ita debet esse de aliis, concludenda est universalis [2] ». Et, ne de cunctis dicamus, Gulielm. Ockamus a laudatis Doctoribus hac in re non dissensit [3].

Quo iure autem enumeratio manca, et curta pro integra, et plena haberi possit, ab iisdem Scholasticis per *principium analogiae* perbelle explicatum est. Enimvero, ipsi, cum pro re explorata, ut suo loco dicemus, haberent causas naturales, quippe quae necessariae sunt, effectus suos eodem modo semper gignere [4], ideo sanxere, quoties aliqua proprietas in multis individuis eiusdem speciei constanter inventa est, in dubium vocari non posse, quin in reliquis nondum observatis quoque occurrat. Lubet, ceteris missis, exscribere aureum hunc locum Scoti: « De cognitis per experientiam dico,

---

[1]) *Ibid.*, n. 6. — [2]) *Ibid.* ad 3, et ad 4.

[3]) *Summa totius Logicae*, fol. 79 *verso*, Bononiae 1498.

[4]) Audiatur s. Thomas: « Pertinet ad agens naturale, ut unum « effectum producat, quia natura uno, et eodem modo operatur, « nisi impediatur » (I, q. XIX, a. 4 c.). « Naturae cursum, alibi « ait, videmus semper eodem modo progredi, aut ut in plu- « ribus » (*Qq. dispp.*, *De Verit.*, q. III, a. 1 c.). Ratio est, quod « omne agens per naturam habet esse determinatum » (I, q. et loc. citt.), ob idque « potentiae naturales sunt determinatae ad « unum » (*Qq. dispp.*, *De Verit.*, q. XIV, a. 10 ad 13; cf I, q. XXII, a. 2 ad 4). Diserte, et eleganter s. Augustinus: « Et ele- « menta mundi huius corporei habent definitam vim, qualita- « temque suam, quid unumquodque valeat vel non valeat, quid « de quo fieri possit vel non possit. Ex his, velut primordiis re- « rum, omnia quae gignuntur, suo quoque tempore exortus pro- « cessusque sumunt, finesque et decessiones sui cuiusque gene- « ris. Vnde fit ut de grano tritici non nascatur faba, vel de faba « triticum, vel de pecore homo, vel de homine pecus »; *De Gen. ad litt.*, lib. IX, c. XVII, n. 32.

« quod, licet experientia non habeatur de omnibus « singularibus, sed de pluribus, nec quod semper, sed « quod pluries; tamen expertus infallibiliter novit, quod « ita est, et quod semper, et in omnibus; et hoc per « istam propositionem quiescentem in anima : quidquid « evenit ut in pluribus ab aliqua causa non libera, est « effectus naturalis illius causae. Quae propositio nota « est intellectui, licet accepisset terminos eius a sensu « errante, quia causa non libera non potest producere, « ut in pluribus, effectum, ad cuius oppositum ordina- « tur, vel ad quem ex forma sua non ordinatur . . . « Quod autem iste effectus evenit a tali causa produ- « cente ut in pluribus, hoc acceptum est per experien- « tiam, quia inveniendo nunc talem naturam cum tali « accidente, nunc cum tali, inventum est, quod, quan- « tumcumque esset diversitas accidentium talium, sem- « per istam naturam sequebatur talis effectus [1] ». Ex quo perspicis nullam inductionem, ut cl. Scholasticus recentis aetatis apposite advertit, rite concludere, nisi conclusioni *universale quoddam experimentum*, nempe pronuntiatum universale, experientia efformatum, praecedat, atque hoc fieri per observationem aliquorum singularium, et per principium analogiae, quod recentes efferunt hoc modo: *similes causae similes effectus producunt*, et Scholastici post Aristotelem concinnabant hoc alio modo: *natura est determinata ad unum* [2], vel *natura eodem modo operatur, nisi impediatur* [3]. Ipse, exemplum ex

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. III, q. IV, n. 9.

[2]) Vid. de hoc pronunciato s. Thomam, I, q. XLI, a. 2 c.

[3]) Cons. Aquinatem, *ll. citt.* p. praeced. not. 4, et s. Augustinum, *Serm.* CCXXVIII, n. 2. Recens Scholasticus, quem laudavimus, est Ioan. Vincentius e Congregatione Doctrinae Christianae. Praestat hunc eius locum exscribere: « Quapropter, ut (*inductio*) « rationem argumentationis habeat, ex quibusdam solum, eodem « modo sensatis, perpensis omnibus circumstantiis, colligere de- « bemus universale quoddam experimentum, et asserere, omnia « eodem modo evenire, nisi ex aliquo accidente impediantur, « quia ea, quae naturaliter eveniunt, eodem modo evenire solent

physica peripatetica, in quo materia falsa est, mutuatus, pergit, ex eo quod *hoc coelum movetur, et illud, et illud*, non posse concludi, *omne coelum movetur*, nisi propositio universalis, sive, ut ait, *experimentum universale* efformetur, *hi sunt omnes coeli*; unde haec inductio existit: *hoc coelum movetur, et illud, et illud; hi sunt omnes coeli: ergo omne coelum movetur.*

Iam, ab eisdem Scholasticis dictum est singularia, quae *actu* numerantur, induci *per se*, sive *in propria forma*, et reliqua, quae tanquam numerata sumuntur, induci *sub clausula communi*. Haec diversis modis exprimitur, qui ad idem redeunt, scilicet *et sic de singulis*, vel *et sic de ceteris*, vel *et sic de aliis* [1]. « Quamvis, Albertus inquit, singularia sint infinitae « multitudinis, ut dicit Plato, tamen ad inductionem « perfectam oportet in summa inducere, non quod sin« gillatim numerentur, sed ut brevius collecta insinuen« tur dicendo *et sic de singulis*, vel *sic de aliis* [2] » ; et alibi: « Motus iste incipit a singularibus non uno, sed « omnibus divisim acceptis *per se*, vel, ut dicitur, et « *sic de singulis* [3] ». Inter recentes dignus est, qui commemoretur, Ioan. Claubergius, ex quo haec exscribimus:

« in iisdem circumstantiis, eo quod natura est determinata ad unum »; *Cursus philosoph.*, lib. VI, sect. 4, p. 781, Tolosae 1658.

[1]) Formulae communis exempla apud latinos scriptores aureae aetatis inveniuntur. Ita, Horatius, cum probare vellet nullam conditionem hominum esse sorte sua contentam, numeratis militibus, mercatoribus, agricolis, iureconsultis, rusticis, et urbanis, tandem subiunxit:

> Cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem
> Delassare valent Fabium (*Satyr.* I, 1, vv. 13, et 14).

Lucretius quoque, postquam quaedam exempla recensuit, quibus Sceptici sensus fallaciae redarguunt, recensionem clausit hoc modo:

> Cetera de genere hoc miranda multa videmus,
> Quae violare fidem quasi sensibus omnia quaerunt.

De rerum natura, lib. VI, vv. 464 et 465.

[2]) *Prior. Anal.* lib. II, tract. VII, c. 4.

[3]) *Top.* lib. I, tract. III, c. 4.

« Quod si igitur particularia effata nobis notiora sunt, « inde progredimur ad inferendam conclusionem uni- « versalem, ex. gr. vinum Rhenanum calefacit, vinum « Gallicum calefacit, vinum Hispanum calefacit, nec « datur dissimile exemplum. Ergo omne vinum cale- « facit. Hic modus argumentandi dicitur inductio. Qui « recte vult uti inductione, debet omnino particularia « habere explorata, eaque omnia enumerare, si non « *exserte*, saltem *absolute*, ac *summatim*, quod fit in « proposito exemplo his verbis *nec datur dissimile e- « xemplum* [1] ». Antea id scripserat: « ... saepius evenit, « ut, omnia particularia in praemissis explicite enume- « rari nequeant, tumque compendii loco clausula ad- « ditur omnia illa exhauriens; et ita de reliquis, nec pot- « est dari dissimile exemplum [2] ».

Iamvero, quisquis ex se intelligit inductionem, in qua omnia singularia *per se*, sive *in propria forma* inducuntur, respondere illi, quae a recentibus *completa* dicta est, et inductionem, in qua, quibusdam *in propria forma* enumeratis, cetera sub clausula communi inducuntur, alteri, quae *incompleta* audiit. At sciendum quoque est Scholasticos, aliosque Peripateticos inductionem in *perfectam*, et *imperfectam* divisisse, et perfectam vocasse inductionem, cuius conclusio est certa, imperfectam vero illam, cuius conclusio est probabilis [3], et, quandoquidem certitudinem demonstratio, et probabilitatem dialectica parit, priorem *demonstrativam*, et alteram *dialecticam* nuncupasse. Iam, perspicuum est inductionem completam esse semper perfectam, quia, cum in ea omnes partes *actu* numerentur, quae totum constituunt, nulla dubitatio existere potest, quin id, quod singulis partibus inesse, aut non inesse in antecedente compertum est, subiecto conclusionis, quod est

---

[1]) *Op. phil. Logica contracta*, n. 196, et 197, p. 927, Amstelodami 1791.

[2]) *Ibid.*, *Logica vetus et nova*, Part. II, c. 14, n. 99, p. 836.

[3]) Vid. Albert. *Opp. cit.*, ll. citt.

totum ex illis conflatum , insit , aut non insit. Sed inductio incompleta est perfecta , cum aliud in pluribus singularibus constanter experti sumus , ob idque in ceteris sub clausula communi inductis quoque inveniri certi esse possumus. Imperfecta autem est, cum aliquid in paucis singularibus observavimus , ita ut in ceteris sub clausula communi inductis etiam inveniri probabile, non vero certum nobis esse queat [1]. Apposite igitur Scotus , « Ad habendum opinionem de conclusione sufficit in- « ducere de aliquibus singularibus , sed ad inferendum « de necessitate oportet inducere de omnibus [2] » ; et paulo ante : « Ad habendum opinionem probabilem, « fidem, vel persuasionem de conclusione universali suf- « ficit inducere de aliquibus singularibus , licet non « inducatur in omnibus, et ideo multae inductiones « sunt bonae , arguendo absolute absque hoc quod in « omnibus singularibus inducatur [3] ».

Ex hactenus disputatis in promptu est nonnullos recentium errores detegere , qui ad historiam inductionis pertinent. Atque in primis manifestum est inductionem, quae *incompleta* vocatur , ab Aristotele , aliisque Philosophis ante Baconem , nedum ignoratam , ut non pauci recentes autumant, late, diligenterque explicatam fuisse, atque idcirco Remusatium turpiter falsum esse, cum inductionem incompletam « ab Aristotele parum adhi- « bitam, a cunctis eius Scholis neglectam , et a Philo- « sophis mediae aetatis oblivioni mandatam fuisse scri- « psit [4] ». Praeterea, illud patet Hamiltonum, cum docuit

---

[1]) Hinc Hamiltonus falsus est, quod confudit divisionem inductionis in *perfectam* et *imperfectam*, a Scholasticis traditam, cum divisione eius in *completam*, et *incompletam*, quam recentes vulgo admittunt (*Fragm.*, loc. cit., p. 254 ed. cit.), ideoque ob hanc rem Waddingthonus inscite eum laudavit (*Op. cit.*, Ess. IV, n. 2, p. 149). Alb. M. *exemplum* vocavit inductionem incompletam (*Top.*, loc. cit.). De exemplo inferius.

[2]) *Op. cit.*, q. cit., n. 8. — [3]) *Ibid.* n. 3.

[4]) *Op. cit.*, Ess. cit., p. 431, et *Bacon, sa vie* etc., lib. III, c. 3, p. 314, et c. 4, p. 365.

inductionem nunquam posse recte concludere, nisi enumeratio partium vel actu integra sit, vel tanquam integra cogitetur, haud statuisse, ut Waddingthonus venditavit, quidquam novi, quod doctrinam inductionis, ab antiquis traditam, perfecit, sed vix illud innuisse, quod a Scholasticis copiose explicatum fuerat [1]. Tum, illud quoque perspicitur Royer-Collardum [2], Remusatium [3], Franckium [4], Waddingthonum [5], aliosque nuperos vehementer deceptos fuisse, quod putassent Scholasticos in inductione incompleta evolvenda solam enumerationem partium considerasse, sed prorsus ignorasse *principium analogiae*, ex quo tota veritas inductionis pendet, quodque a Reidio *principium inductionis* sapienter dictum est. Franckius, et Remusatius hanc ignorantiam non solum Scholasticis, sed etiam Baconi obiecerunt, cum scripsissent Baconem principii analogiae ne ullam quidem suspicionem habuisse, et fortasse Newtonum omnium primum fuisse, qui principium analogiae veluti fundamentum totius philosophiae experimentalis adhibuit, et explicavit [6]. At, si haec ignoratio iure Baconi, certe per summam iniuriam Scholasticis obiicitur. Hi enim, ut diximus, hoc esse principium, cuius gratia enumerationem partium in inductione incompleta, tanquam integram, intelligere nobis licet, docuerunt, et inculcarunt. Quin immo notatu dignum est ipsos principium analogiae ad usum inductionis adeo accommodasse, ut errores, in quos Philosophi recentes ruerunt, omnino vitarent. Re vera, primo nonnulli recentes arbitrantes, ut vidimus [7], inductionem esse syllogismum obtruncatum, autumarunt principium ana-

---

[1]) *Op. cit.*, ibid.

[2]) *Fragm. théoriques*, n. IV, ad calc. *Opp.* Reidii ed. cit., t. IV, p. 279 sqq.

[3]) *Essais* etc., Ess. cit., n. IV, p. 425.

[4]) *Diction. phil.* art. cit., p. 258.

[5]) *Essais* etc., Ess. cit., § 2, p. 261 sqq.

[6]) Vid. Franck, *Op. cit.*, *ibid.*; Rèmusat, *Bacon, sa vie* etc., lib. III, c. 4, p. 339. — [7]) P. 300.

logiae esse propositionem, quae in ea non exprimitur, sed subintelligitur. Ast ab hoc errore, uti ostendimus, doctrina peripatetica inductionis immunis est; Scholastici enim, quemadmodum ex dictis patet, senserunt principium anologiae non esse partem inductionis, sed huic inservire, cum, eius ope, *experimentum universale* conficiatur, quod officium assumptionis in ipsa praestat.

Secundo, alii recentes mordicus tuiti sunt tantam non esse vim principii analogiae, ut conclusionem inductionis certam reddere valeat. Hanc sententiam post Gassendium [1], Auctorem *Artis cogitandi* [2], et Lockium [3], Leibnitius saepe propugnavit [4], eique Wolfius [5], ceterique ex eius schola, necnon Reidius [6], Stewartius [7], Royer Collardus [8], Remusatius [9], aliique nuperi adstipulati sunt. Sed, quantum huiusmodi opinio absurda, et noxia sit in *Criteriologia* demonstrabimus. Hic adnotasse satis est Scholasticos, cum vim illius principii a naturis rerum, nexibusque, quibus res inter se continentur, derivassent, ipsum principium pro certo, exploratoque habuisse, ob idque firmum assensum praebuisse conclusionibus, quae illi innituntur. Ex quo illud quoque patescit Scholasticos ab errore Reidii, eiusque sectatorum cavisse, qui ortum principii inductionis a *coeco quodam instinctu* repetiverunt. Etenim, cum coecus iste instinctus, ut suo loco ostendemus, sit subiectivus, nequit

---

[1]) *Exercitationes* etc., Exercit. V, lib. II, n. 5, *Opp.* ed. cit.

[2]) Part. III, c. 19, § 9, p. 210, et part. IV, c. 5, p. 272.

[3]) *Op. cit.*, lib. IV, c. 11, § 9, et c. 14, § 1, et 2, ed. cit.

[4]) *De stylo phil.* Marii Nizolii, § 32, *Oeuvr. phil.*, ed. cit. p. 70; *Annott. in* Mar. Nizolium, *De veris principiis, et vera ratione philosophandi*, *Opp.* ed. Dutens, t. IV, p. 67, Genevae 1768; *N. E.* lib. IV, c. 17, § 5, p. 397 ed. Erdam.

[5]) *Log.*, part. II, § 675, et 677, ed. cit.

[6]) *Essais sur les facult. intell.*, Ess. V, c. 4, *Oeuvr.* ed. cit., t. IV, p. 255 sqq.

[7]) *Élémens* etc., part. II, c. 4, sect. 1, t. II, p. 231 sqq.

[8]) *Fragm. thèor.*, Fragm. X, vol. cit. p. 383.

[9]) *Essais* etc., Ess. cit., ibid., p. 427 sqq, necnon *Bacon, sa vie* etc. lib. IV, c. 5, p. 340 sqq.

vim realem, et obiectivam largiri principio, quod ab eo oritur, ideoque nec conclusioni inductionis, quae illi principio innititur. At Scholastici, ut alias ostendemus, atque ex locis D. Thomae, et Scoti ante adductis quodammodo perspici potest, illud principium rationibus ab ipsa natura rerum petitis probarunt; quapropter fundamentum reale, et obiectivum conclusioni inductionis praeiactum ab eis est.

Restat, ut quid adversus alterutrum, vel utrumque inductionis genus nonnulli obiecerunt, innuamus. Wathelyus [1], Stewartius [2], aliique e Baconis secta, magistrum secuti, inductionem completam, tanquam puerilem, inutilemque repudiarunt, quippe quod conclusio nihil aliud praestat, quam ut antecedens repetat, Gratryus [3], et Waddingthonus [4], quippe qui, ut mox dicemus, hac in re a Baconis, perinde ac ab Aristotelis placitis discedunt, Baconianis concedunt inductione completa puram, putamque *tautologiam* contineri, quia in ea idem ex eodem concluditur, sed pertendunt inductionem incompletam, prout ab eis, et a ceteris recentibus explicata est, frivolam esse, et incertam, cum nutanti, et infirmo principio analogiae innitatur. Has obiectiones refutare ad illam Philosophiae partem spectat, in qua de *Criterio veritatis* agitur; quamobrem hic ab eis nos brevissime expediemus. Inductionem incompletam non esse frivolam evincitur primo ex eius natura, quia principium analogiae, cui innititur, non est, ut breviter ostendimus, nutans, et imbecillum, sed stabile, et firmum; deinde ex historia scientiarum, in qua ipsum adhibetur; nam qua fronte frivola dici potest inductio, cum Laplaceus scribat « analysin, et philosophiam naturalem « inventa maioris momenti ab ea repetere, et Newtonum, « eius ope, theorema binomii, et principium gravitationis

---

[1]) *Op. cit.*, lib. IV, c. 1, § 1.
[2]) *Op. cit.*, ibid., p. 323, ed. cit. — [3]) *Op. cit.*, ibid.
[4]) *Essais* etc., Ess. IV, § 2, p. 149.

« universalis invenisse [1] ? » Nec tautologia inductione completa continetur, quippe quod aliud est nosse aliquid singulis individuis alicuius speciei inesse, aut non inesse, aliud nosse idem inesse, aut non inesse toti speciei. Namque id, quod rationem alterius reddit, ab eo, cuius rationem reddit, saltem *logice* distinguatur necesse est. Sed ratio, ob quam toti speciei aliquid inesse, aut non inesse in conclusione enunciatur, in enumeratione partium, quam antecedens complectitur, invenitur. Re vera, si quis tres angulos omnis trianguli esse aequales duobus rectis asserat, sciscitanti, unde hoc ei compertum sit, respondere potest se id in cunctis tribus triangulis, nempe aequilatero, acutangulo, et obtusangulo comparasse [2]. Liquet igitur in inductione illud, quod conclusio exhibet, ab eo, quod antecedens complectitur, saltem logice distingui. Qua de re, cum ad partes ratiocinationis distinguendas, ut ante ostendimus, distinctio logica sufficiat, in inductione idem ex eodem concludi omnino negandum est. Ceterum, quisnam auderet, tanquam meram, putamque tautologiam, traducere illud ratiocinationis genus, quo ipsae mathematicae disciplinae, ut iam apud Aristotelem videre licet [3], non raro utuntur ? [4]

Postquam praecipuas quaestiones, quae circa aristotelicam doctrinam de inductione a Philosophis agitatae sunt, solvimus, ad inductiones baconianam, et gratryanam, convertamur oportet. A baconiana initium sumamus.

---

[1]) *Essai phil. sur les probabilités*, p. 243, Paris 1819.

[2]) Proclus testis est hoc geometriae theorema reapse inductione detectum esse, quia primo unus id in triangulo aequilatero invenit, deinde alter in isoscele, tertius in scaleno invenit. Vid. Maclaurin, *Exposition des dècouvertes de Newton*, trad., lib. I, c. 5, Paris 1728. — [3]) *Anal. post.*, lib. I, c. 5.

[4]) Vid. Hamilton, *Fragm.*, loc. cit.; Drobisch, *Op. cit.*, ed. 2ª, p. 322 sqq; Apelt, *Theoria inductionis* (germ.), § 5, p. 34, Lipsiae 1851; Rémusat, *Bacon* etc., lib. III, c. 3, § 4, p. 337, et 338.

Baco, ut iam innuimus, inductionem, cuius subsidio « opus mentis universum de integro resumere [1] », atque « humanum intellectum naturae, et rebus parem « efficere [2] », sibi proposuit, a vulgari, sive aristotelica omnino differre contendit, atque inventionem illius adeo sibi vindicavit, ut maxime ob hanc causam opus, in quo illam exposuit, et evolvit, *Novum Organum* inscripsit [3]. Haec laus, quam permulti Philosophi saec. XVII, et XVIII Baconi tribuerunt, hac nostra aetate ab aliis valde imminuta, ab aliis omnino negata est; sed, hisce in primisque Remusatio, invitis, Waddingthonus illam Baconi rursus vindicare conatus est [4]. Nobis illud certum videtur, quod Remusatius fidenter inculcavit, « nullam re ipsa esse inductionem baconianam [5] ». Et sane, omnes laudatores inductionis baconianae diffiteri non possunt, et re ipsa non diffitentur 1° ipsam, non secus ac aristotelicam, a singularibus proficisci, atque ad universale ascendere, eamque idcirco, perinde ac aristotelicam, sensibus, et experientia inniti; 2° illam eodem modo, ac istam, principia demonstrationibus suppeditare, si quidem, eius ope, ad axiomata detegenda, et statuenda pervenitur [6]. Iam, si haec duo certa, exploratasque sunt, consequitur inductionem baconianam non posse differre ab aristotelica, nisi vel ex modo, quo singularia enumerat, vel ex modo, quo ab his ad conclusionem universalem pervenit. Re vera, Baco inductioni

---

[1]) *N. O.*, Praef. *Opp.* t. I, ed. cit. — [2]) *Ibid.*

[3]) « In constituendo autem axiomate, forma inductionis alia, « quam adhuc in usu fuit, excogitanda est . . . Atque in hac certe « inductione spes maxima sita est » (*N. O.*, lib. I, aph. CV, p. 101). Hinc, ut vidimus, scripsit neminem ante se vim, et nomen inductionis novisse, atque hanc laudem ei deberi Stewartius, et Bouilletus contendunt; vid. *Opp. citt.* p. 317, not. 3.

[4]) *Essais* etc., Ess., VI, 3, § 2, et 3, p. 259 sqq.

[5]) *Bacon* etc., lib. III, c. 3, § 1, p. 315, not. 2.

[6]) *N. O.*, ll. cit. passim, itemque *Cogitata et visa de interp. nat.*, t. III, p. 28. Cf Rémusat, *Essais* etc., Ess. cit., ibid., p. 428 sqq, necnon *Bacon* etc., lib. III, c. 3, § 1, p. 306-315.

vulgari duo vitia obiecit. Quorum primum est, quod ipsa procedit solum per *affirmativas*, cum non aliud praestet, quam quod in singulis individuis ea, in quibus consentiunt, enumerat; ex quo fit, ut ex quolibet experimento contrario destruatur. Alterum est, quod a singularibus ad universale statim, nempe *neglectis axiomatibus minoribus*, et *mediis omnibus* avolat. Baco autem docuit 1° veram inductionem procedere *per reiectiones*, *et exclusiones*; ipsa enim non affirmat aliquid de aliquo, nisi postquam illud de iis omnibus, in quibus non invenitur, negaverit, adeo ut *per negativas* tot, quot sufficiunt, *super affirmativas* concludat; 2° veram inductionem non statim, sed gradatim, hoc est, per axiomata media, ad suprema progredi [1]. Vt autem inductio per *negativas* ad *affirmativas* perveniat, triplicem ordinem experimentorum instituere oportet. Primo enim necesse est explorare omnes res, quae in eadem natura sunt; deinde omnes alias, quae, etsi ad illas proxime accedant, tamen data natura carent; denique illas, in quibus eadem natura magis, minusve invenitur. Hinc Baco iussit cuilibet conclusioni universali tres tabulas praemittendas esse; scilicet *tabulam praesentiae*, in qua naturae certa quadam proprietate ornatae adnotantur, *tabulam absentiae*, in qua naturae eadem proprietate carentes designantur, et *tabulam comparationis*, in qua, quanam proportione in singulis naturis illa proprietas inveniatur, describitur. Tribus hisce tabulis confectis, in promptu est veram inductionem construere. Perspicuum enim est a natura rei, de qua quaestio est, excludendas esse primo proprietates, quae in ipsa re non inveniuntur; tum illas, quae in aliis rebus diversarum naturarum occurrunt, quia qualitas, quemadmodum extare debet in rebus, quae ad eamdem naturam pertinent, ita deesse in rebus, quarum naturae sunt diversae; tum denique illas, quae, natura illa crescente, decrescunt, et, illa na-

---

[1]) *N. O.*, lib. I, aphor. CV, 101, et 103.

tura decrescente , crescunt. Facta autem hac *reiectione*, sive *exclusiva*, proprietates , quae supersunt , illi naturae , circa quam quaestio versatur , tribui possunt eaeque, ut ex dictis patet, sunt, quae et in individuis illius naturae solum inveniuntur, et in rebus diversarum naturarum non occurrunt, et, prout natura in rebus crescit, aut decrescit, ipsae etiam crescunt, aut decrescunt. En exemplum inductionis , quod ad definitionem caloris inveniendam ipsemet Baco adduxit. Si quis naturam calidi inductione investigare velit , primo inquirere debet species rerum, quae calorem habent, ut radii solis , meteora, aliaque huiusmodi; secundo, alias species, quae calore quidem destituuntur , sed magnam adfinitatem cum primis habere videntur , ut radii lunae , cometarum, noctilucae, et ceterae, tertio , illas species in quibus calor decrescit, aut crescit, scilicet illas , quae *potentia* , aut *actu* calida sunt , quaeque magis , minusve incalescunt [1].

Iam, principio nemo non videt ea, quae Baco de inductione tradidit, non ad formam logicam inductionis , sed ad rectum , utilemque usum eius , sive , ut nuperi Logici post Anglos aiunt, ad methodum inductivam rite adhibendam spectare. Re sane vera , Baco haud docuit, quomodo enunciationes in inductione disponantur, quam vim , et quem ordinem inter se in enunciationibus termini habeant , et quo iure ex praemissis conclusio eruatur ; sed regulas exposuit , secundum quas singularia observanda , et expendenda sunt , ut inde pronuntiata universalia colligi queant, et quomodo , cognito uno axiomate , sive , ut ipse axioma intelligit , uno pronunciato universali, ad aliud eo superius progrediendum sit. Iam priora, quae neglexit, non vero posteriora, quae tractavit, ad formam inductionis pertinere manife-

---

[1]) *N. O.*, lib. II, aphor. XI-XX, p. 145-192, ed. cit. Cf Gassendi, *Log.*, *De origine, et varietate log.*, c. 10, *Opp.* t. I, p. 55-57, ed. cit., te Buchez, *Op. cit.*, *Log.*, c. 2, § 14, t. I, p. 406 sqq, ed. cit.

stum est. Nam , quandoquidem cuiuslibet ratiocinationis sive deductivae, sive inductivae unica est conclusio atque haec in eo consistit, ut praedicatum cum subiecto convenire, si ratiocinatio sit aiens, vel non convenire, si ratiocinatio sit negans, enunciet, luce meridiana clarius est 1° tres tabulas, quas Baco excogitavit, esse non posse antecedens inductionis, quia, cum ipsae rem quaesitam diversis modis considerent, eandem conclusionem gignere nequeunt, itemque non posse ab enumeratione singularium , quae in antecedente inductionis fit, plura *axiomata*, seu pronunciata universalia gradibus differentia in conclusione colligi , quia plura axiomata plures conclusiones forent. Contra ea , ad rectum usum inductionis pertinet nosse , quasnam leges in enumeratione partium conficienda servare oporteat , et quomodo inductiones repetendae sint , ut ab uno universali , sive , ut Baco ait , axiomate ad aliquid superius, atque ab hoc ad aliud usque ad supremum progressio fiat. Quamobrem tenendum est Baconem de inductione , prout est argumentatio logica , minime egisse , sed solum leges exposuisse de methodo philosophandi , quam non aliam, nisi quae inductione nititur, esse existimavit.

Quamvis de methodo alias agendum nobis sit, tamen hoc in loco unum praetermittendum non est , quod et ad formam inductionis presse spectat, et quam plumbeus in scientia logicae acerrimus iste Aristotelis censor fuerit , luculenter commonstrat. Angliae Cancellarius , ut vidimus , tanquam rem certam , et concessam sumpsit nos posse cognoscere omnes proprietates , quae in natura rei, de qua quaestionem instituimus, non inveniuntur , et omnes proprietates , quae in cunctis aliis naturis rerum inveniuntur ; alioquin conficere haud possemus tres illas *exclusiones* , sine quibus nullam conclusionem in inductione elici posse Baco praefracte contendit. Verum , principio , hoc omnino impossibile est, quippe quod, cum numerus rerum , ex quibus mundus

constat, propemodum infinitus [1] sit, haud possibile est, nedum in cunctis generibus rerum, in uno dumtaxat cuncta individua experiri, ut quibus proprietatibus ipsa polleant, quibusve careant, cognoscamus.

Ast hoc, si impossibile est, ad universale pronuntiatum, sive, ut Baco ait, axioma in inductione concludendum minime expostulatur. Etenim, si quod in cunctis individuis aliqua specie, aut genere comprehensis constanter observamus, illud toti speciei, aut toti generi inesse pro certo habendum nobis est. Nam, cum accidentia, monente s. Thoma, nec in cunctis individuis, nec semper, et ubique in ipsis inveniantur [2], illud, quod in individuis constanter inveniri experimur, profecto ad eorum essentiam pertinet, ideoque non est aliquid proprium individuorum, quae observata sunt, sed aliquid, per quod ipsa ad speciem referuntur. Qua de re perspicuum est ad pronunciatum, seu legem naturae universalem inductione concludendam haud requiri, ut inductio procedat, per *negativas*, et *exclusivas*, nec fieri posse, ut hoc modo procedat. Error Baconis ex eo ortus est, quod ipse, ut eius concivis Hallam ei obiecit [3], principii analogiae, in quo inductio fundamentum, et vim suam agnoscit, ne suspicionem quidem habuisse videtur. Et sane, si ipse novisset pronunciatum *analogiae*; a Peripateticis ante Reidium tantopere inculcatum, et commendatum, esse principium, ex quo affirmatio universalis in conclusione inductionis vim suam mutuatur, inductionem, quae *per affirmativas* progreditur, veram, et utilem haud reiecisset, nec illi inductionem, quae *per negativas* procedit, absurdam, et impossibilem suffecisset. Baco, ut diximus, pertendit conclusionem inductionis, quae *per affirmativas* proce-

---

[1]) Cf p. 313 et 314 vol. I.

[2]) « Quoad accidit alicui naturae, non invenitur universaliter « in natura illa;sicut habere alas,quia non est de ratione animalis, « non convenit omni animali »; I, q. LI, a. 1 c. Cf p. 341 cit.vol.I.

[3]) *Op. cit.*, loc. cit.

dit , esse semper incertam , et vacillantem , quia , nisi nobis innotescant et cunctae proprietates, quae in natura , circa quam inductio versatur , absunt , et cunctae proprietates , quae in ea adsunt , facile fieri potest , ut alicui naturae quamdam proprietatem tribuamus , quae ab aliis nondum exploratis destrui posset. Sed perperam; nam, quandoquidem nulla natura, ut s. Augustinus ait [1], ex proprietatibus secum pugnantibus conflari quit, verendum non est , ne in individuis cuiusdam naturae unquam detegamus proprietates illis repugnantes , quas in ipsis iam experti sumus.

Omissis ceteris noxis doctrinae baconianae de inductione [2], conficere ex dictis nobis licet Baconem 1° de methodi inductivae recto , utilique usu quodammodo meruisse , quia regulas ad illam recte adhibendam valde accommodatas , quas in antecessorum suorum libris invenerat , in ordinem digessit , et explicuit [3] , ob idque scientiarum naturalium cultores ad rectae, tutaeque viae, quam iamdiu iniverant, insistendum magis, magisque excitavit [4] ; 2° theoriam logicam inductionis omnino ne-

---

[1]) « Nullus aër simul est et tenebrosus, et lucidus, nullus ci- « bus, aut potus simul dulcis, et amarus, nullum corpus simul « ubi album, et nigrum, nullum simul ubi deforme, ibi et for- « mosum »; *Enchir. de Fide, Spe, et Charit.*, c. XIII, n. 4.

[2]) Praeter laudatos Auctores consulere iuvabit Iosephi de Maistre opus posthumum, *Examen de la phil. de Bacon*, c. 1, et 3, t. I, Lyon 1835. Tacendum non est cl. Virum in hoc opere vitia philosophiae baconianae aliquantum exaggerasse; unde non aequus Baconis iudex ab omnibus hodiernis philosophis habetur.

[3]) Hoc iudicium de Bacone non solum a politioribus philosophis aliarum gentium, sed a non paucis anglis, qui concivis sui merita exaggerarunt latum est. Qua de re videsis Remusatium, *Bacon* etc., lib. IV, c. 1, p. 374-377.

[4]) Baco ignorantiam rerum physicarum aetati suae saepe, acerbisque verbis exprobravit, eamque ex eo repetivit, quod cultores scientiarum naturalium experimenta non instituerent. At hoc prorsus ridiculum est. Quemnam enim latet Baconi aequales, aut suppares fuisse Copernicum, Tychonem, Kepplerum, Viette, Fernatium, Gregorium a Sancto Vincentio, Boyleum, Hockium, Ga-

glexisse , eamque forsan ignorasse ; ex quo factum est , ut logicam suam veluti novam, proponeret , et plerique eius interpretes , et sectatores in aristotelicae , et scholasticae philosophiae historia rudes, illam, tamquam novam , commendarent. Iuvat audire Remusatium , quem nemo iniquum Baconis censorem dixerit: « Baco, id li-
« ceat mihi repetere , quantum in methodo inductionis
« explicanda diligentem , gnavumque , tantum in theo-
« ria ipsius inductionis negligentem se praebet , et, quod
« mirabile est , ob hanc negligentiam, atque adeo igno-
« rantiam logicae , qua methodus eius , ex hac parte
« spectata , laborat , quasi laudem sibi promeruit. Inde
« enim conclusum est logicam eius esse novam, eiusque
« opus titulo, quem illi adlevit , re ipsa respondere, et
« novum *Organum*, ab eo creatum esse, cum ipse non
« aliud praestitisset, quam quod novas normas ad anti-
« quum *Organum* adhibendum , et ad aeterno instru-
« mento mentis humanae sapienter utendum utiles tra-
« deret [1] ». Quin immo, Stuartus Mill nuperrime illud quoque Baconi obiecit , eum illam partem methodi exposuisse, qua mens humana axiomata media, et suprema invenit , sed alteram partem neglexisse , et forsan ignorasse , qua eadem mens ex axiomatis iam compertis veritates scientiae valde utiles deducere potest [2]. Et iure quidem ; nam , cum Baco , ut in tertia parte dicemus, syllogismum, tanquam puerile , et inutile instrumentum sciendi, repudiasset , methodum cognoscere non potuit ,

---

lileium, Cartesium, Gregoryum, Borrellium, Kircherum, aliosque in natura investiganda exercitatissimos, multaque esse ab eis praeclara, et utilissima inventa? Iure optimo igitur hac de re graviter cum eo questus est Thomas Boldaeus et ipse anglus (*Epist. ad Franc. Baconem, qua candide expendit eius* Cogitata, et Visa, inter *Opp.* Baconis, ed. citt. III, p. 49 sqq). Cf Demaistre, *Op. cit.* passim, et Whewel, *Philosophia scientiarum inductivarum* (angl.), c. 2, vol. II, p. 225-251, ed. 2ª.

[1]) *Bacon, sa vie* etc., lib. III, c. 3, § 4, p. 335, ed. cit.

[2]) *System. log.* (angl.), lib. II, c. 4, § 6, et 7, t. I, p. 290, et 292, et lib. III, c. 10, § 8, t. cit., p. 524, et c. 13, § 7, p. 579, Lond. 1843.

qua mens humana ex principiis inductione compertis ad factorum causas, et rationes, a quibus scientia efficitur, inveniendas progredi potest.

Reliquum est, ut de inductione, quam Gratryus tantopere commendavit, nonnihil dicamus. Apeltii, eamdem inductionem propugnantis, mentionem haud faciemus, cum eius opella, iam a nobis commemorata [1], nonnisi ex perpaucis, quae idem Gratryus [2], et Remusatius [3] innuerunt, nobis innotescat. Quandoquidem autem Gratryus putavit Royer-Collardum veram theoriam inductionis, quae iamdiu a Physicis saec. XVII adhibita fuerat, primum omnium descripsisse, ab huius doctrina exponenda ordiamur oportet. Royer-Collardus, postquam Baconem inductionis, quemadmodum Aristotelem syllogismi, inventorem fuisse dixit, aliam inductionem baconiana praestantiorem admittendam esse decrevit. En, ni fallimur, quomodo eius existentiam, et naturam arguit. Mens humana, ex hoc ipso, quod se durare sibi conscia est, alias res, quae durant extra se esse quoque intelligit, immo notionem universalem, et necessariam durationis adquirit. Iam, id ipsa nec deductione aristotelica, nec inductione baconiana cognoscere potest. Non deductione aristotelica. Nam, cum duratio exterior non contineatur duratione interiori, eoque minus notio universalis durationis notione particulari durationis sive interioris, sive exterioris, consequitur non esse syllogismum illum actum, per quem mens humana ex duratione sui durationem rerum extra se positarum, et durationem infinitam concipit, si quidem non potest aliud in conclusione syllogismi colligi, quam quod praemissis contineri perspectum est. Nec inductione baconiana. Haec enim innititur pronunciato *analogiae*, sive *constantiae, et firmitatis legum naturae*, cuius gra-

---

[1]) P. 296.
[2]) In ephem. *L' Ami de la Religion*, n. 5999, 17 Mai 1856.
[3]) *Bacon* etc., lib. IV, c. 4, p. 441-443, ed. cit.

tia in conclusione toti speciei, aut generi aliquid tribuitur, quod quibusdam individuis in praemissis convenire compertum est; sed actio cognitrix, de qua agimus, in eo consistit, quod ex observatione unius facti interioris existentiam alterius facti exterioris, aut notionis universalis concludit. At, quamvis ista actio cognitrix ab inductione baconiana differat; tamen, quandoquidem proprio nomine caret, inductio etiam dici potest, quippe quod per illam e cognitione unius cognitio alterius inducitur. Hanc autem inductionem baconianae longe excellere censuit, quia ipsa, cum certo, firmoque conscientiae testimonio, non autem infirmo, et vacillanti pronunciato analogiae nitatur, non probabiles, uti baconiana, sed certas, evidentesque conclusiones gignit. Royer-Collardo Th. Jouffroyus, operum reidianarum gallicus interpres, pollicem premens, sperat fore, ut, cum scientia maiores progressus consecuta fuerit, formula inveniatur, ex qua cuncta illa iudicia explicari poterunt [1].

At ab. Gratryus, Collardi, et Jouffroyi *desiderata*, liceat nobis hanc vocem a Bacone mutuari, perpendens, se formulam, quam Jouffroyus praestolabatur, et nomen proprium, quod Collardus sibi haud suppetere dixit, invenisse gloriatus est. Ipse enim, cum advertisset mentem humanam non posse a particulari ad universale, a contingenti ad necessarium, a phaenomenis ad legem, sive, ut uno verbo ait, a finito ad infinitum progredi, nisi a finito limites, quibus ipsum coarctatur, amoveat, inde confecit 1° formulam, quae essentiam inductionis a Collardo propositae exprimit, hanc esse, quod *intellectus a finito, per destructionem limitum eius, ad infinitum progreditur*; 2° nomen *processus infinitesimalis* illi proprie, et adamussim convenire, quia, cum intellectus a finito ad infinitum prosilit, infinita, per quae unum ab altero seiungi intelligimus, quasi delet, et destruit. Cl.

---

[1]) *Nouveaux Mèlanges*, publ. par Damiron, p. 94-96, Paris 1843.

Auctor hanc novam, quam post Collardum commentus est, inductionem explicans, argumentatur fere hoc modo : Mens humana ad cognitionem rerum adquirendam duas vias e regione sibi oppositas persequitur ; si quidem vel a principio universali aliquid particulare colligit, vel ab uno, pluribusve particularibus ad aliquod universale adsurgit. Si prius praestat, ab eodem ad idem progreditur, quia particularia universali continentur ; sin posterius, ab eodem ad diversum transilit, quia universale particularibus non continetur. Iam, actio, qua intellectus, a principio universali aliquid particulare concludens, ab eodem ad idem progreditur, est *syllogismus*, sive *processus syllogisticus*, et actio, qua a particulari ad universale assurgens, diversum ab eodem arguit, *inductio*, sive *processus inductivus* est, quem cum Leibnitio, aliisque *processum infinitesimalem*, vel cum Platone *methodum dialecticam* nuncupare potes. Ex his duobus processibus solus inductivus est inventivus, quia per hunc solum intellectus ad diversum cognoscendum pervenit [1]. Omisso syllogismo, de quo hic non agitur, perspicuum est inductionem, secus ac syllogismum, medio carere. Nam munus medii in eo positum est, ut id, quod consequitur, in eo quod antecedit, contineri declaret ; at in inductione, quoniam non idem, sed diversum ab eodem arguitur, consequens antecedenti non continetur. At, si consequens antecedenti non continetur, quid in causa est, cur mens humana ab uno ad aliud prosiliat ? Responsio in promptu est. Mens humana, ob naturalem quemdam instinctum, seu sensum divinum, quo pollet, unum sub diverso, necessarium sub contingenti, infinitum sub finito esse persuasum habet ; ex quo efficitur, ut ipsa, statim ac diversum, contingens, et finitum intelligit, ad unum, necessarium, et infinitum avolet. Gratryus autem contendit hanc

---

[1]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 7, § 1, p. 171, et 172, et § 4, p. 195 et 196.

inductionem esse ipsam *methodum dialecticam* Platonis, qua mens, ut diximus [1], a rebus conditioni subiectis ad illud, quod omnis conditionis expers est, adsurgit; ipsum *syllogismum medio carentem*, quem demonstrationi pronunciata universalia, nempe principia suppeditare Aristoteles docuit [2]; ipsam denique analysim *infinitorum*, quam saec. XVI, et XVII a Leibnitio, Kepplero, Newtono, aliisque summis viris ad maximum scientiarum mathematicarum, et naturalium incrementum adhibitam [3], tandem Royer-Collardus hac aetate feliciter pervidit, atque a baconiana parum valida, et utili discriminavit [4]. Hinc in altera suae logicae editione Apeltio plausit asserenti « theoriam verae methodi inductivae « existere non potuisse, antequam calculus infinitesimalis inveniretur, et Kepplerus, eius ope, systema mundi « demonstraret [5] », necnon cl. Byoto, qui « non aliud, nisi « *analysim infinitorum* fuisse instrumentum inductivum, « quo Newtonus usus est, confidenter asseruit [6] ».

Hisce Philosophis Waddingthonus socias manus nuper dedit. Hic enim censuit inductionem esse processum logicum, cuius ope ab aliquibus particularibus experientiae subiectis ad pronuntiatum universale sine ullo medio progredimur, atque hanc progressionem a nobis praestari non ope experientiae, sive rationis subsidio sensuum adiutae, nec ope rationis purae, nempe alicuius pronuntiati mere rationalis, sed ope sensus cuiusdam, sive propensionis naturalis, quae, cum aliqua facta particularia experimur, ad legem universalem admittendam, sive, ut aiunt, *divinandam* nos cogit. Ipse vero ratus est Platonem et Aristotelem non aliam, ac istam, notionem inductionis habuisse, sed in eius ratione reddenda

---

[1]) P. 310. — [2]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 1, p. 1-36.
[3]) *Ibid.*, c. 3, et 4, p. 59-118. — [4]) *Ibid.*, c. 2, p. 37-43.
[5]) *Op. cit.*, ed. 2ª, Prèf. p. XXVII sqq, Paris 1856.
[6]) *Journal des Savants*, Octobr. 1855, p. 601, et 602. Vid. Gratry, loc. cit., et Ephem., *L' Ami de la Relig.*, n. 5999, 17 Mai, Paris 1856.

falsos esse , quippe quod ille ad absurdam hypothesim *reminiscentiae* , hic ad commentitium quemdam *intellectum divinum* in homine relucentem confugit [1].

Haec doctrina de inductione, quam Gratryus, et Waddingthonus post Royer-Collardum, et Apeltium tuentur, omnino absurda est, et de auctoritate summorum Virorum, quos eius propugnatores laudant, gloriari haud potest. Atque in primis Gratryus, et Waddingthonus multa tum rationis, tum auctoritatis momenta huic doctrinae suae logicae, tanquam basim, sternunt, quae omnia falsa sunt. Enimvero , uti in aliis huius operis locis ostendemus , falsum est syllogismum non esse instrumentum, quo ulla veritas invenitur, sed dumtaxat quo veritas iam inventa declaratur ; falsum est mentem humanam praeditam esse quodam sensu divino, vel instinctu divinationis, quo absolutum, necessarium, universale cognoscit; falsum est , ut alias videbimus , methodum dialecticam Platonis non esse aliud, nisi processum inductivum, quo Kepplerus , Leibnitius , aliique recentes usi sunt , et syllogismum *sine medio* , quem Aristoteles *inductionem* vocavit , esse methodo dialecticae Platonis simillimum : falsum denique est *analysim infinitorum* niti inductioni , quam Gratryus, aliique commenti sunt , atque huius inductionis ope Kepplerum , Leibnitium , Newtonum , aliosque recentes in scientiis mathematicis , et naturalibus adeo magnos, felicesque progressus obtinuisse. His in praesentia omissis, inductionem gratryanam ex ea parte tantum, quatenus ad logicam pertinet , breviter expendemus. Et primo , illud omnino negamus syllogismum , et inductionem inter se differre , quod in illo ab eodem ad idem , et in hac ab eodem ad diversum progressio fit. Nam *inducere*, et *deducere*, consentientibus ipsis adversariis , contra quos pugnamus , idem valent , ac aliquid ab aliquo elicere , sive , ut clarius ad rem nostram loquamur , cognitionem unius e cognitione alte-

---

[1]) *Op. cit.*, Ep. cit., c. 1, § 1, p. 201 et 202.

rius inferre. Iamvero, ab aliquo neque aliquid, quod est idem cum eo, neque aliquid, quod est diversum ab eo, cognosci posse evidens est. Etenim, id, quod ex alio cognoscitur, ab eo, ex quo cognoscitur, saltem ratione distinguatur oportet; idem autem a se ipso, prout est idem, non distinguitur; idem igitur ex eodem cognosci nequit. At, si ea, quorum unum ex alio cognoscitur, inter se distinguantur necesse est, certe ea diversa esse non possunt, quia, cum omnis res, uti alias ostendemus, per principia, quae ipsam constituunt, cognoscatur [1], quidquam esse principium, ex quo aliud natura ab eo differens cognoscitur, omnino repugnat. Ex quo fluit deceptos esse cum Campbellum, Stewartium, aliosque, qui syllogismo petitionem principii contineri pertenderunt [2], tum Gratryum, aliosque cum eo, qui in inductione diversum ab eodem concludi autumant. Re vera, falsum est syllogismo petitionem principii contineri. Nam syllogismns, uti ab iis, quae in *Prolegomen.*, et passim diximus, patet, significare non debet ordinem, quem res in se habent, sed ordinem, quo intellectus res intelligit. Iam, uti alias ostendemus, quamvis, si res spectes, conclusio syllogismi propositione contineatur; tamen, cognita propositione, non ideo statim conclusio cognoscitur, sed ad ipsam cognoscendam assumptione opus est [3]. Ita, si quis cognoscit omnem hominem esse mortalem, non ideo necesse est, ut Socratem esse mortalem cognoscat; sed tum solum id cognoscit, cum Socratem esse hominem intelligit. Vnde postquam novit hanc propositionem, *omnis homo est mortalis*, progredi non potest ad statuendam

---

[1]) « Per eadem, s. Bonaventura ait, res cognoscitur, per quae « res habet esse »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVII, part. 2, dub. 4.

[2]) Apud Rèmusat, *Bacon* etc., lib. III, c. 3, § 2, p. 320, et 321. Petitio principii, ut in secunda parte dicemus, est cavillatio, in qua idem per idem concluditur, sive in qua, ut aiunt, *tautologia* continetur.

[3]) « Discursus....est, s. Thomas inquit, procedentis de noto ad « ignotum; unde manifestum est, quod quando cognoscitur pri- « mum, adhuc ignoratur secundum »; I, q. XIV, a. 7 c. Cf p. 289 sqq.

hanc conclusionem, *Socrates est mortalis*, nisi iam noverit hanc assumptionem, *Socrates est homo* [1]. Sed de hac re copiosius in *Dynamilogia*, et *Criteriologia*, in quibus s.Thomae, aliorumque argumentationibus innixi adversus multos, eosque non infimi subsellii Philosophos ostendemus intellectum conclusionem in praemissis cognoscere *potentia*, non autem *actu*, proindeque, cum a praemissis ad conclusionem progreditur, novam cognitionem sibi comparare [2].

Falsum quoque est inductionem ab eodem ad diversum progredi. Gratryus, Waddingthonus, aliique ad suam sententiam stabiliendam hoc unum, ni fallimur, inculcant, universale esse diversum a particulari, quia hoc est contingens, mutabile, et finitum, illud autem necessarium, immutabile, et infinitum, ideoque, quoniam in inductione a particulari ad universale progressio fit, necesse esse, ut inductio ab eodem ad diversum progrediatur. At nobis licet in primis adversus eos *ad hominem*, hoc est, ex principio, quod ipsi concedunt, argumentari hunc in modum. Philosophi docent mentem humanam non posse per inductionem ad cognitionem legis universalis assurgere, nisi per aliquod particulare, quod illi legi subiicitur, adeo ut ipsa ad legem universalem cognoscendam pervenire non possit, nisi illud particulare experiatur. E. g., nos non aliter ope inductionis novimus, omnia corpora esse gravia, quam quod unum, aut plura corpora esse gravia experti sumus. Iam, nos ab eis sciscitamur, utrum arbitrentur unum, pluraque particularia esse principium, ex quo lex universalis cognoscitur, an dumtaxat occasionem, ex qua intellectus ad legem universalem cognoscendam excitatur. Si primum amplectuntur, concedant necesse est legem universalem

---

[1]) Vid. Hamiltonum *Discuss. phil.*, Append. II, p. 652, ed. cit.; et Rèmusat, *Op. cit.* ibid.

[2]) Cf interea, si lubet, s. Thom., *In lib. I Post. Anal.*, lect. II, et III; *In lib. II Phys.*, lect. V; *Cont. Gent.*, lib. I, c. 57; *Qq. dispp., De verit.* q. XI, a. 1 c.

uno, aut pluribus particularibus quodammodo contineri, alioquin unum, aut plura particularia esse non possent, ut paulo ante diximus, principium, ex quo ipsa cognoscitur. Hinc ruit illorum pronuntiatum, scilicet universale uno, pluribusve particularibus non posse contineri, ex quo inductionem ab eodem ad diversum progredi deducunt. Restat igitur, ut ad alterum confugiant. Re vera, Gratryus saepe asseruit, quoties unum, aut plura phaenomena in sensus nostros incurrunt, occasionem menti nostrae suppeditare, ut ad legem universalem statuendam assurgat, neque ab hac opinione Waddingthonus alienum se praebet, quippe qui veram inductionem in *reminiscentia* platonica adumbratam videt [1]. At, si ita sentiunt, sentiant quoque necesse est cognitionem legum universalium esse menti humanae naturaliter insertam, licet consopitam; nam, si ipsa in mente nostra non delitesceret, occasione nobis ab uno, vel pluribus particularibus oblata, veluti e somno excitari non posset. Quod cum ita sit, vides primo opinionem Gratryi, et Waddingthoni absurdo fundamento superstrui; si quidem hypothesis idearum innatarum, ut in *Idealogia* videbimus, quocumque modo explicetur, absurda, et fabulosa est. Secundo etiamsi hypothesis idearum innatarum admitteretur, certe haec nullo pacto componi posset cum ipsa doctrina inductionis, quam laudati Philosophi tuentur. Etenim ipsi tenent inductionem esse unicum instrumentum, quod menti humanae ad veritates inveniendas suppetit, cum syllogismus demonstrationi, et evolutioni veritatum iam inductione cognitarum tantum inserviat; unde Gratryus inductionem *processum inventionis* vocat, atque hoc nomine a syllogismo discriminat. At, si unum, plurave particularia in inductione non alio officio fungerentur, quam ut menti humanae ad ideas in se excitandas occasionem praeberent, mens humana per inductionem veritates non inveniret, sed veritates, quas iam in se habet, prae-

[1]) *Op. cit.*, Ess. cit., § 2, p. 221.

sentes sibi sisteret, sive, ut secundum Platonem loquamur, veritatum, quas ob ipso ortu suo novit, reminisceretur. Iam reminiscentia certe non est inventio, sed veritatis iam inventae ad mentem revocatio. Ex his omnibus concludere nobis licet ab aliquo neque aliquid, quod idem cum eo est, neque aliquid, quod diversum ab eo est, elici posse, ob idque inductionem non posse a syllogismo distingui ex eo, quod in hoc ab eodem ad idem, in illa autem ab eodem ad diversum progressio fit. Quare autem in ratiocinatione id, quod ab alio elicitur, nec sit omnino idem cum eo, nec diversum ab eo, uti Gratryus voluit, alias videbimus.

Sed illud palmare in hac controversia est, quod Gratryus, et Waddingthonus, cum hanc controversiam de natura inductionis in Logica tractent, inductionemque, tanquam instrumentum logicum sciendi, exponendam suscipiant, leges logicas haud tradidere, secundum quas inductio efficitur. Haec difficultas mentem Waddingthoni minime effugit; sed non aliter ab illa se expedire potuit, quam asserendo « omnem vim inductioni eripi; si intra « formam, legesque ratiocinationis coarctetur, eique in- « terdicatur quadam illa divinatione principiorum, quae « notam essentialem eius constituit [1] ».

At vero, hoc effugium indignum est quolibet plebeio logico, nedum Waddingthono qui multa studia in logicam contulit, et in politiores, antiquos, recentesque Logicos virgulam suam censoriam exercuit. Et sane, quoniam inductio, ipso Waddingthono docente, est actio, per quam mens verum assequitur, necesse est, ut ipsa, quocumque modo explicetur, quibusdam legibus subiiciatur, quippe quod intellectus humanus, ut initio diximus, nisi actiones suas secundum certas leges dirigat, ad inventionem, explicationemque veri pervenire non potest. Atqui leges, quibus intellectus actiones suas ad verum inveniendum, explicandumque dirigit, scientia lo-

---

[1]) *Op. cit.*, Ess. cit., c. 2, § 1, p. 255.

gica tradit. Necesse igitur est, ut inductio legibus logicae subiiciatur. Praeterea inductio , quocumque modo intelligatur , et explicetur, quemdam progressum naturalem mentis humanae ab aliquo ad aliquid includit, neque ipsa aliter, quam veluti processus ab uno ad aliud, ab ipsis Gratryo , et Waddingthono exposita est [1]. Atqui omnis progressus, sive processus naturalis quasdam leges servet necesse est , ut terminum sibi praestitutum assequatur , quia, aiente s. Thoma, « In omnibus , in quibus inve« nitur aliquod principium , ordo attenditur secundum « comparationem ad illud principium [2] ». Rursus igitur liquet omnino oportere, ut inductio, non secus ac reliquas actiones, quibus intellectus verum assequitur, legibus logicae subiiciatur.

Iamvero, si inductio legibus logicae subiicitur, hae leges aliae esse non possunt , quam illae , quibus omnis processus perveniendi ab ignoto ad notum regitur : inductio enim, secundum ipsos Philosophos , contra quos disserimus, est processus, quo ab uno, pluribusque particularibus iam notis ad cognitionem legis universalis antea ignotae pervenitur. Iam , quoniam harum legum haec suprema , et reliquarum fons est non posse ignotum a noto elici, nisi unum alio quodammodo contineri perspiciatur, consequens est intellectum non posse ullam legem universalem ab uno, pluribusve particularibus inducere , nisi illam his quodammodo contineri noverit. Iam, secundum doctrinam inductionis aristotelicae, quam naturae inductionis consentaneam esse vidimus , lex universalis pluribus particularibus re ipsa logice continetur. Namque intellectus non inducit legem universalem

---

[1]) Rationem nominis s. Thomas attulit hoc modo: « Nomen « processionis primo est inventum ad significandum motum lo« calem, secundum quem aliquid ordinate ab uno loco per media « ordinatim in extremum transit; et ex hoc transumitur ad signi« ficandum omne illud, in quo est aliquis ordo unius ex alio, vel « post aliud »; *Qq. dispp., De Pot. Dei*, q. X, a. 1 c.

[2]) 2^a 2^{ae}, q. XXVI, a. 6 c.

ex phaenomenis particularibus , nisi , postquam certus factus est id, quod in quibusdam individuis sensus deprehendit , non esse in eis accidens fortuitum , sed ad eorum naturam pertinere [1], indeque novit se efficere posse assumptionem , quae omnia individua complectitur. Iam , quandoquidem id , quod ad naturam alicuius individui spectat, tanquam universale ab intellectu intelligitur , quia intelligitur tamquam aliquid , quod non est proprium individui, in quo observatur , sed est ei cum cunctis aliis eodem genere , aut specie comprehensis commune , inde patet , si unum , pluraque individua , ex quibus lex universalis inducitur , logice considerentur, legem universalem in ipsis re vera contineri. Quocirca futile est palmare illud principium , quod Gratryum, et Waddingthonum ad inductionem vulgarem reiiciendam, aliamque ei sufficiendam permovit.

His omnibus accedit , quod Gratryus saepe asseruit , et inculcavit nos ab unius , vel plurium phaenomenorum observatione ad legem universalem admittendam pertrahi ex eo, quod hanc rerum universitatem legibus universalibus contineri , et regi naturaliter persuasum nobis est ; nam ex eo , quod huiusmodi persuasio animis nostris naturaliter insidet , efficitur , ut , quoties nonnullum vestigium alicuius legis universalis in phaenomenis particularibus nanciscimur , ad legem universalem statuendam assurgamus. E multis locis hunc afferamus : « Ita , vera inductio , sive processus infinite-
« simalis nititur huic fidei naturali , quae leges , ante-
« quam detegantur, affirmat , hoc est, quae unitati sub
« diversitate, necessario sub contingenti, infinito sub fi-
« nito, geometriae sub iis , quae confusa videntur , fi-
« dem adiungit. Haec quidem fides , quae in anteces-
« sum aliquas leges esse affirmat , inquirit ope obser-

---

[1]) « Oportet, inquit s. Thomas, ut quae ad aliquam naturam « pertinent, conveniant omnibus suppositis in natura illius »; *Qq. dispp., De Pot. Dei*, q. IX, a. 9 ad 2.

« vationis, quaenam sint hae leges, atque has affirmat, « statim ac *facta*, seu phaenomena aliquod eorum ve- « stigium illi offerunt [1] ». Iam, nemo non videt hanc doctrinam Gratryi non aliam esse, quam quae a Scholasticis post Aristotelem constanter tradita fuit, et a plerisque recentibus retenta. Re vera, Scholastici constanter docuerunt intellectum ab enumeratione aliquorum phaenomenorum, seu *factorum* ad legem universalem progredi, quia causas naturales, quippe quae necessariae sunt, eosdem effectus semper gignere novit. Ast hae duo pronunciata, causas naturales semper eodem modo effectus suos producere, et mundum legibus universalibus gubernari omnino idem valent, quippe quod, cum natura quidquid agit, semper eodem modo agat, leges, quibus mundus regitur, universales esse debent. Quin immo Scholastici hac in re Gratryo, aliisque recentibus longe praestant. Nam Gratryus opinionem Reidii, quam suo loco confutabimus, secutus, putavit persuasionem de constantia legum naturalium, quam homines habent, esse *fidem naturalem*, vel *coecum instinctum*; sed Scholastici ipsam esse veritatem experientia innixam, firmisque rationis momentis roboratam docuerunt. Quamobrem intellectus secundum Scholasticos, non secus ac Gratryus in loco, quem modo exscripsimus, voluit, antequam facta, seu phaenomena observet, indeque legem universalem inducat, mundum legibus universalibus gubernari *a priori*, aiunt, cognoscit, atque ex eo, quod hoc cognoscit, quoties plura similia phaenomena in sensus incurrunt, ea ad legem universalem revocat.

Iam, si forma logica inductionis doctrinae idealogicae, quam exposuimus, respondere debet, nemo non intelligit conclusioni inductionis duas propositiones praecedere oportere; unam, quae enumerationem phaenomenorum complectitur, alteram quae illam enumerationem esse integram, et perfectam significat. Ex quo con-

---

[1]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 3, § 1, p. 74.

ficitur intellectum in inductione a propositione, quae phaenomena observata enumerat, ad conclusionem, quae legem universalem statuit, non illico, sed per propositionem, quae illam enumerationem esse integram significat, progredi, ob idque formam ratiocinationis inductivae non esse *immediatam*, ut Gratryus post aliquot recentes voluit, sed esse *mediatam*.

Ex his, quae hactenus disputavimus, abunde patescit 1° inductionem, cuius subsidio Keplerus, Leibnitius, Newtonus, aliique summi Viri tot, tamque praeclaris inventis scientias naturales, et mathematicas ditarunt, non differre, ut Gratryus sensit, ab inductione, quam Aristoteles descripsit, et Scholastici explicuerunt, sed unam, eamdemque cum ipsa esse; 2° recentes Logicos, qui de inductione tractarunt, cum Aristotele, et Scholasticis re consensisse, sed deceptos esse, quod, cum a philosophiae scholasticae studio abhorruissent, veram, germanamque formam inductionis ab eis traditam ignorarunt.

Diremtis controversiis, quae de natura inductionis a recentibus ventilatae sunt, in promptu est veram definitionem inductionis tradere. Etenim cuilibet ea, quae de forma inductionis decrevimus, expendenti manifestum efficitur duo in ea digna esse, quae adnotentur. Primum est, quod inductio contrariam, ac syllogismus stricte sumtus, viam sectatur, quia non a toto ad partes, uti syllogismus, sed a partibus ad totum progreditur; alterum vero, quod partes, ex quibus inductio progreditur, vel omnes exserte, vel partim exserte, partim summatim significantur. Quocirca ceteris definitionibus illa nobis praeferenda esse videtur, quam Scotus concinnavit his verbis: *Inductio est progressio ab aliquibus singularibus, vel ab omnibus sufficienter enumeratis ad conclusionem universalem* [4].

Quandoquidem syllogismi categorici tam deductivi,

[4]) *In lib. II Prior. Anal.*, q. I, n. 8.

quam inductivi doctrinam exposuimus, ad syllogismum hypotheticum explicandum progrediamur.

ARTICVLVS QVARTVS

De syllogismis hypotheticis

Aristoteles, quemadmodum de enunciationibus hypotheticis, ita de syllogismis hypotheticis nihil in libris eius, qui extant, scriptum reliquit. Theophrastus, et Eudemus eius discipuli hanc doctrinam exponendam susceperunt. Testis huius rei Boëthius est, qui ad Symmachum scribens, ait : « Nam, cum categoricorum syllo-« gismorum amplissime notitiam percepisses, de hypothe-« ticis syllogismis saepe quaerebas, in quibus ab Aristo-« tele nihil est conscriptum. Theophrastus vero, vir om-« nis doctrinae capax, rerum tantum summas exequi-« tur. Eudemus latiorem docendi graditur viam, sed ita « ut veluti quaedam seminaria sparsisse, nullum tamen « frugis videatur extulisse proventum [1] ». At, quoniam Aristoteles, in *Anal. prior.* [2], syllogismos ἐξ ὑποθέσεως, *ex hypothesi*, commemoravit, de hisque alias tractaturum promisit, lis orta est inter eruditos, utrum ipse illa voce syllogismos, qui post Theophrastum, et Eudemum *hypothetici* nuncupati sunt, an alios indigitaverit. Ioannes Gherardus Vossius voluit Aristotelem syllogismi *categorici* nomine non alium, quam *aientem*, καταφατικὸν, designasse, atque hunc nunquam syllogismo *hypothetico*, ἐξ ὑποθέσεως, sed semper *neganti*, ἀποφατικῷ, et *privativo*, στερητικῷ, opposuisse [3]. Hoc iudicium Vossii Hamiltonus valde probavit, illudque adversus recentes Logicos Oxonienses demonstrare studuit. Asseruit enim Aristote-

---

[1]) *De syllogismo hypothetico ad Symmachum*, lib. I, p. 606, ed. cit. Cf Laur. Valla, *Op. cit.*, lib. III, c. 10, p. 740, ed. cit.

[2]) Lib. I, c. 23, et 44, p. 187, et 210 ed. Waitz.

[3]) « Nec usquam, subdit, in Aristotele syllogismus categoricus « opponitur hypothetico »; *Op. cit.*, c. VIII, § 8.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

lem voce syllogismi ἐξ ὑποθέσεως illum significasse, qui per *consensum*, ἐξ ὁμολογίας, seu per conventionem, διὰ συνθήκης, concludit, eumque non opposuisse syllogismo categorico, sed illi, qui δεικτικῶς, *ostensive*, concludit [1]. Verum Barth.-Saint-Hilaireus Pacium [2], et recentes Oxonienses secutus Aristotelem [3], quum syllogismos ex hypothesi nominavit, ad illos, quos Theophrastus, et Eudemus hypotheticos dixere, digitum intendisse censuit [4]. Id vero Waitzius adeo pro certo habet, ut Aristotelem huius negligentiae reprehensum fuisse valde miretur [5]. At tam Saint-Hilaireus, quam Waitzius cum locos Aristotelis, quos citavimus, ita interpretantur, obiectioni Vossii, et Hamiltoni minime respondent. Nobis illud certum videtur Stagiritam syllogismum *ex hypothesi* non simpliciter categorico, sed categorico δεικτικῷ, *ostensivo*, opposuisse, quia hypotheticus a categorico ex eo reapse differt, quod hic *ostensive*, δεικτικῶς, ille ex aliquo *assumto*, πρὸς τὸ μεταλαμβανόμενον, sive *per confessionem*, δι' ὁμολογίας, eius, cum quo disputatur, concludit; unde quae ex hypothesi probantur, ab eo non dicuntur ἀποδείκνυσθαι, *ostendi*, sed περαίνεσθαι, *concludi*, vel, ut alii interpretantur, *probari* [6]. Re vera, syllogismus, qui hypotheticus post Theophrastum, aliosque nuncupatur, Waitzio scite monente [7], nihil concludere potest, nisi illud, quod ab initio, τὸ ἐξ ἀρχῆς [8], positum est, nempe ὑποθέσις, *conditio*, concedatur. Ita conclusio huius syllogismi hypothetici, *si dies est, lux est; dies est; ergo lux est*, vim suam mutuatur ex eo, quod illud, quod in prima enunciatione positum est, nempe *dies est*, in secunda conceditur. Vnde, « hypothetica, laudatus in-« terpres ait, dicitur demonstratio, quae non recta pergit a « propositionibus sumtis ad id, quod colligi debet, sed quae « ut efficiat quod vult, alia quaedam, praeter ipsas propo-

---

[1]) *Fragm. Log.*, p. 236-238 ed. cit.

[2]) *Organum Arist.*, Adnot. in *Analyt. prior.* lib. I, c. 29, § 6, et *Comment. analyticus* in h. l., Francofurti 1597.

[3]) *La log. d' Arist.*, part. 2, c. 1, sect. I, c. 4, t. I, p. 253, ed. cit.

[4]) *Op. cit.*, vol. I, p. 431-433.—[5]) Vathely, *Op. cit.*, p. 104.

[6]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 44, p. 210, et 211 ed. Waitz.

[7]) *Op. cit.*, vol. I, p. 432.—[8]) Vid. Arist. *ibid.* c. 23, p. 187.

« sitiones, ut sibi concedantur, postulat: quae cum ex al-
« terius arbitrio pendeant, demonstratio dicitur hypothéti-
« ca, quippe non admittatur, nisi ea conditione, ut quae
« postulentur, dentur ab altero[1] ». Hanc sane ob causam, uti ab eodem Waitzio post alios observatum est, Aristoteles de illis in *Analyt.* non tractavit, quia, cum ipsi non ex principiis internis, et propriis rei, sed ex concessione, et consensu concludant, perfectam formam syllogismi haud prae se ferunt. « Quae cum ita sint, idem nuperrimus interpres in-
« quit, non possum non mirari, quod Aristoteles reprehen-
« di soleat, quod nihil tradiderit de syllogismis hypothéti-
« cis, praesertim cum c. 44... appareat quaestionem de his
« syllogismis eum alienam iudicasse ab Analyticis: etenim
« quae non conficiuntur nisi δι ὁμολογίας, ea certe scientiae
« nihil fere utilitatis afferre poterunt, quamvis non sint ne-
« gligenda in arte dialectica. Consilio igitur praetermisit in
« Analyticis quodcumque iustam, et perfectam demonstra-
« tionem non admittit, sed ex concessione pendet, et ex ar-
« bitrio alterius[2] ». Ex his, ni fallimur, satis, superque ostensum est 1° Aristotelem syllogismum, qui ab eius discipulis, et a Stoicis hypotheticus nuncupatus fuit, non ignorasse, atque hunc inter illos, qui ex hypothesi fiunt, recensuisse; 2° contrarium non posse evinci ex eo, quod ipsum non opposuit categorico, sed ostensivo, quia ipse non opponitur omni categorico, sed illi dumtaxat, qui ostensivus ab eodem Stagirita dictus fuit.

Sed, missa hac controversia, inter omnes convenit universam doctrinam syllogismorum hypotheticorum e Megaricorum, et praesertim Stoicorum fontibus petendam esse, cum perpauca eorum, quae Theophrastus, aliique illos docuere, nobis comperta sint. Re vera Stoici, cum, teste Alexandro

---

[1]) *Ibid.*, p. 427.

[2]) *Op. cit.*, p. 432. Monendum tamen est syllogismum hypotheticum latius apud Aristotelem, quam apud nos, patere; siquidem Aristoteles hypotheticum dicit omnem syllogismum, in quo aliquid ex concesso concluditur, quacumque ex ratione id concedatur. Vnde deductio ab impossibile hypothetica ab eo quoque dicta est; *Op. cit.*, ibid., c. 23, p. 187. Cf Waitz *ibid.*, p. 427 et 431.

Aphrod. [1], syllogismum categoricum *sine methodo concludere*, ἀμεθοδῶς περαίνειν, existimassent, in hypothetico excolendo, ut infra videbimus, adlaborarunt. Ne de Philopono, aliisque graecis interpretibus quidquam dicamus [2], Boëtius duos libros *De syllogismo hypothetico* exaravit, ut ea quae apud perpaucos graecos strictim, confuseque tractata invenerat, explicaret, et absolveret [3]. Apud Scriptores Ecclesiasticos, in primisque s. Augustinum, quemadmodum de reliquis locis logicae, ita de hoc praecepta, et exempla non desunt. Principes Scholastici mediae aetatis, cum Aristotelis *Organo* vel universo, vel ex parte excolendo se totos dedissent, de syllogismis hypotheticis data opera non tractarunt, sed in eorum operibus, praesertim ad theologiam pertinentibus, non pauca inveniuntur, quae illos doctrinam syllogismi hypothetici nec ignorasse, nec pauci fecisse luculento argumento sunt. Ast a Scholasticis recentis aetatis hic locus philosophiae stoicae in logicam peripateticam invectus est. Denique omnes recentes Logici de syllogismo hypothetico, aeque ac de categorico, disseruere; sed non pauci eorum, quemadmodum enunciationum hypotheticarum, uti ostendimus, ita syllogismorum hypotheticorum germanam, utilemque doctrinam haud satis noverunt. Itaque nos, ne hic locus cognitu sane utilis in hac nostra Logicae tractatione desideraretur, doctrinam stoicam syllogismi hypothetici, quam et ipsi veteres Peripatetici, et nobiliores Logici recentes probarunt, breviter, sed dilucide exponemus.

Syllogismus hypotheticus, uti ex dictis facile patescit, ille est, cuius prima enunciatio est hypothetica. Vt id planum cuique fiat, animo recolendum est enunciationem hypotheticam a categorica in eo differre, quod in hac significatur ali-

---

[1]) *In lib. I Prior. analyt.*, ed. cit.

[2]) In *Introd. dialect.* Galeni, quam Mynas edidit (vid. p. 266, not. 2), quaedam fragmenta de syllogismo hypothetico extant (p. 17-20, et 36-43), quibus iam dicta a Philopono (*Ad prior. Analyt.* lib. I, c. 22) absolvuntur.

[3]) « Quod igitur, ait ad Symm., apud scriptores quidem Grae-« cos perquam rarissimos strictim atque confuse, apud Latinos « vero nullos reperi, id tuae scientiae dedicatum, noster, etsi diu-« turnus coepti tamen efficax labor excoluit »; lib. I, p. 606, ed. cit.

quid alicui inesse, in illa autem unum esse, si alterum fuerit. « At in his propositionibus, Boëtius ait, quae conditionales dicuntur, non idem praedicationis est modus. Neque « enim omnino alterum de altero praedicatur, sed id tantum « dicitur esse alterum si alterum fuerit. Nam, cum dicimus, « homo animal est, propositionem fecimus praedicativam, « at, si ita proponamus, si homo est, animal est, in conditionalem vertitur enunciationem. In praedicativa igitur id « spectabimus, quod ipse homo animal sit, id est nomen « animalis in se suscipiat. In conditionali vero illud intelligimus, quod si fuerit aliqua res, quae homo esse dicatur, « necesse sit aliquam rem esse, quae animal nuncupetur [1] ».

Iam, quoniam haec vis est enunciationis hypotheticae, quae in syllogismo hypothetico munus propositionis obit, consequitur non posse in conclusione syllogismi hypothetici unum affirmari, aut negari, nisi in assumptione alterum esse, aut non esse perspiciatur. Ita ab enunciatione hypothetica, quam Boëtius, e. g., attulit, non potest colligi esse aliquam rem, quae animal nuncupatur, nisi assumptio praecesserit, in qua hominem esse statuatur. Vnde existit hic syllogismus hypotheticus: *Si homo est, animal est; homo est; ergo animal est.* Ex quo intelligis illud inter syllogismum categoricum, et hypotheticum interesse, quod in illo aliquid alicui inesse, aut non inesse *simpliciter*, ἁπλως, in hoc autem *ex aliqua conditione*, ἐξ ὑποθέσεως, significatur. Enimvero in categorico aliquid esse, aut non esse concluditur, eo quod ambo cum aliquo tertio consentire, aut unum cum eo consentire, et alterum ab eo dissentire in praemissis compertum est; in hypothetico autem aliquid esse, aut non esse concluditur, eo quod aliud, ad quod refertur, esse, vel non esse antea demonstratum, aut ab eo, cum quo disputatur, concessum est. Prima enunciatio syllogismi hypothetici, quae conditionem continet, λῆμμα, *sumptio*, a Stoicis dicta est, quia in ea aliquid esse, aut non esse non asseritur, sive, ut barbara voce in Scholis trita utamur, supponitur. Secunda autem, quae sumtum in prima ponit, aut tollit, πρόληψις,

[1]) *Op. cit.*, p. 607. Cf p. 141 sqq, et p. 152.

assumptio, ab eis nuncupata est, quia ipsa circa sumtum in prima versatur. Tertia autem ἐπιφορὰ, *illatio*, apud eos audiit, quippe illud continet, quod ex sumptione et assumptione infertur. Hinc a nonnullis Stoicis syllogismus hypotheticus definitus est: *Oratio quae ex lemmate, et assumptione, et conclusione constat.* Laërtius, ex quo hoc accepimus, subdit: « ut huiusmodi, si dies est, lux est; dies autem « est; lux ergo est. Sumptio enim est, si dies est, lux est; « assumptio vero, Dies autem est; conclusio, Lux ergo est[1] ».

Iam, quandoquidem tres sunt, ut antea vidimus[2], species enunciationis hypotheticae, tres quoque sint oportet species syllogismi hypothetici, quia, quot modis enunciatio hypothetica quae propositionis officio fungitur, variare potest, tot *modis* etiam syllogismus variare debet. Hinc, quemadmodum enunciatio hypothetica est vel *connexa*, vel *coniuncta*, vel *disiuncta*, ita syllogismus hypotheticus vel *connexus*, vel *coniunctus*, vel *disiunctus* esse potest. Connexus est syllogismus, in quo sumptio est aliquod connexum: puta *si dies est, lux est*: *atqui dies est*; *ergo lux est*; coniunctus autem, in quo sumptio est aliquod coniunctum: e. g. *non dies est, et nox est*: *atqui dies est*; *ergo non est nox*; disiunctus denique, in quo sumptio est aliquod disiunctum, uti *aut dies est, aut nox est*: *atqui dies est*; *ergo non est nox.*

Trina haec divisio syllogismi hypothetici, cum ex se perspicua sit, maiori explanatione non indiget; sed necesse est, ut quibus rationibus in huiusmodi syllogismis recte concludi possit, attente inquiramus. Ratio, secundum quam syllogismus hypotheticus concludit, *modus*, τρόπος, vocatus a Stoicis fuit, quia est, ut apud Laërtium legitur, « veluti ora« tionis figura; cuiusmodi est illud: Si primum est, est et « secundum: atqui primum est; ergo et secundum[3] ». Iam

---

[1]) Cf Laërt., lib. VII, segm. 76, ed. cit. — [2]) P. 145 sqq.

[3]) Lib. VII, segm. 76. Quoties sumptio vocibus propriis, assumptio autem, et illatio formulis communibus significabantur syllogismus λογότροπος, teste Laërtio, dicebatur: « Logotropos « (quasi dicas *sermonimodus*); est, quod ex utrisque componitur, « ut, si vivit Plato, spirat Plato. Atqui prius ita se habet; igitur « et posterius » (*ibid.*, segm. 77). Quod si nosse cupias, cur Stoici

modorum, secundum quos syllogismi hypothetici concludere possunt, alii sunt συναπτοί, *apti ad colligendum*, ob idque ἀναπόδεικτοι, *demonstratione non egentes*, alii autem ἀσύναπτοι, *inepti ad colligendum* [1]. Illi dicuntur, in quibus ex sola vi formae aliquid recte concluditur; hi vero, in quibus ex sola vi formae nihil concludi potest. Primi demonstratione non egere dicuntur, quia in ipsis ex eo, quod in assumptione alterutra pars sumtionis concessa est, sine ulla demonstratione ea, quae reliqua est, inde infertur: puta, in allato exemplo, si tibi concessum, aut quocumque modo exploratum sit diem esse, inde colligere sine ulla demonstratione potes esse lucem.

Logici, post Chrysippum [2], non plures, quam quinque modos, aptos ad colligendum, et indemonstrabiles in cunctis syllogismis hypotheticis sapienter admittunt. Re vera, syllogismus *connexus* duos sibi vindicat; scilicet, cum, posito antecedenti sumptionis in assumptione, colligit consequens eius in conclusione, vel, sublato consequenti sumptionis in assumptione, antecedens eius in conclusione tollit. Horum modorum veritas ita probatur: In connexa enunciatione antecedens, ut alibi ostendimus, rationem consequentis continet. Atqui, ut in *Idealogia* videbimus, posita ratione, necesse est, ut illud, cuius ratio est, una ponatur, et sublato eo, cuius aliquid ratio est, hoc ipsum, quod eius ratio est, una tollitur. Ergo, assumto antecedenti connexi, consequens eius affirmari in conclusione debet, et, negato consequenti, antecedens negetur necesse est. Hinc utiles, bonique sunt hi duo syllogismi hypothetici: *Si dies est, lux est: atqui dies est; ergo lux est*, et, *si dies est, lux est: atqui non est lux; ergo nec dies* [3]. Duas hasce regulas post

---

huiusmodi formulas adhiberent, audi eumdem Laërtium: « Invectum est autem id genus in prolixioribus verborum structuris, ut non necesse esset assumptionem longam, conclusionemque dicere, sed tantummodo inferre; primum autem est, ergo et secundum »; *ibid.*

[1]) Cf Sext. Emp., *Pyrrh. hypoth.*, lib. II, c. 13, segm. 156, et *Advers. Log.*, lib. II, sect. 233 sqq.

[2]) Ap. Laërt., lib. VII, segm. 79.

[3]) Vid. Laërt., lib. VII, segm. 80, et Sext. Emp., *Pyrrh. hypot.*, lib. II, c. 13, sect. 157.

Stoicos Tullius tradidit his verbis: « Appellant autem Dia-
« lectici eam conclusionem argumenti, in qua, cum primum
« assumpseris, consequitur id, quod annexum est, primum
« conclusionis modum. Cum id, quod annexum est, negâ-
« ris, ut id, cui annexum est, negandum sit, secundus ap-
« pellatur concludendi modus [1] ». Ad secundam regulam s. Augustinus revocavit illam argumentationem s. Pauli adversus negantes resurrectionem: *Si non est resurrectio mortuorum, neque Christus resurrexit* [2]. Nam, si, sublato consequenti, una et antecedens tollatur oportet adversarii resurrectionis, quoniam perfitebantur falsum esse Christum non resurrexisse, falsum quoque esse fateri cogebantur, non futuram resurrectionem mortuorum [3].

Contra ea, posito in assumptione consequenti sumptionis, non potest ex vi formae poni antecedens in conclusione, et, sublato in assumptione antecedenti sumptionis, consequens huius in conclusione ex vi formae tolli nequit. Ratio, ob quam hi modi reiiciendi sunt, haec est: Quoniam consequens connexi in alia re, quam quae antecedenti significatur, rationem sui habere potest, sequitur consequens existere posse, quin antecedens existat. Iam, quoniam consequens sine illo antecedenti esse non repugnat, procul dubio ex eo solum, quod datur esse consequens, inferri non licet esse quoque antecedens, itemque ex eo, quod datur non esse an-

---

[1]) *Top.*, c. 13, ed. cit. — [2]) *I ad Cor.*, c. XV, v. 13.

[3]) « Cum falsum est, sanctus Doctor scribit, quod consequitur,
« necesse est, ut falsum sit quod praecedit. . . . Ex hac regula il-
« lud est quod de apostolo Paulo commemoravimus: praecedit
« enim non esse resurrectionem mortuorum, quod dicebant illi
« quorum errorem destruere volebat Apostolus. Porro illam sen-
« tentiam praecedentem, qua dicebant non esse resurrectionem
« mortuorum, necessario sequitur, *Neque Christus resurrexit:*
« hoc autem quod sequitur, falsum est; Christus enim resurrexit:
« falsum est ergo et quod praecedit; praecedit autem, non esse
« resurrectionem mortuorum: est igitur resurrectio mortuorum.
« Quod totum breviter ita dicitur: Si non est resurrectio mortuo-
« rum, neque Christus resurrexit: Christus autem resurrexit; est
« igitur resurrectio mortuorum. Hoc ergo, ut consequenti ablato
« auferatur etiam necessario quod praecedit, non instituerunt ho-
« mines, sed ostenderunt »; *De doctr. Christ.*, lib. II, c. 32, n. 50.

tecedens, ne consequens quidem esse inferri non potest. Quocirca vitiosi sunt hi duo syllogismi hypothetici: *Si est homo, est animal: atqui est animal; ergo est homo*, et: *Si est philosophus, est homo; non est autem philosophus; ergo non est homo.* De secundo genere syllogismi hypothetici s. Augustinus ait: « Non enim, sicut ablato consequenti auferetur necessario quod praecedit, ita etiam ablato praecedenti aufertur necessario quod consequitur. Quia verum est, cum dicimus: Si orator est, homo est; ex qua propositione si assumamus: Non est autem orator; non erit consequens cum intuleris: Non est igitur homo [1] ».

Syllogismus connexus non plures, quam quatuor modos, quos recensuimus, habere potest, quia non aliud in ipso evenire potest, quam ut ex duabus partibus, quae sumptionem eius constituunt, posita una, ponatur altera, et vicissim, aut, sublata una, altera auferatur, et vicissim. Quamobrem omnes modi, quos syllogismus connexus habere potest, quatuor sunt, atque horum duo συναχτοι, *apti ad colligendum*, duo vero ἀσύναχτοι, *inepti ad colligendum*. Illi significantur his formulis: *Si primum, et secundum: atqui primum; ergo et secundum*, et: *Si primum, secundum; atqui non secundum; ergo nec primum*: hi vero his aliis duobus: *Si primum, secundum; atqui secundum: ergo et primum*, et: *Si primum, secundum: atqui non primum; ergo nec secundum.*

Syllogismus *coniunctus* unum modum aptum ad colligendum habet. Re vera, hic syllogismus recte concludit, cum, posito in assumptione uno illorum, quae in coniuncta enunciatione numerata sunt, unum, vel plura reliqua in conclusione reiiciuntur; puta: *Non est mortuus Plato, et vivit Plato: atqui mortuus est Plato; non ergo vivit Plato* [2]. Et sane, quoniam enunciatio coniuncta de uno, eodemque subiecto plura enunciat, quae cum eo simul componi nequeunt, necesse est, ut, assumto uno, cetera reiiciantur. Evidens autem est, si primum, sive secundum assumatur, semper

---

[1]) *Op.*, et loc. cit. c. 33, n. 51.
[2]) Cf Laërt., *ibid.*, et Sext. Emp., *Op. cit.*, sect. 158.

eumdem modum concludendi existere, quia, cum ea secum pugnent, quodcumque eorum ponitur, alterum auferatur oportet. Itaque hic modus duabus formulis significatur, scilicet: *Non primum, et secundum: atqui primum; ergo non secundum; Non primum, et secundum: atqui secundum; ergo non primum.* Ineptus vero ad colligendum modus est, cum, sublato uno, vel pluribus eorum, quae numerata sunt, reliquum retinetur; si quidem fieri potest, ut quidquam aliud, quam enumerata, subiecto conveniat. Iam, cum ex vi formae cognosci nequeat, utrum, necne integra sit enumeratio partium in enunciatione coniuncta, liquet allatum modum syllogismi coniuncti non esse indemonstrabilem, et aptum ad colligendum, quia in eo non potest conclusio ex praemissis elici, nisi enumerationem partium, quam enunciatio coniuncta exhibet, integram esse demonstratum fuerit. Ita perperam concludit hic syllogismus: *Petrus non stat simul, et sedet: atqui non sedet; ergo stat*; Petrus enim potest etiam iacere. Quocirca vitiosus est modus, qui continetur hac formula: *Non primum, et secundum: atqui non primum; ergo secundum*, aut hac altera, quae ad primam redit: *Non primum, et secundum: atqui non secundum; ergo primum.* Horum duorum modorum syllogismi coniuncti Tullius quoque meminit, eosque conclusit his diversis formulis: *Non et hoc est, et illud; hoc autem: non igitur illud; Non et hoc, et illud, non autem hoc: illud igitur* [1].

Restat, ut de syllogismo disiuncto aliquid dicamus. Ad hunc syllogismum duo modi indemonstrabiles pertinent. Nam, cum ea, quae in enunciatione disiuncta numerantur, secum e fronte pugnent, oportet, uno assumpto, aliud, vel reliqua tolli, et, uno, vel pluribus sublatis, reliquum assumi, quia pugnantium plus uno verum esse non potest [2]. Hinc recte concludunt hi syllogismi: *Aut dies est, aut nox: dies autem est; non est igitur nox: Aut dies est, aut nox: atqui non est nox, ergo est dies.* Formulae, quibus hi modi

---

[1]) *Op. cit.*, c. 14. Sed non advertit hunc secundum modum esse vitiosum; ex quo factum est, ut plures, quam quinque modos rectos numeraret. — [2]) Vid. p. 151.

designabantur a Stoicis, hae sunt: *Aut primum est, aut secundum; est autem primum; ergo non secundum: Aut primum est, aut secundum, atqui non est secundum; ergo primum* [1]. Cicero novas formulas proposuit, ubi ait: « Reliqui « dialecticorum modi sunt, qui ex disiunctionibus constant: « *Aut hoc, aut illud; hoc autem: non igitur illud.* Itemque: « *Aut hoc, aut illud: non autem hoc; illud igitur.* Quae « conclusiones idcirco ratae sunt, quia in disiunctione plus « uno verum esse non potest [2] ».

Haec sunt, quae de syllogismis hypotheticis cognitu utilia putavimus [3]; quisquis plura nosse cupit, logicae stoicae explanatores adeat [4]. E re est hanc brevem tractationem verbis claudere, quae ad hanc rem Gellius protulit: « Sed hoc « breve ex dialectica libamentum dedisse nunc satis erit: « atque id solum addendum, admonendumque est, quod « huius disciplinae studium, atque cognitio in principiis « quidem tetra, et aspernabilis, insuavisque esse videri solet: « sed ubi aliquantum processeris, tum denique et emolu- « mentum eius in animo tuo dilucebit, et sequetur quae- « dam discendi voluptas insatiabilis; cui sane nisi modum « feceris periculum non mediocre erit, ne, ut plerique alii, « tu quoque in illis dialecticae gyris, atque maeandris, tan- « quam apud Sirenios scopulos, consenescas [5] ».

ARTICVLVS QVINTVS

De enthymemate

Ad tractatum de ratiocinatione absolvendum non aliud reliquum est, quam ut quasdam species argumentationis

---

[1]) Vid. Laërt., *Op. cit.*, lib. cit., segm. 81; Sext. Emp., *Op. cit.*, ibid.; Aul. Gell., *Noct. Attic.*, lib. XVI, c. 8, ed. cit. — [2]) *Op. cit.*, ibid.

[3]) Praeter antiquos Auctores, quos passim laudavimus, videsis Gassendium, *Log.*, lib. I *De origine et varietate*, c. 6, *Opp.*, t. I, p. 43 sqq, ed. cit.; Thom. Stanleyum, *Hist. phil.*, *Doctr. Stoic.*, part. I, c. 26-29, Lipsiae 1701, et inter nuperos Malletum, *Histoire de l' école de Mègare*, ed. cit. passim.

[4]) Prae ceteris legendus est Boëtius, *Op. cit.*, et *In Topic. Cicer. Commentt.*, lib. V, p. 823 sqq, ed. cit. — [5]) *Op. cit.*, ibid.

explicemus, quae ad syllogismum, vel ad inductionem quodammodo accedunt. Ab enthymemate ordiamur.

Fere omnes recentes Logici cum Auctore *Artis cogitandi* [1], et Wolfio [2], docent *enthymema*, ἐνθύμημά [3], a syllogismo non differre, nisi ex hoc capite, quod in illo vel propositio, vel assumptio omittitur, idque fieri, cum ipsa ab eo, cum quo disseritur, facile intelligi potest. Vnde ab eis syllogismus *mutilus*, vel *decurtatus* vocari consuevit [4]. Hi vero vel nullam mentionem Stagiritae fecerunt, vel hanc esse notionem enthymematis, quam Stagirita tradidit, scripserunt. At Rodolphus Agricola [5], Phrissemius [6], aliique, ac in primis Iulius Pacius [7], docuere enthymema, iudicio Aristotelis, non secus ac syllogismum, ex tribus enunciationibus componi, sed ab hoc discriminari, quod *a verisimilibus, et signis*, non vero a principiis rei propriis conclusionem elicit. Id Iacob. Facciolatius apposita *acroasi* propugnandum suscepit, et loca Aristotelis, quae ab adversariis obiiciuntur, luculenter explicuit [8]. E nuperis Guil. Hamiltonus, ut Trendelenburgium [9], Eugenium Thionnville [10], aliosque philosophiae aristotelicae explanatores praetereamus, opinionem Iul. Pacii, et Iac. Facciolatii resumpsit, et contra recentes Logicos Oxonienses tuitus est [11], sed Galluppius [12], Rosminius [13], Lichten-

---

[1]) Part. III, c. 14, p. 175, et 176, ed. cit.

[2]) *Op. cit.*, part. I, sect, IV, c. 4, § 397, et 399.

[3]) Quintilianus (*Op. cit.*, lib. V, c. 10, § 1) ἐνθύμεμα *commentum*, vel *commentationem* vertit; est enim ἐνθυμεῖσθαι *commentari*, sive *animo versare*. Ast a Boëtio (*In Topic. Cic.*, lib. V, p. 831, ed. cit.) vox *enthymema* retenta est, qua Cicero (*Topic.* c. 13) usus fuerat.

[4]) Inter nuperos legesis Wittenbach, *Praecepta logicae*, lib. III, c. 6, § 18; Kiesewetter, *Op. cit.*, § 257; Twesten, *Op. cit.*, § 117; Lichtenfels, *Op. cit.*, *Log.* part. I, c. 3, § 67, p. 105 et 106, ed. cit.

[5]) *De inventione dialectica libri tres*, Coloniae 1523.

[6]) *Scholia* in *Op.* cit. Agricolae, ed. cit.

[7]) *In lib. II Analyt. prior.* c. 27, § 3, Francofurti 1597.

[8]) *Acroases* XI *dialecticae*, acroas. I, *Log.* t. III, p. 1-14, ed. cit.

[9]) *Elem. log.*, § 37, p. 109-111, ed. cit.

[10]) *De la thèorie des lieux communes dans la Topique d' Aristote* etc., c. I, p. 25, not. (3), Paris 1855. — [11]) *Fragm., Log.*, p. 238-242.

[12]) *Lezz.* etc., lez. LVI, t. I, p. 291, ed. cit.

[13]) *Log.*, lib. II, sez. 2, c. 9, art. I, p. 132, ed. cit.

felsius [1], aliique permulti Wolfio adhaeserunt, quin controversiam excuterent.

Iam, si quid inter tot, tantosque viros mutire nobis licet, opinionem nostram ad haec capita revocabimus. Principio, indubium nobis videtur non posse ullum verum discrimen inter syllogismum, et enthymema in eo constitui, quod in illo tres enunciationes diserte ponuntur, in hoc autem propositio, vel assumptio omittitur. Et sane, quoniam omnis demonstratio, ut Aristoteles scite advertit, perinde ac syllogismus, non ad externam orationem, sed ad internam in animo rationem pertinet [2], manifestum est unam argumentationem non posse specie ab alia discriminari ex eo tantum, quod in alterutra illarum aliqua propositio omittitur; si quidem propositio, quae omittitur, et in animo argumentationem proferentis existit, et in animo auditoris vel lectoris, ut Philoponi verbis utamur [3], cogitanda relinquitur. Nec aliter res se habere potest, quia nisi subintelligatur, ex unica propositione, quae significatur, nihil colligi potest. Ita, sive dixeris, *Socrates est homo*; *ergo est animal*, sive *Omnis homo est animal*; *Socrates est homo*; *ergo Socrates est animal*, perinde est; quia, si propositionem, vel assumptionem omittas, haec necessario intelligenda tibi est, ut colligere possis Socratem esse animal. Quapropter ii, qui enthymema a syllogismo non distinguunt, nisi ex eo, quod in illo propositio, aut assumptio omittitur, duas argumentationes per aliquid, quod accidens illarum est, specie , sive essentia inter se discriminant.

Quod si certum est enthymema non distingui specie a syllogismo ex eo, quod alterutra praemissa caret, id a mente Aristotelis alienum fuisse pro certo etiam habendum est. Namque Aristoteles, ubi enthymematis structuram exposuit, distinctionis, quam nonnulli eius Interpretes ei tribuunt, non meminit, sed enthymema in tres enunciationes per trium litterarum, nempe A, B, C, schema solvit. Ipse hoc exem-

---

[1]) *Opp.* cit., ibid.

[2]) Οὐ γὰρ πρὸς τὸν ἔξω λόγου ἡ ἀπόδειξις, ἀλλὰ πρὸς τὸν ἐν τῇ ψυχῇ, ἐπεὶ οὐδὲ συλλογισμός; *Anal. Post.*, lib. I, c. 10, t. II, p. 15, ed. Waitz.

[3]) *Comm. ad Anal. Post.*, fol. 4, ed. Ald. 1534.

plum adhibuit: Si quis mulierem *uterum gerere*, hoc est concepisse ex eo ostendere velit, quod *lac habet*, medium ei erit τὸ *lac habere*, extremum maius *uterum gerere*, extremum minus *mulier*, quae subiectum quaestionis est [1]. Ex quo hunc syllogismum Albertus M. concinnavit: « omne b. est « a., quia omnis mulier lac habens in mamillis pariens est: « quoddam c. est b., quia haec mulier lac habet in mamillis: « ergo quoddam c. est a., quia haec mulier peperit [2] ». Quin immo Aristoteles, quomodo enthymema ad tres figuras syllogismi reduci queat, commonstravit; at omnis figura tres enunciationes necessario expostulat; enthymema igitur, perinde ac syllogismus, ex tribus enunciationibus secundum Aristotelem constat [3]. Quod si quando Aristoteles scripsit enthymema fieri « ex paucis, et saepe paucioribus quam ex « quibus est primus syllogismus [4] », procul dubio non in hac re discrimen inter utramque argumentationem positum esse dixit, nec id sibi voluisse putandum est, alioquin semper, non vero saepe id fieri dixisset.

Praeterea, indubium est enthymema, Aristotelis sententia, a syllogismo proprie differre, quod ipsa non a certis, propriisque principiis rei, circa quam versatur, sed ex verisimilibus, aut signis aliquid universale concludit. Re vera, Aristoteles, cum enthymema definivit, ipsum esse syllogismum *ex verisimilibus*, *aut signis*, ἐξ εἰκότων, ἢ σημείων, dixit [5]. Vt haec definitio intelligatur, notiones *verisimilis*, et *signi*, de quibus in aliis locis agendum nobis erit, hic breviter innuere oportet. Aristoteles docuit verisimile, εἰκὸς, prout ad enthymema pertinet, esse id, quod in rebus contingentibus plerumque fit, ita ut ad illud, cui est verisimile, veluti uni-

---

[1]) En locum Aristotelis, quem ex editione Ambrosii Didot (Parisiis 1848) exscribimus: « Vt si quis ostendat, *aliquam* uterum « gerere, quia lac habeat, *enthymema concluditur et signum est* ut « in prima figura; medium est τό lac habere; loco A *maioris termini* « τό uterum gerere; τό B, lac habere; mulier autem loco C » (*Anal. Prior.*, c. 29, § 3). Deinceps hac nova, non bekkeriana versione utemur, quia illa in praesentia nobis paratur, et, ni fallimur, bekkeriana clarior est. — [2]) *Anal. Prior.*, lib. II, tract. VII, c. 9.

[3]) *Op. cit.*, ibid. — [4]) *Rethor.*, lib. I, c. 2, ed. Didot.

[5]) *Anal. Prior.*, loc. cit.

versale ad particulare, se habeat [1]. Ita verisimili argumentatur, qui Titium a Sempronio amari ex eo colligit, quod patres filios suos amant, aut Titium recte valentem in crastinum perventurum, quia qui recta valetudine utitur, in crastinum pervenit. In his exemplis ut vides, pronuntiatum, quod verisimile est, nempe *Patres filios suos amant*, est universale, et aliud pronunciatum: *Titius a Sempronio amatur*, est particulare, atque ab illo ad hoc progressionem fit per tertium pronuntiatum, sive manifestum, sive mente retentum, scilicet *Titius est filius Sempronii*. Ex quo istud enthymema concinnatur: *Patres filios suos amant*; *Titius est filius Sempronii*: *ergo Titius a Sempronio amatur*. Atque hoc de verisimili. Quod ad signum attinet. « Signum est, « Tullius ait, quod sub sensum aliquem cadit, et quiddam « significat, quod ex ipso profectum videtur [2] ». Aristoteles advertit signorum, quae veluti universalia ad aliquod singulare se habent [3], duo genera esse; scilicet unum necessariorum, quae aliter se habere non possunt, alterum contingentium, et fortuitorum, quae aliter se habere queunt [4]. Iam, quoniam signum ad rem, quam spectat, tamquam universale ad particulare, se habet, manifestum est ex signo enthymema construi posse, in quo a signo, tanquam principio universali, aliquid, cuius signum est, colligitur per tertium,

---

[1]) « Nam verisimile, inquit, est id, quod plerumque fit, non « simpliciter autem, quemadmodum definiunt nonnulli, sed quod « in iis, quae contingit aliter se habere, sic se habet ad illud, cui « est verisimile, ut universale ad particulare » (*Rethoric.*, lib. I, c. 2, § 15, ed. Didot). Breviter, sed parum logice Tullius: « Sed « appellemus docendi gratia verisimile, quod plerumque ita fiat: « ut adolescentiam procliviorem esse ad libidinem »; *Orator. Partit.*, c. 10, *Opp.*, ed. cit.

[2]) *De invent. reth.*, lib. I, c. 30, ed. cit. Cf s. August., *De Doctr. Christ.*, lib. II, c. 1, n. 1; et Albert. M., *Prior. Anal.* lib. II, tract. VII, c. 8.

[3]) Signum ad id, cuius est signum, vel se habet tamquam singulare ad universale, vel tamquam universale ad singulare. Primum, e. g., est, si quis ex eo, quod Socrates sapiens est iustus, omnes sapientes esse iustos colligat; alterum vero, si quis aliquam mulierem, quae lac habet, peperisse concludit, eo quod omnis mulier, quae peperit, lac habet. Vid. Arist., *Rethoric.*, loc. cit.

[4]) *Op. cit.*, ibid.

quod connexionem inter utrumque patefacit. Puta, ut exemplum ab eodem Aristotele petamus [1], si quis per aliquod signum probare velit aliquem febri laborare, potest conficere hoc enthymema: *Qui anhelat, febri laborat*; *Titius anhelat, ergo Titius febri laborat*.

Quandoquidem haec est notio verisimilium, et signorum, inde patet 1° propositiones, quae ex verisimilibus, et signis conficiuntur, non esse, sed *oratorias*, vel *dialecticas*, seu probabiles, quia dialectici et oratores probabilibus persaepe utuntur, quocirca syllogismo, qui ex illis conflatur, probabilis cognitio gignitur. Audiamus rursus Aristotelem: « ... tecmeria, et verisimilia, et signa propositiones sunt oratoriae. « Omnino enim syllogismus ex propositionibus constat; enthymema vero syllogismus est ex dictis propositionibus « constitutus [2] ». Iam, si enthymema est id genus syllogismi, quod, cum a principiis probabilibus proficiscatur, semper probabilem conclusionem gignit, inde patet ipsum a syllogismo stricte sumto non differre *ratione formae*, sed *ratione materiae*, quia connexio inter praemissas, et consequens, quae formam syllogismi constituit, semper necessaria, et certa esse debet, propositiones autem, quae sunt materia syllogismi, necessariae, aut contingentes seu certae, aut probabiles esse possunt.

Haec notio aristotelica enthymematis cunctis antiquis interpretibus probata est. Inter hos nominare satis est, e graecis Alexandrum Aphrod., et e latinis Boëtium; ille enim docuit syllogismos rethoricos illos esse, quos *enthymemata* nuncupamus [3], hic vero de enthymemate in commentariis ad *Top.* Ciceronis, in quibus de probabilibus argumentis tra-

---

[1]) Signum necessarium vocavit τεκμήριον, *tecmerion*, et non necessarium communi nomine σημεῖον (*Reth.*, ibid.). « Eorum (*si-*« *gnorum*), Quintilianus scribit, alia sunt, quae necessaria sunt, « quae Graeci vocant τεκμήρια, alia non necessaria, quae σημεῖα »; *Op. cit.*, lib. III, c. 9.

[2]) *Rethoric.*, lib. I, c. 4, § 7, ed. Didot.

[3]) Τοιοῦτοι δὲ εἰσὶ καὶ οἱ ῥητορικοὶ, συλλογισμοὶ, οὓς ἐνθυμήματα λέγομεν; *Ad Top.* p. 6 et 7, Venetiis 1513. Cf *Ad Prior. Anal.*, fol. 7, Venetiis 1534.

ctatur, aliquid disseruit [1]. Idem de Scholasticis tenendum est, uti praesertim apud Albertum M. [2] videre licet.

At vero, si exploratum est Aristotelem, eiusque antiquos interpretes naturam enthymematis in eo collocasse, quod probabilibus principiis innititur, ideoque probabilem cognitionem in mente gignit, ne negari quidem potest non paucos interpretes fuisse, qui enthymema esse syllogismum alterutra praemissa carentem putarent. Iul. Pacius, cui Facciolatius [3], aliique adhaeserunt, id fidenter negavit, vadesque dedit praestantissimos interpretes Alexandrum Aphrod., et Ioan. Philoponum [4]. At deceptus est. Nam Philoponus luculenter scripsit enthymema ex eo nomen accepisse, quod unam propositionem animo cogitandam relinquit [5], et Alexander saepe inculcavit enthymema non esse principem syllogismum, sed syllogismum rethoricum, quin in illo non ex duabus praemissis, ut in syllogismo , sed ex una praemissa conclusio elicitur, altera autem, utpote per se nota, praetermittitur [6].Nec ab his Boëtius in loco, quem laudavimus, dissensit. Satis vulgatam hanc opinionem fuisse ex Quintiliano discimus, qui ait: « Hunc alii rethoricum syllogis-« mum vocarunt, quia nec distinctis, nec totidem partibus u-« teretur [7] ». Scholasticorum instar esse potest Albertus M.; hic enim enthymema a syllogismo discriminavit, quod in illo, secus ac in isto, posita una propositione, altera subintelligitur [8].Neque hi Aristoteli contradixisse dicendi sunt. Namque Aristoteles alicubi, ut innuimus, dixit enthymema saepe ex paucioribus , quam principem syllogismum, fieri, et ex. gr. adiecit enthymema ab eo confici, qui dicat, *Dorieum coronandum esse*, *quia vicit Olympia*;orator enim non putat addendum esse, quod omnes norunt, *victores Olympiorum corona donari* [9]. Ex quo vides nec necessa-

---

[1]) Lib. V, p. 832, ed. cit. — [2]) *Op. cit.*, ibid., c. 9.

[3]) *Acroas.* cit., p. 8. — [4]) *Comm.* cit., ibid.

[5]) *Op. cit.*, ibid. Eius verba afferamus: Ἐνθύμημα δὲ εἴρηται ἀπὸ τοῦ καταλιμπάνειν τῷ νῷ ἐνθυμεῖσθαι τὴν μίαν προτάσιν.

[6]) *Op. cit.*, ibid.

[7]) *Op. cit.*, lib. V, c. 10; cf ibid., c. 14. — [8]) *Op. cit.*, ibid.

[9]) *Rethoric.* lib. I, c. 2, § 13, ed. Didot.

riam, nec constantem conditionem enthymematis esse, quod alterutra praemissa careat, sed id rethorum, et dialecticorum commodo tribuendum, quos alterutram praemissam praetermittere aliquando iuvat. Cum hic sit apud rethores frequentior usus enthymematis, « factum est, observante « Trendelenburgio, ut ad externam hanc formae contractio- « ris notam, quae in illa ex verisimilibus, vel signis ra- « tiocinatione neque necessaria est, neque perpetua, prin- « ceps enthymematis vis et potestas deflecteret [1] ».

Quae cum ita se habeant, tenendum est cum Alberto M. 1° enthymema ex parte formae spectatum, etiamsi ex unica praemissa constet, esse *substantialiter* syllogismum, quia in ipso propositio, quae omittitur, necessario subintelligenda est *secundum rem*, *et decursum rationis*, nempe et ob naturam rei, circa quam versatur, et ob naturam rationis, a qua ipsum conficitur; 2° a syllogismo proprie dicto distingui, eo quod ex verisimilibus, et signis procedit [2].

Quemadmodum enthymema ad syllogismum, ita exem-

---

[1]) *Elem. Log.*, § 37, p. III. Ii, qui contrariam opinionem Aristoteli appingunt, illud maxime inculcant, quod ipse enthymema syllogismum *imperfectum*, ἀτελῆς, vocavit (*Anal. pr.*, c. 27, p. 260, ed. Waitz). Sed hanc vocem iam Pacius e laudato loco Aristotelis expunxerat, quippe quod illam in quatuor codd. mss. graecis non invenerat (*Comm.*, loc. cit.). Lovanienses vocem *imperfectus* in plerisque codd. mss. antiquae latinae versionis desiderari observarunt (in h. l. *Organ.*). Coniectura Pacii probata est cunctis nuperis Organi editoribus; vox ἀταλῆς enim nec in edit. Acad. Berol., nec in edit. Waitzii, nec in edit. Didoti legitur. Ceterum, etiamsi illa vox admitteretur, certe non aliud, uti a Facciolatio, et Trendelenburgio observatum est (*Opp. citt.*, ll. citt.) significaret, quam enthymema esse syllogismum, qui probabilem, non vero certam cognitionem parit.

[2]) « . . . enthymema est syllogismus procedens ex icotibus, et si- « gnis. Quamvis enim diversae argumentationes sint syllogismus, « et enthymema, tamen substantialiter enthymema est syllogismus: « quamvis enim nonnisi una propositio ponatur in enthymemate, « duae autem in syllogismo secundum vocem: tamen in enthyme- « mate, una secundum vocem posita, altera subintelligitur secun- « dum rem, et decursum rationis: et sic secundum rem, et decur- « sum rationis enthymema substantialiter dicitur esse syllogismus « ex icotibus in secunda; et tertia figura, et signis sive prodigiis « in prima figura » (*Op. cit.* ibid.). Beatus Doctor tenuit, uti ex postremis hisce verbis patet, enthymemata a signis ad syllogismos primae figurae, et enthymemata a verisimilibus ad syllogismos secundae, et tertiae posse revocari.

plum ad inductionem pertinet. Exemplum, παράδειγμα, cum Aristotele definiri potest: *genus argumentationis, quo per id, quod minori termino simile est, maiorem medio inesse probatur* [1]. Ad hanc definitionem declarandam exemplum ab eodem Stagirita petere iuvat: Si « ergo, ait, voluerimus « ostendere, quod, Athenienses contra Thebanos bellum ge- « rere, malum sit, sumendum est τὸ malum esse cum finiti- « mis bellum gerere. Huius vero probatio petitur a simi- « libus; ut quod malum fuerit Thebanis contra Phocenses « motum bellum. Quoniam ergo contra finitimos bellum ge- « rere malum est; at Athenienses pugnare contra Thebanos « est bellum gerere contra finitimos; manifestum est quod, « contra Thebanos bellum Athenienses gerere, malum est [2] ». Haec verba attente consideranti manifestum fit in exemplo ab hoc singulari, *Thebanis obfuit bellum contra Phocenses gerere*, induci pronuntiatum universale, nempe *unicuique genti obest bellum contra finitimos gerere*, atque ex hoc pronuntiato universali deduci illud singulare, quod probandum erat, scilicet, *obest Atheniensibus bellum contra Thebanos gerere*, per aliud pronuntiatum utrique singulari commune, scilicet quod Athenienses sunt finitimi Thebanis, non secus ac Thebani Phocensibus. Re vera, tota argumentatio, quam Aristoteles ad notionem exempli declarandam attulit, ad hanc formam reducitur: *Obfuit Thebanis cum Phocensibus bellum gerere; ergo obest cuique genti bellum contra finitimos gerere; sed Athenienses finitimi sunt Thebanis: ergo obest Atheniensibus bellum cum Thebanis gerere.*

Iam, hoc schema luculenter patefacit in exemplo quatuor terminos inveniri, quia, praeter duo extrema, et medium, in ipso esse oportet aliquid minori extremo simile, quod tamquam notum sumitur. Ita, in laudato exemplo Aristotelis, uti Albertus M. planum fecit [3], *b*, nempe medium, est τὸ *contra finitimos pugnare*, quia hoc est commune tum *e*, nempe maiori extremo, tum *d*, nempe illi, quod est simile

[1]) « Exemplum vero, Aristoteles ait, est, quando medio extre- « mum inesse monstratum sit per aliquod simile tertio »; *Anal. pr.*, lib. II, c. 26, § 1, ed. Didot.

[2]) *Ibid.*, § 3. Cf Alb. M., *Op. cit.*, tract. cit., c. 5.

[3]) *Op. cit.*, ibid.

a, seu termino minori, cum contra finitimos pugnare et Atheniensibus, et Thebanis conveniat; *a*, nempe minus extremum, est τὸ *Athenienses bellum contra Thebanos gerere*; *d*, nempe simile minori extremo, est τὸ *Thebanos contra Phocenses bellum gerere*; *c* denique, nempe maius extremum, est τὸ *malum est*, idque inesse τῷ *d* tamquam notum sumitur, et inesse τῷ *a* per τὸ *d* probatur ex eo quod simile τῷ *a* est[1]. Quandoquidem in unico syllogismo termini non plures tribus esse possunt, exemplum nequit esse unicus syllogismus, sed in duos resolvi debet, quorum aliquis terminus est communis. Re vera, exemplum, quod ex Aristotele mutuati sumus, hos duos syllogismos continet: *Obfuit Thebanis bellum cum Phocensibus gerere*; *Phocenses sunt finitimi Thebanis*: *ergo obest cuique genti bellum contra finitimos gerere*; *Athenienses finitimi sunt Thebanis; obest cuique genti bellum cum finitimis gerere*: *ergo obest Atheniensibus bellum cum Thebanis gerere*.

Ex his paucis, quae de natura, et forma exempli delibavimus, nullo negotio intelligitur exemplum, ut ab eodem Alberto post Aristotelem observatum fuit, duplici ex capite ab inductione differre. Primum est, quod ipsum non ab omnibus individuis eiusdem speciei, aut generis sive exserte, sive summatim enumeratis, ut inductio, sed ab uno, vel pluribus similibus proficiscitur[2]. Hinc idem Stagirita monuit exemplum non colligere partem a toto, vel totum a toto, uti syllogismum, nec totum a partibus, ut inductionem, sed partem a parte, ὡς μέρος πρὸς μέρος, cum partes eidem generi subiiciantur, et una illarum notior altera nobis sit[3]. Ita, in allato exemplo *Obfuit Thebanis contra Phocenses bellum gerere*, et *Obest Atheniensibus contra Thebanos bellum gerere* partes sunt huius generis, *contra finitimos bellum gerere*, et primum per se patet, quia iam compertum est experientia, alterum vero per primum probatur. Exemplum, in quo ab uno simili conclusio elicitur, ex Analyti-

---

[1]) Vid. Arist., *Anal. pr.*, lib. II, c. 24, p. 257, ed. Waitz, et Albert. M. *loc. cit.*

[2]) *Anal. pr.*, ibid., et *Rethoric.*, lib. I, c. II, § 19, ed. Didot.

[3]) LL. citt.

cis ante allatum est. Exemplum vero, quod per plura similia procedit, in *Rethoricis* invenitur, ubi Dionysium, cum custodiam corporis poscat, tyrannidem meditari probatur, quia Pisistratus, et Theagenes, cum tyrannidem meditarentur, custodiam postularunt. E re est locum Stagiritae exscribere, quippe qui ad notionem exempli declarandam valde accommodatus est: « Est autem illud (*exemplum*) neque ut « pars ad totum, neque ut totum ad partem, neque ut to- « tum ad totum; sed ut pars ad partem, simile ad simile, « cum ambo sub eodem genere sint, sit autem alterum no- « tius altero, exemplum est; velut, Dionysium affectasse ty- « rannidem, cum postularet custodiam; etenim Pisistratus « quoque, prius affectans tyrannidem, custodiam postula- « vit, et, cum obtinuisset, tyrannus evasit; et Theagenes « Megaris, et alii, quoscumque sciunt, exemplum omnes fiunt « Dionysii, quem nondum sciunt ob hanc causam postula- « re. Omnia autem haec sub eodem universali sunt, quod « tyrannidem affectat custodiam petens [1] ». Alterum est, quod exemplum syllogismum cum extremo connectit, συνάπτει, non vero inductio [2]. Namque inductio in eo adquiescit, ut e cunctis partibus genus colligat; at exemplum, postquam ab una, vel pluribus partibus genus collegit, e genere collecto alteram partem colligit, quia prima huic similis est. Vt id luculentius evadat, exemplum, quod modo adduximus, ad suam formam revocabimus, quae ita se habet: *Pisistratus, et Theagenes, cum tyrannidem affectarent, custodiam postularunt: ergo quisquis custodiam postulat, tyrannidem affectat; Dionysius custodiam postulat: ergo Dyonisius tyrannidem meditatur.* In quo schemate, uti ex se patet, pronuntiatum universale, quod a prima enunciatione particulari colligitur, est principium syllogismi, in quo altera enunciatio particularis concluditur [3].

PRIMAE PARTIS LOGICAE

FINIS

---

[1]) Lib. I, c. 2, § 19, ed. Didot.
[2]) *Anal. pr.*, lib. cit., et *Rethor.* c. cit., § 19, ed. Didot.
[3]) Cf Albert. M., *Op. cit.*, loc. cit., et inter nuperos Trendelenb., *Elem. Log.*, § 48, p. 111-113, ed. cit.

PHILOSOPHIA
CHRISTIANA
CVM ANTIQVA ET NOVA
COMPARATA

AVCTORE

Caietano Sanseverino

Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae Canonico

Opus denuo recensuit

Nuntius Can. Signoriello

Nec recuso ... hominem nosse se, et perspicere debere quid sit, unde sit, quare sit; Min. Fel., Octav. n. XVI.

VOLVMEN III

LOGICAE PARS SECVNDA

De Sophistica et Dialectica

NEAPOLI

APVD OFFICINAM BIBLIOTHECAE CATHOLICAE SCRIPTORVM

via vulgo dicta san-Giov. Magg. Pignatelli—in aedibus Fibrenianis

MDCCCLXXVIII

Huius Operis ius proprietatis
in Legum tutela est

NEAPOLI — TYPIS FRATRVM MANFREDI
in via vulgo dicta Sannicandro n. 4

LOGICAE

PARS II.

INDEX

Capitvm et Articvlorvm

voluminis huius

INTRODVCTIO . . . . . PAG. 1

CAPVT I. De Syllogismo sophistico, seu de elenchis sophisticis

ART. I. Notio sophisticae ab eius historiae depromitur, et de utilitate illam cognoscendi disseritur. . . . » 19

ART. II. De sophismatum divisione, et primo de generibus sophismatum, quae in dictione sunt . . . » 40

ART. III. Genera sophistarum, quae extra dictionem sunt, exponuntur . . . . . » 59

ART. IV. Cuncta sophismata, quae recensita sunt, ad unicum revocari ostenditur . . . . . » 93

ART. V. De causis, propter quas singula genera sophismatum respondentem fallunt, et de locis, unde diversa genera sophismatum petuntur, disseritur. . . . » 101

ART. VI. Quomodo sophismata solvantur, investigatur. » 111

ART. VII. Nonnullae theoriae recentium Logicorum de natura, numeroque sophismatum expenduntur . . » 128

CAPVT II. De Syllogismo dialectico, seu topico

Introductio. . . . . » 140

ART. I. De distinctione, et numero quaestionum . . » 166

ART. II. Ad disputationes de usu dubitationis, ac historiae in scientiis Introductio. . . . . » 196

ART. III. De usu dubitationis in scientiis. . . . PAG. 199
ART. IV. Num in cuiuslibet scientificae investigationis exordio dubitandum sit, inquiritur. . . . . » 214
ART. V. Ea, de quibus in cuiuslibet scientiae initio dubitandum est, recensentur . . . . . » 223
ART. VI. De dubitatione cartesiana iudicium fertur. . » 227
ART. VII. Sententiae Philosophorum de usu historiae scientiarum in ipsis scientiis exponuntur. . . . . » 238
ART. VIII. Quaenam expositarum sententiarum circa historiae in scientiis usum probanda sit, investigatur» 268
ART. IX. Notio loci exponitur . . . . . » 286
ART. X. De generibus argumentationum dialecticarum. » 315
ART. XI. Instrumenta, quorum ope locos ad solutionem quaestionum dialecticarum opportunos invenire licet, exponuntur . . . . . » 332
ART. XII. Praecipui loci, qui ad quaestionem de accidente absoluto pertinent, exponuntur . . . . . » 347
ART. XIII. De locis, qui ad accidens comparatum spectant» 381
ART. XIV. Loci, qui a genere ducuntur, recensentur. . » 388
ART. XV. De locis, qui a proprio sumuntur . . . » 406
ART. XVI. Loci, qui ad problema de definitione pertinent, explicantur . . . . . » 432

LOGICAE

PARS SECVNDA

INTRODVCTIO

Qvvm de Syllogismi, qui est proprium obiectum Logicae [1], forma disseruimus, ipsa ordinis ratione cogimur, ut materiam, circa quam syllogismus versari potest, expendamus. Haec tractatio est maximi momenti. Enimvero inutile est nos cognoscere formam syllogismi, nisi, quantum ipse ad verum aperiendum valeat, compertum habeamus, quippe quod finis, ob quem syllogismo utimur, assecutio veri est. Iam ad perspiciendam vim enunciationis, ob quam syllogismum instituimus, sive vim conclusionis, non sufficit perspectam habere connexionem conclusionis cum praemissis, in qua forma syllogismi consistit, sed necesse quoque est cognoscere naturam praemissarum, quae materiam syllogismi efficiunt. Nam, cum tota vis conclusionis ex principiis, quibus continetur, enascatur [2], consequens est conclusionem certam, aut probabilem, aut falsam esse oportere, si praemissae, ex quibus elicitur, certae, aut probabiles, aut falsae sint. Hinc tantum iuvat syllogismum ex ea parte, quatenus ad materiam pertinet, excolere, quantum ad scientiam assequendam verum a falso, et certum a probabili discriminare.

[1]) Vid. vol. I, p. 172. — [2]) Vid. vol. II, p. 229.

Syllogismus, si ex ea parte, quatenus ad materiam spectat, considerctur, triplex, ut in *Prolegominis* ostendimus, esse potest, scilicet vel *demonstrativus*, sive *scientificus*, vel *dialecticus*, vel *sophisticus*. Est demonstrativus, cum circa materiam necessariam versatur, ideoque certam illam cognitionem gignit, ex qua scientia efficitur. Est autem dialecticus, aut sophisticus, cum circa materiam contingentem versatur, eamque ob causam, si est dialecticus, gignit cognitionem probabilem, ex qua opinio, non scientia existit, sin sophisticus, cognitionem falsam, sive errorem, qui speciem veritatis habet [1]. Quisquis vero ex se intelligit, quare syllogismus, dum est unicus ex parte formae, multiplex ex parte materiae evadat. Nam, quemadmodum quaelibet species rerum naturalium, cum ratione formae, sive essentiae sit unica, in pluribus individuis ratione materiae determinata invenitur; ita, etsi unica sit forma syllogismi, tamen plures eius modi ex diversitate materiae, sive usus discriminantur.

Aristoteles, uti in *Prolegomin.* etiam dictum est [2], de syllogismo demonstrativo in *Analyticis Posterioribus*, de dialectico in *Topicis*, et de sophistico in libro de *Elenchis Sophisticis* tractavit. At, quamvis eum horum librorum auctorem esse certum sit [3]; tamen quem ordinem illis adhibitum voluerit, lis inter eruditos nullo non tempore extitit, eaque adhuc sub iudice est. Neminem vero fore putamus, qui hac de re disputatum ab eruditis esse miretur, quippe quod libros Aristotelis, qui circumferuntur, non ab ipso Aristotele, sed ab Andronico Rhodio in ordinem redactos, simulque vulgatos fuisse inter

---

[1]) Cf vol. I, p. 206 sqq, ac ibi locos s. Thomae, et s. Bonaventurae, quibus adde Albertum M., *Poster.*, lib. I, tract. I, c. I, atque eumdem s. Thomam, *in lib. IV Met.*, lect. IV.

[2]) Vol. I, p. 208.

[3]) Cf Brandis, *De Organo Arist.* (germ.), inter *Commentt. Acad. Berol.* an. 1833, et Bart. Saint-Hilaire, *Op. cit.*, part. I, c. 5, t. I, p. 47 sqq.

omnes constat [1]. Hanc controversiam breviter exponere e re esse ducimus, ut methodi, qua hanc secundam partem Logicae tractaturi sumus, rationem reddere possimus.

Iam inde a saeculo V apud interpretes idem ordo librorum *Organi* invaluit, quo recentes editores usque ad hanc aetatem usi sunt, scilicet, ut primum locum *Categoriae*, secundum *Liber de interpretatione*, tertium *Analytica Priora*, quartum *Analytica Posteriora*, quintum *Topica*, sextum denique *Elenchi Sophistici* obtineant. Huius ordinis origo ab ipso Andronico repetenda esse videtur [2]. Nam, ne de Ammonii [3], Davidis [4], aliorumque catalogis dicamus, Alexander Aphrod. cum antiquitate, tum auctoritate insignis partes *Organi* eodem,

---

[1]) Porphyr., *Vita Plotini*, c. 24, inter Plotini *Opera omnia* etc., ed. Creuzer et Moser, t. I, Oxonii 1835. Omnes eruditi a Patritio usque ad Buhleum ex loco Strabonis (lib. XIII, p. 608, ed. Sylburg.), quem Plutarchus (*Vita Syllae*, c. 26), Suidas (*Lexic.*, vol. III, p. 393, ed. Kuster), aliique pauci secuti sunt, putarunt Aristotelem nihil scriptorum suorum edidisse, eaque, uti erant imbribus, tineisque corrupta, Syllam Romam transtulisse, ibique Andronicum Rhodium in πραγματείας, *disciplinas*, digessisse, omniumque primum evulgasse. Saint-Hilaireus Patritium, aliosque locum Strabonis, ex quo ceteri hanc narrationem mutuati sunt, perperam intellexisse contendit (*De la log. d' Arist.*, part. 1, c. 9, t. I, p. 85 sqq). Sed quidquid de huius opinione dicatur, narrationem, quam Patritius, aliique ex loco Strabonis hauserunt, omnino falsam esse post Anonymum (*Les amenitès de la critique* etc., Paris 1717), Schneider (*Aristotelis de animalibus historiae* libri X, t. I, Epimetr. II, p. LXXIX, Lipsiae 1811), Brandis (*Mus. Rhenan.*, I, 3, p. 236-254, et I, 4, p. 259-286), Kopp (*Mus. Rhenan.*, III, 1, p. 93-104), et Sthar (*Aristotelia* etc., t. II, p. 1-66, ed. cit.) luculenter ostenderunt. Vnde Bonitz (*Comment. in Arist. Met.*, p. 7, ed. cit.) Glasero iure succensuit, quod ipse (*Metaph. Arist.* etc. germ., p. 3-18, Berol. 1841) inveteratam opinionem instauravit.

[2]) Cf Ritter, et Preller, *Historia philosophiae graecae et romanae ex fontium locis contexta*, ed. 2, recogn. et aux. Preller, p. 298, et 299, Gothae 1857.

[3]) *Comment. in Categ.*, Proleg., ed. Ald. 1546.

[4]) *Comm. in Categ.*, Proleg., mss. cit.

ac Interpretes saec. V ordine enumeraverat [1], eumque Themistius [2] inter ipsos vetustos secutus fuerat. Eumdem ordinem in *Organi* libris explicandis Averroes [3] inter Arabes, eiusque exemplo Albertus M. [4], aliique Scholastici servarunt. Ast inter ipsos antiquos Adrastus Aphrodisiensis, qui opus de ordine librorum Aristotelis scripsit [5], libris *Topicorum* post Categorias locum fecit, et quamvis Alexander Aphrod. eum confutasset [6], Ioannes Sarisberiensis eius opinionem saec. XI instauravit [7]. Eidem opinioni, saec. XV exeunte, Laur. Valla [8], et saec. XVI Petr. Ramus [9], Carpentarius [10], aliique adstipulati sunt, ut divisionem logicae, quam propagare satagebant, exemplo, et auctoritate Aristotelis comprobarent. Nam, cum ante argumenta invenire, quam de ipsis iudicare necesse sit [11], *Topica*, in quibus Aristoteles de locis argumentorum inveniendis disseruit, *Analyticis*, in quibus de argumentorum iam inventorum iudicio disputavit,

---

[1]) *In Analyt. prior.*, p. 8, Venetiis 1559.
[2]) *Comm. super Phys. auscult.*, fol. 15 *verso*.
[3]) *Opp.* vol. I, ed. cit. —[4]) *Opp.* vol. I, ed. cit.
[5]) Vid. Simplic., *In Categ.*, fol. 4, ed. cit.—[6]) *Opp. cit.*, ibid.
[7]) *Metalog.*, p. 164 et 166, ed. cit.
[8]) *Dialect.*, lib. II, c. 48, ed. cit.
[9]) *Scholae Dialect.*, lib. II, c. 9, p. 62, ed. cit.
[10]) *Descriptio universae artis disserendi ex Aristotele* etc., Praef. Parisiis 1654.
[11]) Vniversam logicam Aristotelis ex duabus partibus, quarum una est inventrix, et alia iudicatrix, constare Tullius iam observavit (vid. vol. I, p. 202). Quod ad Scholasticos attinet, audiatur s. Thomas: « Alia rationali scientia est dialectica quae ordinatur ad inquisitionem inventivam; et alia scientia demonstrativa, quae est veritatis « determinativa » (2ª 2ae, q. LI, a. 1 ad 3; Cf *ibid.*, q. LIII, a. 4 c.). Haec divisio Logicae apud antiquos Peripateticos, teste Boëtio, pervulgata fuit. « Omnis ratio disserendi, ait, quam Logicen Peripatetici veteres appellavere, in duas distribuitur partes: unam inveniendi, alteram iudicandi. Et ea quidem pars, quae iudicium purgat, atque instruit, ab illis Analytice vocata, a nobis potest resolutoria nuncupari. Ea vero, quae inveniendi facultatum subministrat, a Graecis Topice, a nobis Localis dicitur »; *De differentiis topicis*, lib. I, *Opp.* ed. cit., p. 857.

praemittere eis visum est. Reliqui recentes logicae aristotelicae vel defensores, vel adversarii ordinem librorum *Organi*, qui post Alexandrum Aphrod., aliosque antiquos vulgo a Philosophis receptus fuerat, sectati sunt. At singularis opinio Professorum logicae in Academia Veneta digna est, quae commemoretur; hi enim *Topica* inter *Analytica Priora*, et *Analytica Posteriora* locum sibi vindicare censuerunt [1].

Vt id, quod harum opinionum recensione nobis proposuimus, aperiamus, valde probabile nobis videtur ordinem, quem Aristoteles libris *Organi* adhibitum voluit, non alium esse, quam qui apud Alexandrum Aphrod. legitur; si quidem huius recensio, praeterquam quod in ipsa Aristotelis logica doctrina, ut mox dicturi sumus, fundamentum habet, omnium antiquorum Interpretum calculo comprobatur [2]. At vero, arbitramur Aristotelem, si ita partes *Organi*, uti diximus, disposuit, potius ordinem, quo una pars alteri praestat, quam ordinem, quo mens humana ipsis ad scientiam assequendam utitur, prae oculis habuisse. Quod ut probe intelligatur, animo recolendum est ex sex partibus, quae *Organum* Aristotelis constituunt, tres priores, nempe *Categorias*, Librum *de interpretatione*, et *Analytica priora* esse quamdam logicam generalem, quia in his de elementis, et structura syllogismi, cuiuscumque generis hic sit, disseritur, et tres posteriores esse quasdam logicas speciales, quia hae de tribus syllogismi speciebus, nempe de demonstrativo, de dialectico et de sophistico tractant.

---

[1]) *Nova explanatio Topicorum in Academia Veneta*, fol. 2 *verso*, Venetiis 1569. Ravaisson, dialecticam, et sophisticam cum *Arte poetica* coniungi sensit, quia ipsae de rebus a logica alienis tractant (*Mét. d' Arist.*, part. I, lib. I, t. I, p. 252 ed. cit.). Ast haec opinio, praeterquam quod falsae rationi innititur, totam, uti ex dicendis patescet, oeconomiam *Organi* evertit, totique antiquitati contradicit. Cf Thionville, *Op. cit.*, c. I, p. 18, et 19.

[2]) Cons. de hac controversia Titze, *De Aristotelis operum serie, et distinctione liber singularis*, Lipsiae 1837, et Saint-Hilaire, *Op. cit.*, part. I, c. 12, t. I, p. 131 sqq.

Iam perspicuum est tres priores partes tribus posterioribus praecedere oportere, propterea quod qui doctrinam syllogismi in universum spectati ignorat, diversas species eius intelligere non potest. Sed quaestio institui potest, quonam ordine tres ultimas partes disponere iuvet. Aristoteles id, quo una pars alteri excellit, et finem, quem in elucubrando *Organo* sibi praestituit, ni fallimur, spectavit. Quocirca *Analytica Posteriora* duabus aliis partibus praemisit, quia syllogismus demonstrativus dumtaxat scientiam parit, cuius assequendae modum tradere ipse in *Organo* potissimum sibi proposuit. Post *Analytica Posteriora* locum *Topicis* dedit, quia haec locos tradunt idoneos ad inveniendum argumenta probabilia, quae, si scientiam per se gignere non possunt, huic viam procul dubio sternunt. Verum, nos e re esse putamus tres ultimas partes *Organi* ita disponere, ut potius ordinem, quo illis ad scientiae consecutionem utendum nobis est, quam ordinem, quo ipsae natura sua inter se continentur, exhibeant. Hinc ordinem librorum, quem laudati Professores Academiae Venetae adhibuerunt, sectantes, primo doctrinam, quam Aristoteles in *Elenchis Sophisticis*, deinde illam, quam in *Topicis*, denique illam, quam in *Analyticis Posterioribus* tradidit, exponemus.

Haec methodus et usui logicae, quem ipsemet Aristoteles in suis disquisitionibus physicis, moralibus, politicis, et metaphysicis fecit, et praeceptis logicis, rationique philosophandi politiorum Philosophorum valde consentanea est. Etenim Aristoteles, ut suo loco videbimus, in omni genere tractationum hunc ordinem servare consuevit, ut primo, expositis aliorum opinionibus, illas, quas esse *sophisticas*, sive occulto errore laborantes comperiebat, reiiceret, tum argumenta *dialectica*, seu, quae quamdam probabilitatem dumtaxat prae se ferebant, excuteret, viamque sibi ad solutionem propositae quaestionis pararet, tum denique argumenta demonstrativa, sive ad certam cognitionem gignendam idonea proponeret. Exem-

pla, quae in eius libris occurrunt, plura inferius adducemus. In praesentia unum ex libris *de Anima* exscribere satis sit. In his, postquam de psychologiae dignitate, et difficultate, de methodo, qua tractanda est, de aliisque multis *prooemii* loco [1] breviter disseruit, opiniones antiquorum recitavit, ut quae recte ab eis disputata fuerant, acciperet, et quae non recte, caveret, atque de illis in utramque partem disputando, ad verum accedere quasi tentavit, atque expertus est [2]. His praestitutis, quasi *rursus repetens* naturam, et proprietates animae determinare studuit, ut demonstrationis ope scientiam animae assequeretur [3]. Quod ad reliquos politiores Philosophos spectat, hi, ut inferius videbimus, frequenter inculcarunt 1° verum assequi volenti omnino adnitendum esse, ut animum praeiudicatis opinionibus exuat; 2° id, quod in unaquaque re verum est, non illico, sed solum *tentando*, hoc est, per argumenta, quae ad illud magis, magisque accedunt, detegi posse.

Ex his, quae diximus, perspicitur hanc secundam partem Logicae, quae *Analytica Posteriora*, *Topica*, et *Elenchos Sophisticos* complectitur, in duas alias partes, secundum mentem Stagiritae, rursus dividi, nempe *dia-*

---

[1]) Verbum προοιμάζειν, seu προοιμιάζειν sollemne hac in causa est apud Aristotelem. Vid. *Ethic. Nicom.*, lib. I, c. 3, § 8, et *Met.*, lib. II, c. 1, § 5, ed. Didot.

[2]) Lib. I, c. 2, ed. cit.

[3]) Aristoteles partem tractationis, qua errores praecedentium Philosophorum refellit, et qua id, quod probabile est, in quaestione proposita expiscari nititur, ab altera, in qua verum demonstrat, scientiamque assequitur, adeo discriminat, ut tractationem rursus incipere saepe dicat. Puta, in hac quaestione *de Anima*: « Itaque quae a « maioribus de anima nobis tradita sunt, dicta sunto; *repetamus* er« go *rursus*, veluti a priori conantes determinare, quidnam anima « sit, et quaenam sit eius communis maxime ratio » (lib. II, c. 1, § 1). Luculentius in fine libri I *Naturalis auscultationis* (c. 9, § 5): « Quod igitur, ait, sint principia, et quae, et quot numero sint, sic « a nobis definitum esto. Rursus autem *alio facto initio* dicamus ». Vid. Gastmann, *Op. cit.*, c. 3, p. 106 sqq, et Bonghi, *Op. cit.*, Introd., p. XLII sqq.

lecticam, διάλεκτικὴν, et *demonstrationem*, ἀπόδειξιν, quippe quod sophistica veluti quaedam pars dialecticae est. Re vera, Philosophus, qui argumenta probabilia venari vult, in utramque partem contradictionis de proposita quaestione disputare debet. Iam, ad utramque partem contradictionis excutiendam opus ei est non solum modos callere, quibus unam enunciationum contradicentium esse probabilem cognoscere quit, sed etiam modos, quibus alteram esse sophisticam ostendere valet. Hoc sane pacto pronum ei est et in argumentorum inventione vitare errores, et refutare captiosas cavillationes, quas adversarii ei obiiciunt. Sophistica igitur, quae modos solvendi syllogismos *adparentes*, φαινόμενους, sive specie, non re veros exponit, veluti pars dialecticae, quae modos inveniendi argumenta probabilia tradit, considerari potest. Qua de re Aristoteles sanxit *elenchos*, sive, ut voce latina utamur, *redargutiones* ad dialecticam pertinere [1]. Quandoquidem dialectica, prout sophisticam quoque continet, viam demonstrationi parat, ex qua scientia efficitur [2], ipsa non immerito *ve-*

---

[1]) *De Sophisticis Elenchis*, c. 9, § 3, ed. Didot. Cf Albertum M., *Elench.*, lib. I, tract. V, c. 4. Hanc ob causam, et praesidio Cod. mss. Bibl. s. Marci n..257 suffultus Waitzius librum *De elenchis Sophisticis* assuit *Topicis*, atque horum nonum librum fecit. Vid. *Op. cit.*, t. II, p. 528, et 529.

[2]) Cum sophisticam, tum dialecticam non parum momenti ad scientiae adeptionem conferre s. Thomas docuit his locis: « Ad scien« tiam concurrit in sui acquisitione expulsio contrarii » (*In lib. II Sent.*, Dist. IX, q. I, a. 2 *sol.*). « Opinio ex syllogismo dialectico « causata est via ad scientiam, quae per demonstrationem acquiritur » (3, q. IX, a. 3 ad 2). Advertendum tamen est sophisticam ad effectionem scientiae concurrere *ratione negativa*, quia impedimenta removet, quae viam ad scientiam ducentem obstruunt, dialecticam autem *ratione positiva*, quia auxilia menti praebet, quae iter ad scientiam minus salebrosum ei reddunt. Trendelenburgius secundum Aristotelem (*Met.*, lib. IV, c. 2, § 13, ed. cit.) ait: « Philoso« phia verum cognoscit, dialectica tentat, et experitur, sophistica « in speciem convertit »; *Elem. Log. arist.*, p. 103, et 104.

stibulum scientiae nuncupata est. Itaque dialectica, quia intimas causas rerum, in quarum cognitione scientia sita est, non ingreditur, sed auxilia ad ipsas inveniendas parat, veluti *faciem exteriorem*, τὰ ἔξωθεν, scientiae exhibet; demonstratio autem, quia ipsas causas intimas rerum pandit, veluti *interiorem domum*, τὰ ἔσωθεν, scientiae constituit. Quae quamvis vera sint, tamen nobis videtur sophisticam, et dialecticam tanquam duas partes logicae specialis tractandas esse, quia, si indubium est dialecticam sophistica egere, indubium quoque est argumentationem sophisticam a dialectica tantum differre, quantum falsum a probabili, sive error ab opinione differt.

His perspectis, inquiramus necesse est, quid sit illud, in quo sophistica, dialectica, et demonstrativa versantur, sive quodnam sit illarum commune obiectum. Iam, haud difficile cognitu est has tres partes Logicae circa ens, eiusque accidentia versari, sive, quod idem valet, ens pro communi sui obiecto habere. Et sane, perspicuum est de omnibus posse quaeri demonstrationem, quae certam cognitionem gignit, de omnibus confici argumentationem dialecticam, quae cognitionem probabilem parit, et contra omnia, quae demonstrative, vel dialectice probata sunt, concinnari sophisticas cavillationes. Sed omnia, quae sunt, non possunt esse illud, in quo tres partes logicae specialis perinde versantur, nisi ex ea parte quatenus sunt ens, nempe, uti aiunt, quatenus *in ratione entis* conveniunt; si quidem unius scientiae unicum obiectum sit oportet, atque omnia autem, quae sunt, non aliter veluti unum intelligi possunt, quam prout *in ratione entis* conveniunt. Ergo obiectum sophisticae, dialecticae, et demonstrativae est ens, sive ens, eiusque affectiones.

Quandoquidem etiam *metaphysica*, sive, ut recentes aiunt, *ontologia*[1] de ente, eiusque affectionibus tractat,

[1]) Illa pars philosophiae, quae ab Aristotele modo *sophia*, modo *philosophia*, modo *philosophia prima*, et ab eius interpretibus *me-*

inquirendum quoque nobis est, quanam in re tres partes logicae specialis, de quibus agimus, cum illa consentiant, et quid ab ea differant. Sophistica, dialectica, et demonstratio cum metaphysica, sive ontologia consentiunt, quia haec quoque circa ens, eiusque accidentia versatur. Namque ontologia, ut suo loco videbimus, non inquirit notiones, et principia, quae circa singula genera rerum versantur, et ad speciales scientias pertinent, sed notiones, et principia, quae, cum ad nullum peculiare genus rerum cogantur, omnium specialium scientiarum communia sunt. Iam, quoniam obiecta omnium specialium scientiarum in ratione *entis* conveniunt, inde fit, ut intellectus a notione entis proficiscens illas notiones, illaque principia evolvat, quae non propria alicuius scientiae, sed communia omnium sunt: puta notiones *unius*, *boni*, et *pulcri*, *causae* et *effectus*, *temporis*, et *spatii*, et principia: *non potest idem simul esse*, *et non esse*, *non datur effectus sine causa*, aliaque id genus [1]. Iam sophistica, uti diximus, dialectica, et demonstratio non inquirunt specialia principia, specialesque normas, quibus argumentationes sophisticae, dialecticae, et demonstrativae circa specialia genera rerum confici queunt, sed solum generalia quaedam principia, generalesque normas, quibus certum aut probabile circa unumquodque genus rerum cognoscere, et sophismata, quibus utrumque impugnari potest, solvere cuique licet. Quae quidem normae, et principia, cum nullum speciale genus, sed omnia genera rerum in eo, quod ipsis commune est, spectent, nonnisi circa ens, eiusque affectiones versantur.

Verum, si sophistica, dialectica, et demonstrativa in

---

taphysica nuncupata fuit (vid. Bonitz, *Comm. in Met.*, p. 5, et 6, ed. cit.), ut suo loco dicemus, magna ex parte illi respondet, quam recentes *ontologiam*, aut *idealogiam* vocant.

[1]) De hac re in *Ontologia*. Cf interea, si lubet, Albert. M., *Met.*, lib. IV, tract. II, c. 12, et s. Thom., *In lib. IV Met.*

co consentiunt, quod circa ens, eiusque accidentia versantur; tamen inter se valde differunt, quod aliud est, ut idem Aquinas monuit, ens, quod est obiectum metaphysicae, sive ontologiae, aliud vero ens, quod est obiectum sophisticae, dialecticae, et demonstrationis. Nam, cum metaphysica notiones, et principia ab observatione rerum naturalium, prout hae in ratione entis conveniunt, conficiat, notiones, et principia ipsius ad naturas rerum per se referuntur. Contra ea, quoniam sophistica, dialectica, et demonstratio ab observatione ordinis, quo notiones intellectus inter se continentur, normas, et principia conficiunt, quibus argumentationes suas construunt, normae, et principia ipsarum non fundantur in naturis rerum, sed in ordine, quem intellectus inter suos conceptus ponit [1]. Quocirca ens, quod est obiectum metaphysicae, sive ontologiae, est *ens reale*, atque ens, quod est obiectum sophisticae, dialecticae, et demonstrationis, est *ens ideale*, sive, ut Scholastici aiebant, *ens rationis* [2].

Cum vero syllogismus demonstrativus sit proprius metaphysicae, quemadmodum syllogismus sophisticus sophisticae, et dialecticus dialecticae, idcirco statuendum cum Scholasticis est sophisticam, et dialecticam de iisdem, ac metaphysicam, nempe de ente, eiusque affectionibus tractare. Nisi quod duplex discrimen inter illas, ac istam intercedit, quia 1° ens, de quo sophistica, et dialectica tractant, ut modo diximus, est ens *ideale*, atque ens, circa quod metaphysica versatur, est *reale* [3]; 2° metaphysica certis principiis innititur dialectica probabilibus,

---

[1]) Cf ea, quae de obiecto logicae statuimus in *Proleg.*, vol. I, p. 165 sqq.

[2]) Cf s. Thom., *Op. cit.*, ibid. Id, quod hic de secunda parte Logicae asserimus, de universae logicae obiecto in *Prolegomenis* a nobis demonstratum est. Vid. ibid.

[3]) Advertito demonstrationem, prout est pars logicae specialis, versari circa ens *ideale*, perinde ac ceteras partes logicae, sed prout est instrumentum ontologiae, versari circa ens reale, quia metaphysica affectiones entis realis investigat.

et sophistica iis, quae probabilia videntur, sed non sunt [1].

Illud autem quaesitum est, utrum, necne sophistica, et dialectica dici scientiae queant. Eorum, qui negantem sententiam propugnant, argumentatio huc redit: Proprium scientiae est certam cognitionem gignere. Atqui sola demonstratio certas conclusiones parit, dialectica autem dumtaxat probabiles, et sophistica ne probabiles quidem, sed apparentes, hoc est, eiusmodi, ut, dum falsae re ipsa sunt, quamdam speciem veritatis habeant. Nomen igitur scientiae doctrina demonstrationis, non vero dialectica, et sophistica merentur. Saint-Hilaireus, ne de antiquis dicamus, putat Aristotelem in hac sententia versatum fuisse, quod sophistica, et dialectica non scientiae, sive partes scientiae, sed artes sunt, eiusque opinioni favere videtur [2].

E re est hanc difficultatem exsolvere, ut natura cum dialecticae, tum sophisticae magis, magisque declaretur. Brevis, luculentaque solutio nobis suppeditat ex s. Thoma, qui disseruit hunc in modum: Dialectica duplici ex capite considerari potest, scilicet vel prout tradit normas, quibus conclusiones probabiles in cunctis disciplinis, seu scientiis confici possunt, vel prout illis normis ad aliquid in singulis disciplinis, seu scientiis probabiliter concludendum utitur. Si priori ex capite consideretur, procul dubio quaedam scientia est, quippe quod, cum normae fixae, et certae esse debeant, illas nonnisi ex principiis necessariis, et certis, hoc est, *demonstrative* tradere potest. Sin ex altero, nemini dubium esse potest, quin scientia non sit; si quidem, quoties secundum normas, quas invenit, aliquid in unaquaque scientia concludit, conclusio nonnisi probabilis esse potest. Idem de sophistica dicendum est. Haec enim,

---

[1]) Cf Albert. M. *Met.* lib. IV, tract. I, c. 7, et s. Thom. *In lib. IV Met.*, lect. IV.

[2]) *Op. cit.*, part. 2, sect. 2, c. 10, t. II, p. 59.

cum leges, secundum quas cavillationes sophisticae concinnari, aut iam concinnatae exsolvi possunt, inquirit, scientia est, quia illas normas *demonstrative*, sive, quod idem valet, *per necessarias*, *et demonstrativas rationes* tradit. At, cum secundum illas leges cavillationes conficit, e gradu scientiae dilabitur, quia conclusiones non solum non certas, sed falsas progignit [1]. Quod ad Stagiritam attinet, hic in loco *Topicor.* [2], quem Saint-Hilaireus citavit, de dialectica, et sophistica disseruit, prout Rethorica ipsis ad finem suum assequendum utitur; at dialectica, et sophistica, si illarum usus spectetur, non sunt, uti vidimus, scientiae. Nec negotium cuiquam facessat, quod Aristoteles in alio loco *Topicor.* [3] dialecticam artem dixit; Stagirita enim, eiusque sectatores scientiam nomine artis non raro designarunt [4].

Denique, ut Graecorum, in primisque Aristotelis placita, quae in hac parte Logicae adducturi sumus, intelligi queant, admonendum est philosophum apud Graecos non eumdem, ac dialecticum, aut sophistam, fuisse, cum Graeci tribus hisce nominibus tria diversa studiorum genera designassent. Sophista enim is dicebatur,

---

[1]) « Licet autem, s. Thomas ait, dicatur, quod Philosophia est « scientia, non autem Dialectica, et Sophistica, non autem per « hoc removetur, quod Dialectica, et Sophistica sint scientiae. « Dialectica enim potest considerari secundum quod est docens, « et secundum quod est utens. Secundum quidem quod est do- « cens, habet considerationem de istis intentionibus instituens mo- « dum, quo per eas procedi possit ad conclusiones in singulis « scientiis probabiliter ostendendas, et hoc demonstrative facit, « et secundum hoc est scientia. Vtens vero est, secundum quod « modo adiuncto utitur ad concludendum aliquid probabiliter in « singulis scientiis, et sic recedit a modo scientiae. Et similiter « dicendum est de Sophistica, quia, prout est docens, tradit per « necessarias, et demonstrativas rationes modum arguendi appa- « renter. Secundum vero, quod est utens, deficit a processu ve- « rae argumentationis »; *Op. cit.* ibid.

[2]) Lib. I, c. 4, § 5, et 6, ed. cit.

[3]) Lib. I, c. 1, § 3, ed. cit.

[4]) Vid. vol. I, p. 164, not. 1.

qui opiniones non solum a sapientum, sed etiam a vulgi sensu abhorrentes argumentis, quae speciem veri prae se ferunt, tuebatur, iuvenesque hac in arte erudiebat. Dialecticus vero is audiebat, qui iuvenes modos de rebus in utramque partem disputandi, et probabile venandi docebat, ut in fori concertationibus excellere possent. Denique Philosophi nomine is tantum donabatur, qui intimas causas rerum investigabat, discipulosque ad veritates, quas ipse iam nactus fuerat, inveniendas manuducebat. Quoniam vero, uti ante diximus, arcta necessitudo inter sophisticam, et dialecticam intercedit, factum est, ut saepe dialecticus idem esset, ac sophista, et vicissim. Iam dialecticus, et sophista a studio philosophiae abstinere poterant, cum ipsi ad scientiam rerum assequendam haud spectarent. Contra ea, philosopho dialectica, et sophistica opus erat. Dialectica quidem, non ut de rebus in utramque partem, exercitationis causa, disputaret, sed ut per probabilia argumenta quasi per quosdam gradus ad certam notitiam rei assurgeret; sophistica autem, non ut artem adversarios captiosis argumentis fallendi calleret, sed ut doctrinas, quas profitebatur, adversus Sophistarum aetate sua dominantium cavillationes tueretur [1]. Hinc Aristoteles integrum, absolutumque logicae corpus componere volens multum operae, studiique in dialectica, et sophistica tradendis non immerito consumpsit. At, quandoquidem hac in nostra aetate nemo sophisticam ex industria profitetur, et dialectica magna ex parte in rethorica exponitur, nos de utraque tantum delibabimus, quantum ad mo-

[1]) Ex quo intelligis sophisticam, et dialecticam non agere de rebus, quae ab *Organi* instituto abhorrent, quemadmodum Ravaissono post Occamum visum est (vid. p. 9, not. 1), nec esse veluti appendicem doctrinae demonstrationis, uti Barth. Saint Hilaire voluit (*La logiq. d' Arist.*, part. 2, c. 5, vol. 1, p. 233). Ipsae enim, prout logica ab Aristotele considerata fuit, atque, eius aetate, considerari debuit, sunt partes logicae a reliquis distinctae, eaeque magni momenti. Cf Thionville, *Op. cit.*, p. 18 et 19.

dum adcquirendi scientiam nosse oportet. Hinc nos non exponemus omnia, quae Aristoteles de sophistica, et de dialectica disseruit, sed ea tantum, quae philosophus tum ut errores in suis inquisitionibus vitet, atque in adversariorum argumentationibus detegat, tum ut viam sibi ad scientiae consecutionem sternat, maxime callere debet.

CAPVT PRIMVM

De Syllogismo sophistico, seu de Elenchis sophisticis

ARTICVLVS PRIMVS

Notio sophisticae ab eius historia depromitur, et de utilitate illam cognoscendi disseritur

Vt quid sit, de quo in hoc capite acturi erimus, probe cognoscatur, exponere in antecessum iuvabit, qui fuerint hi Philosophi, qui *Sophistae* apud Graecos appellabantur, quidque ipsi professi sint.

Nomen *Sophistae*, Σοφιστοῦ, quod a studio *sapientiae*, σοφίας, derivatum est [1], olim valde honorificum apud Graecos fuit; si quidem illo designabantur, aiente Clemente Alex., quotquot rerum quarumlibet cognoscendarum studiosi erant [2]. Verum, postquam, recepto a scientiarum cultoribus nomine philosophiae, Protagoras nomen sophi-

---

[1]) Παρὰ τὸ σοφίζεσθαι, hoc est, *propterea quod sapientiam excolit*; hinc Sophista est ὃς σοφίζεται, nempe, qui σοφίαν, *sapientiam*, excolit. Cf Ast ad *Plat. Phaedr.* p. 238, et 244, Lipsiae 1810.

[2]) « Vnde, Clemens ait, ipsi quoque Graeci eos, qui in re aliqua « curiose versabantur, sapientes simul et sophistas (σοφοὺς ἅμα, καὶ « σοφιστὰς) denominative appellarunt » (*Strom.*, lib. I, c. 3; vid. Laert. *Prooem.*, segm. 12). Hinc Solon πρῶτες σοφιστὴς ab Isocrate (*Orat.* περὶ ἀντιδόσεως) dictus est. Cf Cresollium, *Theatrum Vett. Rhett.*, lib. I, § 1, Parisiis 1620, et Potterum in h. l. Clem. Alex., ed. cit.

stae, veluti sibi proprium vindicavit [1], hoc nomen aliud, quam antea, significare coepit. Nam, cum Protagoras novam artem profiteretur, in causa fuit, cur vox σοφιστής, *sophista*, novam significationem acciperet. Hinc ad significationem, quam huiusmodi vox inde ab illa aetate habuit, patefaciendam exponamus necesse est, cuinam studio Protagoras, et qui ab eo prognati, et appellati sunt Sophistae, animum applicuerint. Protagoras, qui, medio ante C. N. saeculo V, Athenas se contulit, artem dicendi, ac disserendi docuit, quae initio cum sapientiae moralis, et praesertim civilis praeceptis coniuncta, sensim in nudam verborum ostentationem, in argutiarum congeriem, atque in litium fomitem evasit. Inde extitere Sophistae, scilicet homines in litteris, et in philosophia versati, variaque eruditione instructi, qui, cum e multis Graecorum coloniis in ipsam Graeciam adventassent [2], modo in hac, modo in illa urbe, praesertim Athenis, iuvenes in philosophia, et in rethorica [3], quaestus, aut ostentationis causa [4], erudiebant. Nam, cum Graeci maximeque

---

[1]) Cf Plat., *Protag.* p. 349, et *Hipp. Mai.*, p. 282, ed. cit.

[2]) Cf Plat., *Tim.*, p.19, et *Protag.*, p. 316. Antiphon Onirocrites unus Sophistarum Athenis, teste Suida, natus est. Vid. Ruhnkenium, *de Antiphonte Rhamnusio*, Opusc. p.250 sqq.

[3]) Vid. Plat., *Sophist.*, p. 233, et Arist., *Met.* lib. III, c.2.Initio iidem dicebantur *Sophistae*, qui *Rethores*. Ita Gorgias Leontinus, teste Platone (*Gorg.*, p. 449 ed. cit.), rethorem se dicebat (cf Foss, *De Gorg. Leontino Commentatio*, p. 39, Halis 1828, et Ioan. Frei, in *Mus. Rhenan.* 1850, p. 527 sqq, et 1853, p. 268 sqq). At, postquam nomen sophistae in contemtum adductum est,rethor a sophista discriminari coepit,et appellatio ῥήτορος eum nacta est sensum,quem vox *rethoris* apud latinos habuit. Non tamen omnino, nec cito hocce discrimen invaluit, quippe quod Luciani aetate nomina *rethoris*, et *sophistae* adhuc confusa fuisse constat; qua de re cf A. Mees, *Dissert. de Luciani studiis et scriptis iuvenilibus*, p. 11, Traiecti ad Rhenum 1841.

[4]) « At quis, Cicero ait, est hic (*Anaxagoras*)? num sophistes? « sic enim appellantur ii, qui ostentationis, aut quaestus causa phi« losophantur » (*Acad.*, lib. II, c. 23, ed. Ernesti). Protagoras, primus omnium, morem mercedem pro institutione accipiendi Athenas

Athenienses illa tempestate non amplius, uti antea, consuetudine duci vellent, sed morum, legum, institutorum, artiumque rationes quaererent, ipsi, emolumento, non vero scientiae servire volentes, normas, praeceptaque magis vitae, rerumque publicarum administrationi accommodata, quam veritati consentanea, illis tradebant [1]. Hanc ob causam Sophistae subtilitati dialecticae, verborumque ornatui, et pompae studebant, ut et sententias suas speciem veritatis prae se ferentes aliis persuadere possent, et adversariis redarguendis parati essent, atque his praesidiis discipulos suos communirent [2]. Ne vero ista, quam profitebantur, ars cum principiis rerum, et cognitionis pugnare videretur, Heracliti doctrinam de perenni fluxu rerum amplexati [3], docebant 1° nihil fixi, absolutique in rerum natura esse, sed omnia instar fluminis fluere; 2°

---

transtulit (vid. Laert. lib. IX, segm. 52, et Gell., *N. A.*, lib. V, c. 3); unde λογος ἔμμισθος, ut est apud Suidam (*Lexic.*, v. *Protag.*), cognominatus fuit (leg. Walchium, *Diatribe de praemiis veterum sophistarum rethorum atque oratorum*, in *Parerg. acad.*, p. 129 sqq, Lipsiae 1721). Incredibili congerendarum pecuniarum libidine Sophistae exarserunt, cum omnes sapientes ante illos e contrario quaestum, et rem familiarem pro docendi studio neglexissent (cf Plat., *Hipp. mai.*, p. 282, et 283). Vt de Protagora (Plat., *Protag.*, p. 328, et *Meno*, p. 91), de Hippia (Plat., *Hipp. mai.*, p. 282), aliisque sileamus, Prodicus, Sophistarum praestantissimus, sed avarissimus (Plat., *Protag.*, p. 315, et *Axioch.*, p. 366), ne ullam quaestus faciendi occasionem amitteret, duplicem mercedem, aliam grandem, aliam vero mediocrem constituit (Plat., *Cratyl.* p. 384, et *Axioch.*, p. 366). Conferendi sunt de Sophistarum avaritia Welckerus, *Prodicus Chius* etc. (germ.) in *Mus. Rhen.* 1835, p. 28, et qui Welckeri in excusandis Sophistis nimium studium reprehendit, Hermannus in *Dissert. de Socratis magistris, et disciplina iuvenili*, Hamburgi 1837, necnon Groen von Perinsterer, *Prosopographia Platonica*, passim, Lugduni Batavorum 1823.

[1]) Cf Fred. Hermann, *Systema phil. plat.* (germ.), p. 207 sqq, Heidelbergae 1839, et Gerlach, loc. cit. p. 53.

[2]) Plat., *Gorg.* p. 452.

[3]) Legesis, praeter scriptores saec. XVII, et XVIII, quos laudavit Tennemann (*Manuale* etc., part. 1, period. I, t. I, p. 118 ed. cit.), Schleiermacher, *Heraclitus Ephes. secundum reliquias sui operis et testimonia veterum* (germ.), in *Musaeo antiquit. scientif.* Volfii

solos sensus, quorum ope hunc fluxum cognoscimus, esse criterium veri. Quandoquidem autem homines ab iis, quae in sensus incurrunt, varie afficiuntur, inde deducebant nihil esse verum in se, sed id, quod uni est verum, alteri esse falsum, ideoque nihil causae esse, cur duarum repugnantium opinionum una alteri anteferatur [1]. Certe, Protagoras, qui haec placita docuit, simul sanxit « duas omnium rerum esse rationes invicem contrarias [2] », professusque est « se id docere, quanam ver- « borum industria causa infirmior fieret fortior [3] ». Hinc ipsi ad disserendum de quibusve rebus in utramque partem et sese paratos esse, et iuvenes, quos erudiendos suscipiebant, aptos reddere gloriabantur [4]. Id vero consecuturis nihil magis curae eis fuit, quam ut multa sophismatum, seu captiosarum argumentationum genera e verborum praesertim ambiguitate ducta excogitarent, quibus adversariorum dicta labefactare, et convellere [5] possent. Quandoquidem Sophistae ad *contentiones* ἔριδας, fovendas spectabant, appellati quoque sunt *eristici*, ἐριστικοὶ, seu *litigiosi* vel *contentiosi* [6], scilicet homines, qui artem movendi lites, seu contentiones traderent. De Pro-

---

et Buttmanni, t. I, p. 313-533, Berol. 1808; Ritter, *Historia phil. ionicae* (germ.), p. 60 sqq, Berol. 1821; Mallet, *Histoire de la phil. jonien.*, p. 110 sqq, Paris 1842; I. Bernays, *Heraclitea*, Bonnae 1848.

[1]) Laert. lib. IX, segm. 51, et 52.

[2]) Laert., lib. cit., segm. 51; Clem. Alex., *Strom.*, lib. VI, p. 647; Aristoclem apud Euseb., *Praep. evang.*, lib. XIV, c. 20. Consulendus est Plato, *Theaet.*, p. 152, 166, et 167, nec non *Cratyl.*, p. 385.

[3]) A. Gellius, *N. A.*, lib. V, c. 3. « Quam rem (*Protag.*) Graece ita dicebat, τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν ».

[4]) Cf Plat., *Gorg.*, p. 447; *Men.*, p. 70, et 95; *Protag.*, p. 312, et 334; *Phil.*, p. 58. De vita et placitis Protagorae legesis Ioan. Frei, *Quaestt. Protag.*, Bonnae 1845; Weber, *Quaestt. Protag.*, Marburgi 1850; Vitringa, *Disp. de Protagorae vita et philosophia*, Groningae 1852.

[5]) Huiusmodi sunt fere omnes syllogismi sophistici, qui in Platonis *Euthydemo* inveniuntur.

[6]) Arist., *De Elench. Sophyst.*, c. 11, et Laert. lib. II, segm. 106.

lagora apud Laertium legimus: « . . . orationumque certa-
« mina instituit, et sophisma his, qui contentionis stu-
« dio delectantur, induxit. . . . ac quod nunc obtinet,
« leve illud contentionis genus genuit [1] ». Sunt, qui e-
risticam a sophistica discriminant, atque alios fuisse So-
phistas, alios autem Eristicos tradunt [2]. At nobis certum
est sophisticam, atque eristicam esse unam, eamdemque
disciplinam, quae propter duplicem, quem sibi propone-
re potest, finem duplex nomen habuit. Id enim cum
auctoritas Aristotelis, tum ratio, quam ipse adduxit, lu-
culenter, ni fallimur, evincunt. Certe, Aristoteles, cui,
utpote primo, accuratoque disciplinae sophisticae scri-
ptori, fides deneganda non est, aperte tradidit syllogi-
smum litigiosum, et syllogismum sophisticum esse u-
num, eumdemque syllogismum, atque hunc esse syl-
logismum *fucatum*, φαινόμενον [3]. Ratio autem, quam at-
tulit, firma est, eaque ita se habet: Sophistica, ac eri-
stica non differunt ob media, quibus utuntur, quia am-
bae argumenta fallacia adhibent, nec ob effectum, quem
producunt, quia ambae falsum sub specie veri exhi-
bent, sed tantum ob diversitatem finis, quem qui alte-
rutra illarum utitur, consequi sibi proponit, scilicet
vel lucrum, vel gloriam [4]. Iam finis, cuius gratia quis-
piam aliqua re utitur, naturam ipsius rei non immutat,
quia ille finis, cum extra naturam rei sit, accidens
eiusdem rei est. Sophistica igitur, et eristica sunt ea-

---

[1]) Lib. IX, segm. 52. Antisthenem duos libros, quos ἐπιστικοὺς inscripsit, exarasse idem Laertius refert in lib. VI, segm. 17.

[2]) Ita sentire videntur doctissimi viri Deycks, *De Meg. doctr.* etc., p. 62, ed. cit., et Petersen, *Philosophiae Chrysippeae fundamenta*, Introd., p. 3, ed. cit.

[3]) « Et syllogismus litigiosus et sophisticus est unus quidem apparens syllogismus »; *De Soph. Elench.*, c. 11, § 3.

[4]) « Et iisdem argumentationibus utuntur litigiosi, et sophistae, sed « non eorumdem finium gratia; eademque argumentatio erit sophi-« stica, et litigiosa, sed non eadem ratione: verum quatenus victoriae « fucatae causa adhibetur, est litigiosa; quatenus autem sapientiae « fucatae causa, est sophistica »; *ibid.* § 4.

dem disciplina, quae ob diversos fines vel lucri, vel gloriae, cui inservire potest, alterutrum nomen sumit [1]. Non aliter, ac Aristoteles, sensisse videtur Clemens Alex.; si quidem Sophistae *contentiosas comparantes quaestiones*, ζητήσεις ἐπιστικὰς ἐκπορίζοντες, *ligatores*, ἐριδαντέες, et *iurgiorum consarcinatores*, ἱμαντελικτέες vocati ab eo sunt [2].

Ex quibus omnibus perspicitur Sophistarum nomine apud Graecos designatos illos fuisse, qui non philosophabantur, ut verum invenirent, discipulisque suis in vero inveniendo viam sternerent, sed ut iis, quae falsa sunt, aut de quibus in utramque partem disputari potest, speciem veri conciliarent, et discipulos suos ad hanc facultatem assequendam manuducerent [3]. Itaque sophisticam definire licet *scientiam, quae tradit modos, quibus species veri de quibusve rebus captari potest* [4], et so-

---

[1]) Vid. Albertum M. *Lib. Elench.* tract. I, c. 4, in quo disputationes eristicas ad sophisticam retulit. « Litigiosae autem disputatio-« nes, ait, quae sunt ex iis, quae videntur probabilia per locum so-« phisticum, non sunt autem vere, et secundum esse probabilia ».

[2]) *Strom.*, lib. I, c. 3; cf *ibid.*, c. 8.

[3]) Effigiem Sophistarum egregie descripsit Matthaeus Von Baumhauer in sua *Disput., qua examinatur, quam vim Sophistae habuerint Athenis ad aetatis suae disciplinam, mores, ac studia immutanda*, c. 2, p. 19 sqq, Traiecti ad Renum 1844. Quod ad eristicam speciatim pertinet, legendus est Aug. Wiel. Winckelmann, *Platonis Euthydem.* Proleg., p. XXII sqq, Lipsiae 1833. Disputatum ab eruditis fuit, undenam germana effigies Sophistarum petenda sit. Plato ceteris antiquis hac in re copiosior est. At sunt, qui Platoni de Sophistis disserenti fidem detrectant, quia ipse acer illorum obtrectator est. Ita sensit Barthèlemy (*Voyage du jeune Anacharsis*, c. 58, t. VI, p. 48, ed. Biponti). Contra ea, alii, uti Garnier (*Mem. de l' Acad. des Inscript.*, t. XXXII, p. 156 sqq), omnia, quae Plato de Sophistis in dialogis suis enarravit, sedulo colligunt, indeque imaginem Sophistae exprimunt. Nobis rem acu tetigisse videtur laudatus Baumhauerus (*Op. cit.*, c. 2, p. 20), qui, si non singulis dictis, factisque, quae personis suis Plato tribuit, sed indoli dialogorum eius attendatur, veram indolem Sophistarum a Platone colligi posse putavit. Vid. quoque Degerando, *Hist. comp.* etc., part. I, c. 7, t. II, p. 57 sqq, ed. 2.

[4]) Apposite Clemens Alex. « Ars autem Sophistica, quam sectati

phisma *syllogismum ad speciem ita confictum, ut falsum sub specie veri concludat* [1].

Hactenus praecipuas notas, ex quibus Sophistae a Philosophis distinguuntur, exposuimus, indeque notionem sophisticae nobis confecimus. Iuvat in praesentia celebriores Sophistas enumerare, atque inquirere, quid adversus eos duo graecae philosophiae lumina, Plato, et Aristoteles moliti fuerint. Hoc enim pacto ad cognoscendum, quis sit sophisticae usus in philosophicis investigationibus, adytus nobis patebit.

Sciendum est Sophistas in unicam sectam minime coaluisse, sed quemquam suam docendi rationem sectatum esse, « Heracliteorum, hac in re, quodammodo « similes, inter quos, ut Plato dicit [2], numquam al« ter alterius erat discipulus, sed utcumque furoris « afflatu esset correptus, sponte philosophus existe« bat [3] ». Nihilominus, si vel scholae, ex quibus prodiere, vel disciplina, aut ars ingenua, quam professi sunt, prae oculis habeantur, ad quaedam genera revocari possunt. Et primo, cum vel ex secta ionica, vel ex secta eleatica, quae illa tempestate vigebant, egressi sint, ad alterutram illos revocare nobis licet. Ita Gorgias [4],

---

« sunt Graeci, tanquam rem praeclaram, et magni faciendam, est « potestas imaginativa, verbis falsas opiniones tanquam veras inge« nerans » (*Strom.*, lib. I, c. 8). Ibi etiam principium, opus, et finem eius breviter significavit his paucis: « ... artis litigandi, princi« pium est, id quod apparet; opus vero, contentio; et finis, victoria ».

[1]) Cf Trendelenburg, *Op. cit.*, p. 105. Audire iuvat s. Augustinum: « Sunt enim multa, quae appellantur sophismata, falsae con« clusiones rationum, et plerumque ita veras imitantes, ut non so« lum tardos, sed ingeniosos etiam minus diligenter attentos decipiant » ; *De doctrin.*, *Christ.*, lib. II, c. 31, n. 48. Cf s. Thom., *Cont. Gent.*, l. I, c. 4. — [2]) *Theaet.*, p. 180 ed. cit.

[3]) Verba sunt Baumhaueri in *Op. cit.*, c. 2, p. 22, et 23. Huic autem (*ibid.*, p. 22, not. 4) dubitari non posse visum est, quin cuiusdam sectae continuatio apud Siculos extiterit, quia Corax Tisiae, Tisias, ut videtur, Gorgiae, et Gorgias Poli magister fuit.

[4]) Vid. Alois. Garofalo, *Discorsi intorno a Gorgia Leontino*, Palermo 1821, et H. E. Foss, *De Gorgia Leontino*, Halis 1828.

Polus eius discipulus [1], Callicles [2], et Trasymachus [3] ad sectam eleaticam, et Protagoras [4], eiusque discipulus Prodicus [5] ad sectam ionicam pertinent. Ex secta ionica etiam prodiere Metrodus Chius [6], et Diagoras Melius [7], Democriti auditores, et qui Protagorae placita fere secuti sunt, Euthydemus, et Dionysiodorus [8]. Gorgiae apud Siculos praeiverunt Corax, qui τεχνεν ῥετορικὴν scripsit [9], eiusque discipulus Tisias, quem Gorgias audivit.

---

[1]) Cf Plat., *Gorgias*, p. 467-472.

[2]) Cf Plat., *Gorg.*, p. 482, et 496, et *De Republ.*, lib. VI, p. 487. Schleiermacherus in *Introd. ad Theaet.* (*Opp. Plat. germanice reddita*, Berol. 1804-1810) Platonem sub ficto Callicletis nomine Aristippum suggillasse dixit, sed nullo certo fundamento hanc coniecturam firmavit.

[3]) Plat., *De republ.*, lib. I, p. 336, 337, 338, 340, 341, 343, 350 etc. De huius scriptis, meritisque in rebus grammaticis, et rethoricis videsis Geel, *Op. cit.*, p. 206 sqq; Winckelmann, *Proleg. citt.*, p. XXXVII; Gerlach, *Op. cit.*, p. 84; Spengel, *Op. cit.*, p. 94 sqq, et Bernhardy, *Scientia syntax. ling. graec.*, p. 22 ed. cit.

[4]) Cf Plat. *Protag.*, *Mem.*, *Theaet.*, *Euthyd.* etc. Quis sophista Protagoras fuerit, videre licet Herbst, *Vita Protag. et Sophistica*, in *Stud. philol.*, *histor.* Petersenii (germ.), t. I, p. 136, et 40, Hamburgi 1832, et Grothe, *Dissert. de Socrate Aristophanis*, p. 137, Traiecti ad Rhenum 1843.

[5]) Cf loca citata p. 21, necnon Xenoph., *Symp.* lib. IV, c. 62. Dignus est, qui legatur, Welckerus loc. laud. p. 21, et Cobet, *Prosopographia Xenophontis*, p. 35, in *Annal. Acad. Lugd. Batav.*, Lugd. Batav. 1835, et 1836.

[6]) Cic., *Acad.* lib. II, c. 23, ed. cit.

[7]) Hic ἄθεος Sophistis quoque adnumeratus fuit. Vid. Sext. Emp., *Adv. Physic.*, lib. IX, sect. 53; Cic. *De nat. Deor.* lib. I, c. 1, et Valer. Max., lib. I, c. 1. Decretum, quo ipse Athenis capitis damnatus est, retulit Scholiasta ad *Aves Aristiph.* v. 1073. Legesis, aliis omissis, Fülleborn, *Commentt. ad usum hist. phil.* (germ.), fasc. XI, n. 2, t. III, Züllichau 1796; Theod. Bergk, *Commentt. de reliquiis comoediae atticae antiquae, libri duo*, p. 171 sqq, Lipsiae 1838; Mounier, *Disput. phil. liter. De Diagora Melio*, Lugd. Batav. 1838.

[8]) De Euthydemo, et Dionysiodoro conferre e re erit Platonem in *Euthyd.*, atque ea, quae in *Prolegg.* ad ipsum scripserunt Winckelmannus, et Stallbaum.

[9]) Cic., *Brut.*, c. 12, et Scholiastam ad Hermogenem, *Oratio-*

et cum quo Athenas venit [1]. Schola Megarica, quae ab eleatica prognata est, *eristicam* non mediocriter excoluit: unde Megarici, teste Laertio [2], *Eristici* appellati fuere. Inter hos, praetèr Euclidem, Stilponem et Diodorum Cronum, Eubilides, et Alexinus commemorandi sunt, quippe qui nonnulla sophismata, *insolubilia*, ἄλυτα, excogitarunt [3]. A Megaricis studium eristicae ad Stoicos manavit; re vera Chrysippus, qui de eristica egit, fallaces suas conclusiunculas e Scholae Megaricae fonte derivavit [4].

Sin disciplina, vel ars, quam Sophistae professi sunt, prae oculis habeatur, plura quoque genera Sophistarum recenseri possunt. Iam ab eruditis observatum fuit Sophistas quamdam ἐγκυκλοπαίδειαν, *encyclopediam* artium, et do-

---

nes Graec., t. VIII, p. 195 sqq, ed. cit. Cf Spengel, *Artium Scriptores*, p. 22, et 29.

[1]) Plut., *Oratt. Vitae*, vit. X, *Lysias*, p. 335, ed. Xil., et *Pausan.*, lib. VI, c. 17. Cf Spengel, *Op. cit.*, p. 37 sqq. De historia Sophistarum, praeter AA. iam laudatos, qui, data occasione, aliquid delibarunt, ex instituto scripserunt T. Geel, *Historia critica Sophistarum, qui Socratis aetate floruerunt*, in *Novis Actis Liter. Societ.*, part.II, p. 2 sqq, Traiecti ad Rhenum 1823; G. H. Milhauser, *De Sophistarum Graecorum origine*, Lipsiae 1834; Roscher, *De historicae doctrinae apud Sophistas maiores vestigiis*, Gottingae 1738, et Baumhauer, *Op. cit.*, c. 2, p. 19 sqq.

[2]) Lib. II, segm. 106.

[3]) Cicero tres tantum nominavit hoc in loco: « Atqui habebam mo« lestos vobis, sed minutos, Stilponem, Diodorum, atque Alexinum, « quorum sunt contorta, et aculenta quaedam sophismata. Sic enim « appellantur fallaces conclusiunculae » (*Acad.*, lib.II,c. 23 ed. Ernesti). De Schola Megarica, itemque de Eliaca, et de Eretriaca, quae illi ob doctrinae similitudinem adiungi solent, praeter Casp. Guntherum, *De methodo disputandi megarica*, Ienae 1707, et Spalding, *Vindiciae Philosophorum Megaricorum*, Berolini 1793, legendi sunt Ferdinandus Deycks, *De Megaricorum doctrina, eiusque apud Platonem et Aristotelem vestigiis*, Bonnae 1827, et Mallet, *Histoire de l'école de Mégare, et des écoles d'Élis et d'Érétrie*, Paris 1845.

[4]) Vid. Laert., lib. VII, segm. 186, et 187, et Menagium in h. l. Cf Baguet, *De Chrysippi vita, doctrinis et reliquiis*, Lovanii 1822

ctrinarum affectasse, discipulisque suis tradidisse, ut illa instructi de quibusve rebus iudicare, et disserere possent [1]. Quamvis id verum sit, tamen ex Sophistarum dialogis non obscure perspicitur Sophistas ita in universum ab se discrevisse, ut alii maxime *rethorica*, alii autem maxime *eristica* confiderent. Fuere enim, qui ornato dicendi genere animos auditorum ad sui sententiam pertrahere studebant; fuere et qui id captiosis argumentationibus se consequi posse putabant [2]. Rethores, maximam partem e schola Gorgiae prodierunt: Eristici vero vestigiis Protagorae institerunt. At fortasse accuratior erit recensio, si duobus hisce generibus tertium *Politicorum* cum Isocrate [3] addatur. Nam, etsi rethores plerumque de rebus politicis, περὶ πολιτείας, agerent [4], tamen negari non potest illorum aliquos causis agendis, vel ad aliorum usum scribendis vacasse [5], alios vero potis-

---

[1]) Ab Euthydemo, et Dionysiodoro post Protagoram ipsa ars *tactica* composita fuit, qua tradebatur, quomodo arma dextere tractanda, acies instruenda, et, solutis ordinibus, singulis cum singulis esset congrediendum. Hoc a Xenophonte, *Memorab.* lib. III, § 1 sqq, atque a Plat., *Euthyd.*, p. 273 didicimus. Conferendus est Winckelmannus, ad *Plat. Euthyd. Proleg.*, p. XXVIII sqq.

[2]) Cons. Stallbaum, *ad Plat. Euthyd.*, initio.

[3]) *Orat. adv. Sophist.* § 1, 5, et 11, et *Encom. Helen.*, § 1. Vid. Wendt, ad *Tennemanni Hist. phil.*, t. I, p. 467 (germ.), Lipsiae 1829.

[4]) Aristoteles (*Ethic. Nicom.*, lib. X, c. 9, § 18) ait: « Doctri- « nam vero rerum civilium profitentur quidem illam ii, qui vocantur « sophistae ». Atque *ibid.*: « Iam vero ex sophistis ii, qui politicam « se docturos profitentur, longissime ab eo praestando absunt quod « promittunt. In universum enim illi, quidnam ista scientia sit, aut « quibus in rebus occupetur, ignorant. Alioqui non dicerent modo, « esse eam ideo cum rethorica, modo aliquid ea deterius »; § 20.

[5]) Extitere inter Sophistas nonnulli λογογράφοι, seu λογοποιοί, scilicet, qui, cum ipsi in forum non prodirent, orationes forenses pro aliis scribebant (cf Plat., *Phaedr.*, p. 257, et in h. l. Heindorf, *Specimen coniecturarum in Platonem*, Berol. 1798). Hi ex Antiphontis schola potissimum profecti sunt (cf de λογογράφοις Winckelmann, *Prolegg.* citt., p. XXXIV sqq, et Stallbaum, *Prolegg.* citt., p. 46 sqq). Alii autem artem sophisticam cum orationum scribendarum negotio coniungebant, inter quos, ut ex Dionys. Halic. (*De Isaaco*

simum iuventutem in iis omnibus eruditisse, quae ad rerum publicarum administrationem spectant. Inde factum est, ut, qui aliquando reipublicae muneribus fungi cuperent, Sophistarum scholas frequentarent, seseque ad res politicas agendas, discutiendasque idoneos evasuros confiderent [1]. Re vera, e Scholis Sophistarum, ut plura nobilium iuvenum nomina, quae Plato commemoravit [2], praetereamus, prodiere viri politici Callicles, Gorgiae familiaris [3], Callias Hipponici filius [4], Theramenes, Prodici disciplina eruditus [5], Critias, qui Socratis consuetudine usus est [6], Alcibiades, qui ob egregias animi dotes, Socratisque amicitiam celeberrimus extitit [7], et Lamachus, Xenophanis filius, et Niciae, Alcibiadisque in expeditione sicula socius [8].

Iam videamus, quid a Platone, et Aristotele contra Sophistas praestitum sit. In antecessum sciendum est Sophistas usque ad saeculum proxime elapsum vix dignos habitos fuisse, qui in historia philosophiae tanquam adversarii Socratis, et quarumdam captiosarum cavillationum auctores commemorarentur. Hic Sophistarum contemptus fortasse e scriptoribus latinis ad recentes manavit; nam, cum indoles romanae gentis a Sophistarum artibus valde abhorreret, eius Scriptores in id maxime incubuere, ut nonnisi vitia, quae ab Aristophane [9], aliis-

---

Iud., c. 20) perspicitur, Trasymachus extitit. Cf Gerlach, *Op. cit.* in notis ad p. 84.

[1]) Cf Luzac, *Orat. de Socrate cive*, Annot. p. 53, Lugd. Batav. 1797.

[2]) *Protag.* p. 317. — [3]) Cons. Prinsterer, *Op. cit.* p. 133.

[4]) Cf Meineke, *Hist. crit. Com. Graec.*, p. 131-137.

[5]) Cf Luzac, *Orat. cit.*, Annot. p. 129.

[6]) Vid. Xenoph., *Memorab.*, lib. I, c. 2, § 15, et 16, ed. cit.

[7]) Cf Plat., *Alcib.*, I, p. 106, *Protag.* p. 317, et Xenoph., *Memor.*, lib. I, c. 2, § 39-46, ed. cit.

[8]) De hoc digni sunt, qui legantur Bergk, *Op. cit.*, p. 5, et 63, Meineke, *Fragm. Com. Antiq.* p. 969, et Baumhauer, *Op. cit.*, c. 4, § 2, p. 131 sqq.

[9]) Vid. eius *Nubes*, vv. 655 sqq, et 1252 sqq.

que Graecis obiecta Sophistis sunt, in medium proferrent. Verum enimvero, postquam sub exitum proxime elapsi saeculi, et initium huius Christoph. Meinersius in Germania mentes eruditorum ad quaedam Sophistarum in artes, scientiasque merita expendenda excitavit [1], Hardion in Gallia eorum in rethoricae studio progressus patefecit [2], et Geelius in Batavia singulorum Sophistarum vitam, ingenium, mores, et placita diligenter exposuit [3], historia Sophistarum diligentius excoli, atque aequius, quam antea, de ipsis iudicium ferri coepit. Sed in eadem Germania Heghelius in Sophistis laudandis omnem modum excessit, quippe quod illos subiectivismi sui transcendentalis antesignanos fuisse extimavit [4].

Nos equidem non inficiamur Sophistas de grammatica [5], rethorica [6], et poësi [7] non parum meruisse, sed

---

[1]) *Histoire de l' origine du progrès* etc. lib. VI, c. 2, vol. 3, p. 234 sqq, ed. cit.

[2]) *Dissertations sur l' origine et les progrès de la Réthorique dans la Grèce*, *Mém. de l' Acad. des Inscript.*, *et Belles Lettres*, tt. XV, XVI, XIX, et XXI

[3]) In opere, quod laudavimus p. 27, not. 1.

[4]) *Lectiones historiae phil.* (germ.). *Opp. omnia*, ed. cit. t. XIV, p. 3 sqq. Cf ea, quae de hoc iudicio Heghelii scripsimus in nostro op. *I principali sistemi* etc. c. 2, § 1, p. 153, not. 2.

[5]) Satis exploratum est Sophistas, in primisque Protagoram, Prodicum et Hippiam in grammaticam non parum momenti contulisse (cf Spengel, Herbst, et Welcker, *Op.citt.*, passim, eiusque adde Classen, *De grammaticae graecae primordiis*, p. 25 sqq, ed. cit.). Certe, Thucidides (vid. Spengel, *Op. cit.* p. 53-57, et Welcker, *Op. cit.*, p. 569), Critias (Welcker, p. 567), Antiphon Rhamnusius (Spengel, *Op. cit.*, p. 116, et Welcker, *Op. cit.*, p. 570), atque ipse Isocrates (Geel, *Op. cit.*, p. 139) e Prodici disciplina vel omnino, vel partim profecerunt. Vid. Baumhauer, *Op. cit.*, c. 5, § 3, p. 154 sqq.

[6]) Praeter ea, quae ante diximus, et nuperos AA. modo laudatos, legere iuvat Hardion, *Dissertt.* citt.

[7]) Quin poësis quodammodo a Sophistis exculta fuerit, dubitare non sinunt Evenus Parius, et Licymnius, quos poetas, et sophistas fuisse constat (cf Heindorf, *Op. cit.*, p. 319; Geel, *Op. cit.*, p. 170, et Gerlach, *Op. cit.*, p. 81 sqq). E poetis vero, qui Sophistarum di-

quod ad scientias rerum, et morum attinet, nobis a nobiliorum graecorum Philosophorum iudicio recedendum non esse videtur, quippe qui certe maiorem, quam recentes, fidem merentur.

Iam, Sophistae, horum iudicio, ob suam in utramque partem disputandi rationem, non modo omnem scientiam rerum sustulerunt, sed etiam notiones iusti, iniustique perturbarunt [1]. Inde legum, et religionis contemptus apud Graecos, et praesertim Athenis percrebuit, ex quo mores valde depravati sunt [2]. Primum Sophistarum adversarium fuisse Socratem exploratum est; hunc enim Plato in suis dialogis cum Gorgia, Thrasymacho, aliisque Sophistis manus conserentem saepe exhibuit. Nisi quod cum fere iisdem, ac Sophistae, armis ad illos conterendos usus fuisset, non solum ab aliis comicis, puta Mnesilocho, Callia, Amipsia, sed ab ipso etiam Aristophane veluti Sophista cachinnis Atheniensium expositus fuit [3]. Re vera, ipse plerumque captiosis interrogationibus adversarios fere improvidos illuc adducebat, ut oppositum illi, quod docebant, fateri cogerentur. Haec est illa *inductio*, quae a Tullio, aliisque antiquis tantopere celebrata fuit [4]. Quam adhi-

---

sciplina instituti sunt, satis est nominare Euripidem, Prodici, et Protagorae familiarem. Hic enim philosophiam in scenam induxit (unde σκηνικὸς φιλόσοφος ab Athenaeo, lib. IV, c. 48, et a Sexto Emp., *Advers. Math.*, lib. I, sect. 288, dictus est), eamque ita adhibuit, ut ab Aristophane in *Nubb.* veluti Sophista traduceretur. Cf Bouterweck, *De philosophia Euripidea*, inter *Comment. Societ. Gotting. recentiores*, t. IV, p. 7 sqq, Gott. 1820; Müller, *Euripides deorum popularium contemptor*, Vratislaviae 1826, et I. A. Schneither, *Disp. philos. liter. de Euripide philosoph.*, Groningae 1828.

[1]) Cf Veder, *Dissert. de Iusti notione in scholis veterum philosophorum*, Lugd. Batav. 1832.

[2]) Cons. Baumhauer, *Op. cit.*, c. 4, § 2, p. 89 sqq.

[3]) Id Aristophanes praesertim egit in *Nubibus*. Vid. *Nubes c. scholiis, rec. et adnot. Ernesti, suasque add. G. Hermannus*, Lipsiae 1799.

[4]) Inductio ista, quae vulgo *socraticae* nomine designatur, eo spe-

bere Socrates solebat admirabili illa, suique propria usus *ironia*, εἰρωνεία, quasi adversarii sui essent omnium rerum peritissimi, ipse vero ignorantissimus. Scilicet Socrates simulabat nihil se scire, atque a Sophistis, qui scientiam omnium rerum iactabant, discere velle, negabatque se id unquam consecuturum, nisi ipsos de iis, quae fortasse obscurius dicebant, diligenter interrogare sibi liceret. Tum vero suis percontationibus, et quaestionibus adversariorum inscitiam, et arrogantiam tanta in luce collocabat, ut eos victas dare manus, suique pudere oporteret [1]. Iamvero, quoniam hoc modo adversarium erroris redarguere fere idem est, ac eum fallere, idcirco artes, quas Socrates ad Sophistas refellendos adhibuit, sophisticae multis videbantur [2]. « Id ipsum, doctiss. Van « Heusde inquit, quod ei (*Socrati*) tribui solet, *indu-* « *cere*, proprie est fallere, decipere, adducere aliquem « ad confitendum, quod vel non habet verum, vel nolit « confiteri [3] ».

---

ctabat, ut adversarius rebus cuique patentibus,et plerumque tenuissimis,et vilissimis, quas facile concedebat,ad rem similem, quae ab eo ignorabatur, vel negabatur, concedendam adduceretur. « Hoc « modo sermonis, Tullius ait, plurimum Socrates usus est, propter- « ea quod nihil ipse afferre ad persuadendum volebat, sed ex eo « quod sibi ille dederat,qui cum disputabat, aliquid conficere male- « bat, quod ille ex eo, quod iam concessisset, necessario approbare « deberet » (*De invent.*, lib. I, c. 31; cf *ibid.*c.32,et 33,et Quintil., *Inst. Orat.* lib. V, 11). Innumera huius exempla ex Xenophontis *Memorabilibus* nobis suppetunt, quorum quaedam videsis lib. I, c. 4, § 2, et 3, lib. III, c. 6, § 2-6, et c. 7, § 1, et 2, lib. IV, c. 6, § 7, etc. Cf prae multis, quos Tenn. laudavit (*Manuale* etc. Period. I, c. 2, t. I, p. 139 sqq, ed. cit.) Isaac de Vuller, *Diatribe in Socraticam* ἐπαγωγήν, *praesertim e Xenophontis Memorabilibus ductam*, Trai. ad Rhen. 1832, et Van Heusde,*Initia phil.plat.*, p. 239-243, ed. cit.

[1]) Vid. Car. Badon Ghyben, *Diatribe in Socratis ironiam*, Zutphaniae 1833.

[2]) Sunt certe nonnulli dialogi, in quibus Socrates omnino sophistam agit; unde *scurra* a Zenone, teste Cicerone (*De nat. Deor.*, ib. I, c. 34), dictus fuit.

[3]) *Characterismi principum philosophorum veterum*, p. 25,

Vehementiori, quam Socrates, studio, maiorique animi contentione Plato eius discipulus contra Sophistas pugnavit. Ipse artem, quam Socrates adversus illos adhibuit, longe promovit, perfecitque. Nam, scite observante Van Heusdeo [1], ea, quae a Socrate inchoata tantum, et magis instinctu naturae, quam arte, et consilio, prolata fuerant, diligenter excussit, atque exploravit, usus quoque aliorum, puta Eleaticorum, Megaricorum, ipsorumque Sophistarum inventis. Id maxime egit in tribus dialogis, nempe *Theaetetus*, *Sophista*, et *Politicus*, qui *dialectici* vulgo dicuntur [2]. Cum autem in his, tum in *Parmenide*, aliisque dialogis novam tradidit dialecticam, de qua alias dicemus, eiusque ope dogmata philosophica, ex quibus Sophistae artem suam disputandi, et contendendi deducebant, confutare studuit.

At vero, Aristoteles, Platonis discipulus, Socratis et Platonis doctrinis, et exemplo edoctus, scientiam sophisticae constituit, eamque, veluti partem logicae, accurate, et subtiliter tractavit [3]. Ipse enim, uti ex dicendis patescet, principio omnia sophismata, quae iam a Sophistis constructa fuerant, aut construi de quibusve rebus unquam poterunt, ad pauca, certaque genera, certasque species revocavit; tum locos indigitavit, ex qui-

---

Amstel. 1839. Iuvat legere omnia, quae de Socrate cl. Auctor disseruit (*Op. cit.*, p. 3-87), et quae scite observavit P. Van Limburg Brouwer (*Histoire de la civilisation morale, et religieuse des Grecs*, t. V, p. 159-161, Groningae 1832-1842). Sunt qui cum Marbachio, et Forchhamero Socratem philosophum fuisse negarunt; sed pro Socrate contra Forchhamerum egregie pugnavit idem Van Limburg Brouwer, *Apologia Socratis contra Meliti redivivi calumniam*, Groningae 1838.

[1]) *Initia phil. plat.*, p. 247, ed. cit.

[2]) Cf Ast, *Vita Platonis* (germ.), p. 53, Lipsiae 1816, et Van Heusde, *Op. cit.* p. 350, ed. cit.

[3]) Apposite Albertus M.: « . . . . quamvis enim hanc Zeno quidam « de sophisticis tradiderit, non tamen ita ad scientiam et artem rede- « git, quemadmodum et Aristoteles »; *Elench.*, lib. I, tract. I, c. 1.

bus ipsa erui, atque extrui possunt; tum denique quibus modis illa dissolvi possint, et debeant, tradidit. In eodem autem libro de *Elenchis Sophysticis*, in quo hanc theoriam exposuit [1], exempla aliqua daturus, plerasque argumentationes captiosas, quas Plato Dionysiodoro, et Euthydemo tribuit, dissolvit [2]. In aliis autem libris. praesertim in *Met.*, examini subiecit illa philosophiae placita, quibus artis suae rationes reddere Sophistae adnitebantur. Cum haec omnia Aristoteles praestitisset, suae de *Sophysticis Elenchis* theoriae inventionem non immerito sibi vindicavit [3].

Iam vero, quotquot a Socrate apud Platonem, atque ab eodem Platone, ac Aristotele disputata adversus Sophistas sunt, perlegenti duo manifesta fiunt, quae hic adnotanda censemus. Primo Socrates, Plato, qui doctrinam Socratis enodavit, atque Aristoteles, secus ac Heghelio, aliisque nuperis Germanis visum est, sophisticam omnino damnarunt, tum quod turpis est causa, quae ipsam genuit, nempe lucrum, vel ostentatio, tum quod fallacia sunt instrumenta, quibus utitur, scilicet conclusiunculae non verum, sed speciem veri concludentes, tum demum quod ad turpem finem, hoc est, ad decipiendum, vel contentionem fovendam spectat. « Aperte itaque, Clemens Alex. ait, Plato *malam ar-* « *tem* (κακοτεχνίαν) appellavit sophisticam : et, eum se- « quens, Aristoteles eam quandam decipiendi artem « (κλεπτικὴν) pronunciat, ut quae totum sapientiae offi- « cium probabiliter surripiat, et profiteatur sapientiam, « in qua non est versata, nec in ea studium posuit [4] ». Secundo, principes illi Philosophi studium sophi-

[1]) Praesertim c. 9, et 10.

[2]) Cf Auct. Anonymus *Paraphrasis Sophystic. Elench.*, p. 55, ed. Spengel, Monachii 1842, ac inter nuperos Biese, *Op. cit.*, t. I, p. 44, 98, et 605.

[3]) *De Sophystic. Elench.*, c. 34, § 3, ed. Didot, vel *Topic.*, lib. IX, c. 34, t. II, p. 288, et 289, ed. Waitz.

[4]) *Strom.*, lib. I, c. 8.

sticae esse omnino necessarium existimarunt, quippe quod animos ad scientiam assequendam idoneos reddit. Ipsis enim persuasum fuit non posse iuvenum mentes ad scientiae adeptionem idoneas evadere, nisi praeiudicatis opinionibus, necnon tumore, et superbia, quae maxima sunt cogitandi, libereque inquirendi veritatem impedimenta, purgentur. Hinc *redargutio*, ἔλεγχος, in Platonis dialogis, qui *Socraticorum* appellatione a reliquis discernuntur, dicitur κάθαρσις, *purgatio*, immo *maxima, et princeps purgationum*, μεγίστη καί κυριωτάτη τῶν καθάρσεών [1]. « Haec, ait Van Heusde, verissimo nomine « κάθαρσις erat, qua Socrates eximere iuventuti praeiudi- « catas opiniones, falsa iudicia, praesertim superbiam « studebat [2] ». Huc spectabat, monente Gastmanno, adeo celebrata Socratis *ironia*. « Erat igitur, ait, haecce socra- « tica εἰρονία veluti critica, acerrima quidem, sed neces- « saria, atque ad veram philosophiam instaurandam « saluberrima. Negativa plerumque est, cum falsa quae- « que potissimum in lucem protrahat, at omnis verita- « tis via ab errore cognoscendo initium sumit [3] ». Eamdem fuisse Platoni mentem quisquis, nemine monente, ex se coniicere potest; si quidem Socratem saepe hanc doctrinam inculcantem induxit. Lubet exscribere hunc brevem locum: « Qui hos purgare aggre- « diuntur, haud secus quam medici corpora, cu- « randos existimant. Medici namque tradunt salubri- « bus epulis non prius nutriri corpus, quam impedi- « menta pellantur. Similiter isti non prius egregias do- « ctrinas conferre animae censent, quam redargutus « hic, qui errat, erubescat, expulsisque doctrinae impe- « dimentis, falsis videlicet opinionibus, purus evadat, « nec alia praeter illa, quae noscit, nosse se putet [4] ». Aristoteles, hanc rem presse definire volens, advertit

---

[1]) *Sophist.*, p. 230. Legere iuvabit totum locum p. 230, et 231.
[2]) *Characterismi* etc., p. 27; cf *Initia* etc., p. 147 sqq.
[3]) *Op.cit.*, Introit. p. 12, et 13. — [4]) *Sophist.* p. 227, et 228, ed. Biponti.

studium sophisticae ex duobus capitibus maxime utile esse ad scientiae adeptionem. Primum est, quod, cum maxima pars sophismatum ex verbis ducatur [1], studium sophisticae efficit, ut in ambiguitate verborum facile perspicienda erudiamur, ob idque multos errores, qui ex illa quamdam speciem veritatis sumunt, sive legendo libros, sive disputando cum aliis vitemus. Alterum est, quod, si vitia, quibus captiones Sophistarum laborant, detegere, ope artis sophisticae, noverimus, vitia quoque, in quae veritatem ipsi ex nobis investigantes incidere possumus, facillime cavebimus [2].

Non aliter de Sophistis, eorumque studiis antiqui Ecclesiae Scriptores senserunt. Certe s. Irenaeus haereticos διὰ τῆς ῥαυούργως συγκεκροτημένης πιθανότητος, *ob subdole exercitatam verisimilitudinem*, verba Domini corrumpere, imperitosque fallere dixit [3]. Clemens Alex. sophisticam, veluti Fidei Catholicae infensam, insectatus est, et Sophistas, quippe qui « ansas calumniandi sermones nostros invenire [4] » contendebant, acriter reprehendit. Ipse non solum notionem, ut vidimus, sophisticae, finem, ad quem spectat, mediaque, quibus utitur, explicuit, sed etiam imaginem sophistae iisdem, ac Plato, coloribus depinxit [5].

---

[1]) *Elench.*, c. 1, p. 242, ed. Waitz.

[2]) *Op. cit.*, c. 16; cf Alb. M., lib. II, tract. I, c. 1, et Waitz, *Comment.* t. II, p. 558.

[3]) *Adv. haeres.*, lib. I, Praef.; cf *ibid.*, lib. III, c. 24, ed. cit.

[4]) *Strom.* lib. I, c. 3.

[5]) « Aliqui autem alii, seipsos erigentes, ansas calumniandi sermo« nes nostros invenire contendunt, contentiosas comparantes quae« stiones, dictiuncularum venatores, pusillarum quarumdam artium « aemulatores, litigatores, et iurgiorum consarcinatores . . . Ob hanc « ergo artem se efferentes Sophistae infelices, canoris suis quibus« dam nugis garrientes, cum in nominum delectu, et certa dictionum « compositione et connexione per totam vitam laborant, turturibus « apparent loquaciores eos quibus pruriunt auribus, non satis, ut « mihi videtur, viriliter demulcentes, et titillantes »; *Op. cit.*, lib. I, c. 3. Atque inferius docuit Apostolum Paulum illis verbis *ad Timoth.* (I, c. VI, vv. 3-5, quos ad memoriam citavit): *Si quis non accedit*

Iussit vero nos sophisticae studio incumbere « ut non « decipiamur, neque circumveniamur ab iis, qui ad au- « ditorum perniciem improbam artem exercuerunt », subditque: « Oportet itaque arguendi et refellendi genus per- « sequi, ut Sophistarum fallaces repellamus opiniones [1] ». S. Gregorius Nazianzenus vehementer conquestus est quam plurimos, et stolidissimos adolescentes « insano « quodam erga Sophistas studio » teneri, in eoque ad- laborare, « ut et plures ipsi sint, et illos opera sua lo- « cupletiores efficiant [2] ». Ceteris omissis, s. Augustinus sophisticam saepe reprehendit, eamque in Sacris Litte- ris damnatam fuisse scripsit: « Haec, ait, non est elo- « quentia . . . sed quaedam sophistica, et maligna pro- « fessio, quae sibi proponit, non ex animo, sed ex « contentione vel commodo, pro omnibus, et contra « omnia dicere. . . Ab hac mihi videtur Paulus aposto- « lus iuventutem Timothei prohibere, ubi ait: Noli ver- « bis contendere; ad nihil enim utile est, nisi ad sub- « versionem audientium [3] ». Atque alibi, postquam, quid sint sophismata, exposuit [4], atque exemplo apud anti- quos trito illustravit, illico subdit: « Quod genus ca-

ad sanos sermones etc., ad Sophistas digitum intendisse: « Vides « quomodo in eos invectus sit, Logicam eorum artem *morbum* ap- « pellans, propter quam se efferunt, quibus cordi est haec ars garru- « la et improba, sive sint Graeci, sive etiam barbari Sophistae . . . « Hi sunt lupi rapaces tecti pellibus ovium, plagiarii et diserti ani- « marum abigei; qui clam quidem furantur, sed fures esse convin- « cuntur, qui et dolo, et vi nos simplices conantur superare, ut qui « minus eis in dicendo valeamus. . . Tales autem sunt litigiosi isti, « sive sectas sectentur, sive artes nescio quas exerceant Dialecti- « cas. Isti sunt qui *funiculos trahunt*, inquit Scriptura, *et nihil te- « xunt*, inanem laborem plurimi facientes, quem *hominum aleam*, « *et astutiam* ipse vocavit Apostolus *aptam ad erroris insidias*. « *Sunt enim*, inquit, *multi inobedientes, vaniloqui, mentem deci- « pientes* »; *Op. cit.*, lib. cit., c. 8.

[1]) *Ibid.*, c. 6.

[2]) *Orat.* XLIII, § 15, Parisiis 1778.

[3]) *Contr. Cresc. Donatist.*, lib. I, c. II, n. 3.

[4]) Vid. p. 25, not. 1.

« ptiosarum conclusionum Scriptura, quantum existimo, « detestatur illo loco, ubi dictum est: *Qui sophistice « loquitur, odibilis est* (*Eccli.* XXXVII, 23) ». Nihilominus ipsemet sanctus Doctor advertit studium artis disputandi intra iustos limites conclusae ad Sacrarum Litterarum intelligentiam utile esse. « Sed, ait, disputationis disci- « plina ad omnia genera quaestionum, quae in Litteris « sanctis sunt penetranda et dissolvenda, plurimum va- « let: tantum ibi cavenda est libido rixandi, et puerilis « quaedam ostentatio decipiendi adversarium [1] ». Quantum vero studii, curaeque in sophistica, quam Aristoteles accurate tradiderat, excolenda ss. Patres collocassent, ex iis, quae contra philosophos, et haereticos disputarunt, et quorum nonnulla inferius adducemus, luculenter demonstratur.

Eamdem ob causam Albertus M., qui universam logicen aristotelicam exposuit, sese *Sophysticorum Elenchorum* explicationi vacasse professus est. « Et erit, ipse « inquit, noster finis (ad quem nostrum opus termina- « bitur) talem scientiam de sophisticis consequi et dis- « serendis et iudicandis: ex hoc enim et scientiarum du- « bia solvuntur, et cavebitur ab errore, qui ex sermone, « vel ex re posset incidere [2] ». B. Alberti exemplum s. Thomas [3], Scotus [4], aliique sectati sunt.

Inter recentes Franc. Baco, qui Scholasticos, ut saepe diximus, susque deque habuit, et se verae logices instauratorem iactavit, haud censuit tractationem sophisticae a logica exterminandam, atque ingenue fassus est ipsam a Platone, et Aristotele omnino absolutam fuisse. « Haec pars, inquit, de elenchis sophisticis praeclare tra- « ctata fuit ab Aristotele quoad praecepta. Etiam a Pla- « tone adhuc melius quoad exempla. Neque illud tamen « in persona Sophistarum Gorgiae, Hippiae, Protagorae,

---

[1]) *De Doctr. Christ.*, lib. II, c. 31, n. 48.
[2]) *Elench.* lib. I, tract. 1, c. 1.—[3]) Opusc. XXXIX *De fallaciis*.
[4]) *In lib. Elench. Quaestiones*, *Opp.* t. I, p. 224 sqq, ed. Wadding.

« Euthydemi et reliquorum, verum etiam in persona ipsius Socratis, qui cum illud semper agat, ut nihil affirmet, sed a caeteris in medium acta infirmet, ingeniosissime obiectionum, fallaciarum, et redargutionum modos expressit. Itaque in hac parte nihil habemus, quod desideremus [1] ». Non Baconi tantum, sed cunctis politioribus recentis aetatis Logicis tractatio de argumentis sophisticis veluti utile, immo necessarium logicae caput, visa est. Bart. Keckermannus, ut unum exemplum afferamus, secundum Stagiritam [2], et s. Thomam [3], inquit: « Vsus huius doctrinae logicae est maximus non tantum ad cavendas falsas rationes ab aliis excogitatas, sed etiam ad dirigendam mentem, ne ipsa sibi fingat, et excogitet falsas rationes, easque postea tanquam veras teneat [4] ». Nisi quod Auctor *Artis cogitandi* [5], eiusque non pauci sectatores aristotelicam sophismatum recensionem magna ex parte retinentes, alia genera sophismatum illi addenda censuerunt, aliosque communes eorum fontes detexisse sibi adblanditi sunt [6]. Omnes in sophismatum numero augendo Rosminius illo, quo solet, studio cuncta innovandi abreptus longe superavit. Nos recensionem sophismatum, quam Aristoteles, atque, hoc duce, Scholastici perfecerunt, veritati consentaneam esse existimamus; quapropter ipsam explicandam, vindicandamque suscipimus.

---

[1]) *De dignit.* etc., lib. V, c. 4, p. 298, ed. cit.

[2]) *Sophyst. Elench.*, c. 16, t. II, p. 266, ed. Waitz.

[3]) « Vterque ratiocinandi modus (*recte et non recte*) competit « homini et ad seipsum, et ad alium, nam et secum aliquis considerans potest recte et non recte ratiocinari, et cum alio conferens »; *Opusc. cit.*, Prooem.

[4]) *Syst. Logicae*, lib. III, sect. 3, c. 1, p. 549 et 550, Lugd. 1607.

[5]) Part. III, c. 19, p. 192 sqq, ed. cit.

[6]) *Logica*, lib. II, sez. 3, p. 211, ed. cit.

ARTICVLVS SECVNDVS

De sophismatum divisione, et primo de generibus sophismatum, quae in dictione sunt

Ad recensendum varia genera sophismatum planam, tutamque viam ingredi volentibus pauca nobis praemonenda sunt. Principio cuius naturae sit syllogismus, qui *redargutio*, vel *elenchus sophisticus*, vel *sophisma* vocatur [1], exponamus oportet; omnis enim redargutio, monente Alexandro Aphrod. [2], est aliquis syllogismus, licet non omnis syllogismus sit redargutio. Iam perspicua res est sophisma esse oportere syllogismum aliquid concludentem, quod propositioni ab adversario statutae repugnat; si quidem sophisma non ad aliud spectat, quam ut adversarium inducat aut ad concedendum id, quod negaverat, aut ad negandum id, quod concesserat. Quandoquidem autem is, qui ex praemissis aliquid colligit, quod propositioni adversarii repugnare videtur, etsi non repugnet, ipsum adversarium redarguit, idcirco id genus syllogismi nomen *redargutionis*, seu *reprehensionis* a grae-

---

[1]) Apud latinos, teste Seneca, nullae voces fuere, quae graecis adprime responderent: « Quid vocentur Latine *sophismata*, quae« sisti a me. — Multi tentaverunt illis nomen imponere, nullum hae« sit; videlicet quia res ipsa non recipiebatur a nobis, nec in usu e« rat, nomini quoque repugnatum est. Aptissimum tamen videtur « mihi, quo Cicero usus est: *cavillationes* vocat » (*Epist.* CXI, § 1, *Opp.* t. IV, p. 246, ed. cit.). Locus, in quo Cicero sophismata per *cavillationes* explicuit, intercedit; sed extat in *Acad.* locus, ubi quae *sophismata* a graecis dicebantur, *fallaces conclusiunculas* vocavit (vid. p. 27, not. 3). Seneca sophismata *captiones* vertit (*Epist.* XLV, § 8, *Opp.* ed. cit., t. III, p. 239). Apud Scholasticos nomen *fallaciarum*, quo Facciolatius (*Inst. log. perip.*, part. V, c. 2, p. 192, ed. cit.), Eduard. Corsinius (*Inst. phil., Log.* part. IV, c. 7 sqq, Venetiis 1764), aliique logici, litterarum latinarum periti, usi sunt, late obtinuit. Ratio nominis est « quia scilicet, s. Thomas ait, est causa « fallendi quantum est de se, licet aliquis non fallatur per ipsum in « actu, nisi ignorantia adveniente »; *De fallac.*, c. 2.

[2]) *Comm. in Elench. Soph.*, Venet. apud Ald. 1520.

cis accepit. Ex quo intelligitur *elenchum*, sive redargutionem optime definiri posse secundum Stagiritam *syllogismum cum contradictione conclusionis* [1]. Quod autem redargutio notione sophismatis comprehensa sit, id proprium, ni fallimur, fuit illius aetatis, in qua Sophistae, et Eristici vigebant; hi enim artem redarguendi et ipsi exercebant, et alios in illa exercenda erudiebant. Verum, postquam sophistica, vel eristica studium proprium aliquorum hominum esse desiit, voci *elenchi sophistici* voces *sophismatis*, et *fallaciae* substitutae sunt [2], atque graeca voce *sophismatis*, et latina *fallaciae* designatus est omnis syllogismus, qui alicui veritati satis exploratae, et vulgo receptae adversatur, et latius etiam omnis syllogismus, qui ob vitium vel *formae*, vel *materiae* falsum concludit.

Secundo, quoniam omne sophisma ad falsum sub specie veri insinuandum spectat, duo ad eius effectionem concurrant oportet, scilicet aliquid, ex quo id, quod falsum est, quamdam speciem veri mutuatur, et aliquid, quo id, quod speciem veri prae se fert, re ipsa falsum est. Illud, quia in causa est, cur id, quod falsum est, veluti verum appareat, *causa apparentiae* in Scholis dicitur; hoc, quia efficit, ut id, quod veluti verum apparet, re ipsa verum non sit, *causa non existentiae* vocatur [3]. Iam diversae species sophismatum non ex eo constituuntur, quod efficit, ut id, quod veluti verum

---

[1]) . . . συλλογισμὸς μετ' ἀντιφάσεως τοῦ συμπεράσματος; *Top.* lib. IX, c. 1, t. II, p. 241, ed. Waitz. « Redarguit, ait Waitzius (in h. « l. p. 529), qui colligit quod repugnat ei, quod ab adversario coa- « ctum est ».

[2]) Vid. Balfour, *Comm. in lib. I Reprehens. Sophist.* c. I, p. 240 ed. cit.

[3]) Apposite s. Thomas: « . . . unde ad locum sophisticum duo « concurrunt, unum, quod est causa apparentiae, quod facit argu- « mentum apparere bonum, et dicitur etiam principium motivum, « quia movet hominem ad hoc, ut argumento sophistico assentiat. . . « Aliud est principium defectus, quia facit defectum necessitatis in ar- « gumento, et vocatur etiam causa non existentiae »; *Op. cit.*, c. 2.

apparet, falsum sit, sed ex eo, quod in causa est, cur id quod falsum est, veluti verum appareat, sive non ex diversitate causarum *non existentiae*, sed ex diversitate causarum *apparentiae*; si quidem sophisma non eo spectat, ut id, quod speciem veri habet, falsum esse ostendat, sed ut id, quod falsum est, sub specie veri exhibeat [1].

Tertio, sciendum est ea, quae Sophistae ad victoriam in disputatione assequendam efficere studebant, iudice Aristotele [2], commode posse ad quinque revocari, quae Scholastici fines, vel terminos, vel *metas* Sophistarum appellarunt [3]. Horum finium, seu terminorum tres tantum exponemus, quos cognoscere philosophi interest. Primus in eo positus est, quod adversarius, si propositionem suam tueri velit, ea, quae sibi repugnant, simul pro veris admittere cogitur. Iam, quoniam adversarius, si ea, quae sibi repugnant, simul admittere nolit, debet id concedere, quod negaverat, aut id negare, quod concesserat, hic modus redarguendi communi nomen redargutionis sibi vindicavit, et redargutio, ἔλεγχός, simpliciter dictus est. « Redargutio, « s. Thomas scribit, est praenegati concessio, vel prae- « concessi negatio in eadem disputatione vi argumen- « tationis factae, ut si respondens negaverit se carnes « crudas comedisse, sophistice (*sic*) contra arguat sic: « Quidquid emisti, comedisti; carnes crudas emisti: « ergo carnes crudas comedisti [4] ». Secundus existit,

[1]) « . . . penes causam apparentiae, Albertus M. inquit, diversae « distinguuntur fallaciae, et non penes causam non existendi: quia « eaedem causae non existendi possunt esse in diversis fallaciis, ut « dicit Aristot., et non potest esse una causa apparentiae in diver- « sis fallaciis »; *Op. cit.*, lib. cit., tract. III, c. 6.

[2]) *Op. cit.*, c. 3, t. II, p. 242, et 243, ed. Waitz.

[3]) « . . terminus disputationis sophisticae, s. Thomas inquit, est « aliquod inconveniens, ad quod Sophista ducere nititur respondentem, et hoc dicitur meta, id est finis, vel terminus »; *De fallac.*, c. 2; cf Albert. M., *Op. cit.*, tract. I, c. 5.

[4]) *De fallaciis*, c. 1.

cum id, quod manifeste falsum est, contra adversarium colligitur; unde ψεῦδος, *falsum*, nuncupatum fuit. De hoc idem Aquinas inquit: « Falsum, secundum quod « hic sumitur, est aliquod manifeste falsum, vel con- « cessio alicuius manifeste falsi, quod respondens con- « cedere cogitur vi sophisticae argumentationis, sicut « hic : Omnis canis est latrabilis ; coeleste signum est « canis ; ergo coeleste signum est latrabile [1] ». Tertius obtinet, cum respondens aliquid, quod opinioni vulgo recepta repugnat, concedere cogitur, sive illud sit verum, sive sit falsum. Παραδοξον, *paradoxum*, ab Aristotele vocatum fuit, quia aliquid, quod est παρὰ τῆς δόξης, *praeter opinionem*, complectitur [2].

Tribus hisce praestitutis, advertimus diversa genera sophismatum haud difficulter posse cognosci, si fontes, seu *loci*, ex quibus ipsa peti queunt, prae oculis habeantur. Iam horum fontium, seu locorum supremi, atque maxime omnium universales duo sunt, scilicet naturae rerum, et voces, quibus ipse significantur. Etenim, cum error

[illegible]

[1]) *Ibid.*

[2]) Quoniam pronuntiata, quae communi opinioni adversantur, *admirationem* excitant, paradoxa a Cicerone *mirabilia* (*Acad.*, lib. II, c. 44, ed. Ernesti), aut *admirabilia* (*Paradax.*, c. 1) dicta sunt. Paradoxa, quippe quae communi opinioni repugnant, semper falsa apparent; at nihil vetat, quominus interdum sint vera; sunt enim quaedam, circa quae vulgus hominum, immo ipsi sapientes falli possunt. E duobus finibus, quos omisimus, quartus est σολοικισμός, *soloecismus*, quo respondens σολοικίζειν, *perperam loqui*, cogitur. « Soloecismus, aiente Sinnio Capitone, est impar: et inconveniens « compositura partium orationis » (apud Gell., *N. A.*, lib. V, c. 20, ed. cit.; cf s. August., *De Doctr. Christ.*, lib. II, c. 13, n. 19, Laert., qui etymon huius vocis explicuit lib. I, segm. 15, et Suidam, v. Σόλοι). Quintus vero est, qui disserentem ἀδολεσχεῖν, *nugari*, cogit; unde hoc sophisma ab Aristotele ποιῆσαι ἀδολεσχῆσαι τὸν προσδιαλεγόμενον, *efficere, ut disserens nugetur*, atque uno verbo *nugatio* a Scholasticis dictum fuit. Quid autem *nugari*, et *nugatio* sibi velint, ex eodem Stagirita s. Thomas explicuit his paucis: « Nugatio est eiusdem rei « ex eadem parte inutilis repetitio »; *De fall.*, c. 2. Cf Albert. M., *Op. cit.*, lib. I, tract. 1, c. 1.

in intellectum proprie cadat, et conceptiones intellectus ad res, quas repraesentant, et ad nomina, quae ipsas significant, referantur, Sophista et a rebus, et a sermone, quo res significantur, occasionem alios fallendi capessere facile potest. Re sane vera, quod ad res attinet, notum est harum sive viventium, sive expertium vitae alias esse vere id, quod esse prae se ferunt, alias autem non esse id, quod esse videntur. Ita hominum alii corporis habitu praestant, alii, cum careant bono corporis habitu, hunc se habere arte ementiuntur; necnon alii egregia sunt forma, alii vero, cum deformes sint arte, et fuco formam simulant. Item eorum, quae inanimata sunt, alia vere argentea sunt, alia, e. g. stamnea, solum esse putantur, et alia vere sunt aurea, alia autem ob similem speciem, ut quae flava sunt, aut felle tincta, aurea esse creduntur [1]. Hinc Sophista adversarium fallere potest, si ipsum ad aliquid non pro eo, quod est, sed pro eo, quod esse videtur, admittendum inducat. Quod ad sermonem attinet, quo naturae rerum significantur, inde sophismata quoque peti possunt. Nam, cum rerum innumerabilis sit copia, verborum vero summa paucitas, et inopia, plerumque uno verbo multas res significare cogimur [2]. Ex quo efficitur, ut si ambiguarum vocum potestatem ignoremus, fallamur subinde in disputando, et circumveniamur. Nam, quemadmodum, eodem Stagirita monente, in subducendis calculis,

[1]) Arist., *Op. cit.*, c. 1, t. II, p. 240, et 241, ed. Waitz. Cf Albert. M., *Op. cit.*, lib. cit., tract. 1, c. 2, et s. Thom., I, q. XVII, a. 1 c.

[2]) « Ingens, Seneca ait, copia est rerum sine nomine, quas non « propriis appellationibus notamus, sed alienis, commodatisque » (*De benef.*, lib. II, c. 34). Inde aequivocorum verborum usus, ut s. Thomas advertit, invaluit: « Manifestum est quod unitas vocis signi« ficativae non dependet ex unitate rei significatae; alioquin non es« set aliquod nomen aequivocum; secundum hoc enim, si sint diver« sae res, essent diversa nomina, et non idem nomen » (*Quodlib.* IV, a. 17 c.).

ii, qui nesciunt, quid suo quique loco valeant calculi, facile decipiuntur ; ita ii, qui in disputando potestatem verborum ignorant, facile decipiuntur, quia vocem, quae in disputatione pluries diverso sensu adhibetur, accipere possunt, quasi veluti unum semper significet [1]. Apposite s. Thomas: « . . . loci sophistici, sive fallaciae distinguuntur « poenes principia motiva, ex quibus apparet firmitas « in sophisticis argumentis. Hoc autem contingit dupliciter. Vno quidem modo, ex parte vocis, quis propter « unitatem vocis creditur unitas rei per vocem significatae. Alio modo, ex parte rei, ex eo scilicet, quod « aliquae res, quae aliquo modo conveniunt, simpliciter « unum esse videntur [2] ».

Secundum hanc doctrinam supremi fontes, seu *loci* sophismatum cum eodem Stagirita revocandi sunt ad duo suprema genera, scilicet unum illorum, quae ex verbis, alterum autem illorum, quae ex rebus eruuntur, ob idque sophismata universe dividenda in ea, quae *circa dictionem*, παρὰ τὴν λέξιν, et in ea, quae sunt *extra dictionem*, ἔξω τῆς λέξεως versantur [3]. « Vitia, Waitzius ait, quae in « redarguendo admittuntur, aut in dictione sunt, cum verbis ita abutimur, ut eadem non eodem semper sensu « accipiamus, sed aliam sententiam ex iis exprimamus, « quam quae ab adversario iis subiiciatur, aut non in « dictione, cum sententiam quidem verborum talem ac« cipimus, qualem adversarius ipse intelligi vult, argu« mentandi vero artificio quodam adhibito, quod adver« sarium lateat, per falsam ratiocinationem cum refelli« mus. Alterum vitium positum est in prava verborum « interpretatione, alterum in falsa argumentatione [4] ».

Nisi quod, cum secundum Aristotelem statuimus sophismatum alia esse *in dictione*, alia *extra dictionem*, haud nobis volumus posse ulla sophismata sine dictio-

---

[1]) Arist., *Op. cit.*, ibid., et Alb. M., *Op. cit.*, ibid.
[2]) *De fallac.*, c. 2. — [3]) *Op. cit.*, c. 4, p. 243, ed. Waitz.
[4]) In h. l. Arist., t. II, p. 532.

ne existere, quia haud possibile est disputationem, quaecumque sit sive probabilis, sive sophistica, conficere, nisi sermo adhibeatur [1], sed esse sophismata, in quibus voces, et sophismata, in quibus res sunt causa deceptionis [2]. Enimvero discrimen inter duo ista genera sophismatum in eo positum est, quod in primo deceptio invenitur in dictione, prout haec ad rem refertur, quam significat, in secundo autem invenitur in re, prout res refertur ad dictionem, quae ipsam significat. Ita, in hoc sophismate: *canis latrat; quoddam sidus est canis; ergo quoddam sidus latrat*, deceptio a voce *canis* derivatur. Nam, cum vox *canis* duas res diversas denotet, nempe quamdam speciem brutorum, et quoddam sidus, in isto sophismate adhibetur quasi unam rem significet; unde quartus terminus in syllogismum irrepit. E contrario, in hoc sophismate: *homo currit; Socrates est homo; ergo Socrates currit*, deceptio non derivatur a voce *currit*, sed a re, quam ipsa significat. Etenim verbum *currit* tam in propositione, quam in conclusione unum, nempe *actum currendi* significat; sed hic actus, qui secundum accidens homini convenit, in propositione sumitur quasi ad essentiam hominis spectet; quocirca ex eo, quod Socrates est homo, eum currere colligitur [3].

Iamvero, unicuique horum generum sophismatis plura alia subiiciuntur, quae singillatim recensenda nobis sunt. Sophismata, quae *circa dictionem* versantur, sex esse secundum Aristotelem arbitramur, quae sunt ὁμωνυμία,

[1]) « Nec disputatio, s. Augustinus ait, potest esse sine dictione, « quando utique verbis, et lingua ipsa constrictio sermonis exprimi- « tur »; *Cont. Cresc.*, lib. I, c. 16, n. 20.

[2]) « Quamvis, Albertus scribit, in omni sermone, quo disputamus « cum alio, fiat omnis fallacia, secundum quod sermo instrumentum « est, quo utimur disputando: tamen sermo non semper est causa « fallaciae. In fallaciis enim extra dictionem causa et motivum ad « decipiendum, non est sermo, sed res, quamvis sermone ut instru- « mento utamur ad exprimendum rem illam »; *Op. cit.*, tract. V, c. 1.

[3]) Cf Albert. M., *Op. cit.*, lib. I, tract. III, c. 6.

homonymia, ἀμφιβολία ; *amphibolia* , σύνθεσις, *compositio* , διαίρεσις, *divisio*, προσῳδία, *accentus*, σχῆμα λέξεως, *figura dictionis* [1]. Vt ratio huius senarii numeri perspiciatur, sciendum est 1° unam, eamdemque vocem posse plura significare aut *re*, aut *specie* tantum, sive, ut Scholae aiunt, *realiter*, aut *apparenter*; 2° si una vox plura realiter significet , illam posse plura significare vel non variatam, vel aliquo modo variatam ; 3° vocem, quae plura significat , esse aut non complexam , sive incomplexam, aut complexam.

Iam , si vox plura realiter significet , diversa inde possunt erui sophismata , prout illa vox vel omnino eadem est, vel aliquo modo variatur , et, prout vel est incomplexa, vel est complexa. Re sane vera, si vox incomplexa , et nullo modo variata plures res realiter significet, erui ab eo potest illud sophisma, quod a graecis ὁμωνυμία [2], *homonymia*, et a Scholasticis, post Boëtium [3], *aequivocatio* appellatum fuit. Itaque sophisma homonymiae existit, cum una , eademque vox incomplexa, quae non variata plures res significat, secundum unam, eamdemque significationem in argumentatione adhibetur. Breviter s. Thomas: « Fallacia . . . aequivocationis est deceptio pro« veniens ex eo quod unum nomen plura significat [4] ». Hoc sophisma, monentibus post Aristotelem [5] Alberto M. [6], et s. Thoma [7], tres diversos modos , seu species habere potest, quippe quod vox incomplexa, et omnino eadem plures res tribus diversis modis significare potest. Et sane , ipsa plures res significare potest vel per se sumta, vel coniuncta cum dictione in oratione , et rursus per se sumta plures res significare potest vel *aequaliter*, vel unam *principaliter*, et aliam *secundario*. Primus igitur modus sophismatis, quod nomine *aequivoca-*

[1]) *Op. cit.*, ibid.
[2]) Vid. huius vocis explicationem in vol. I, p. 666.
[3]) *Elench. Sophyst. Arist.*, lib. I, c. 3, *Opp.* ed. cit., p. 734.
[4]) *De fallac.*, c. 3. — [5]) *Op. cit.*, c. 4, ed. Waitz.
[6]) *Op. cit.*, lib. I, tract. II, c. 1. — [7]) *De fallac.*, c. 3.

tionis designatur, e voce incomplexa desumitur, quae per se sumta plures res aequaliter, seu principaliter, significat [1]. Ad hunc modum declarandum Aristoteles e Platonis *Euthydemo* exemplum verbi μανθάνειν, *discere*, mutuatus est. Nam, quoniam istud verbum significat et scientiam alicuius rei ignotae accipere, et scientia iam adquisita uti ad aliquid intelligendum, ab eo extrui potest sophisma, quo concluditur aliquem adquirere scientiam, qua iam pollet. Re vera, Sophistae graeci, uti a Platone traditum est, argumentabantur hunc in modum : *Qui scientiam habet*, μανθάνει, discit ; *atqui is qui* discit, *scientiam adquirit; ergo qui habet scientiam, scientiam adquirit.* Exemplum e lingua latina nomen *canis* Scholasticis suppeditavit. Nam, cum quoddam sidus canis vocetur, et canis proprium sit latrare, ex ambigua voce *canis* hoc sophisma efformari potest : *quoddam sidus est canis: atqui canis latrat; ergo quoddam sidus latrat.* Hoc genere cavillationis sophisticae haereticos dogmata Fidei saepe impugnasse ss. Patres testes sunt locupletes. E. g., ex s. Augustino accepimus[2], Arianos, cum divinitatem I. Christi impugnare vellent, ex verbis eiusdem I. Christi Patrem pro iis, qui in Eum crediturі erant, deprecantis *ut sint unum, sicut et nos* [3], hoc sophisma aequivocationis confecisse: *Pater, et I. Christus unum sunt eodem sensu, quo Christus, et nos unum sumus; atqui I. Christus, et nos non sumus unum unitate naturae; ergo ne Pater quidem, et I. Christus sunt unum unitate naturae, hoc est, eiusdem naturae.* Quo in sophismate unum, quod aliud significat, cum Patri, et Iesu C., aliud vero, cum Iesu C., et crediturіs in Eum tribuitur, significatione prorsus eadem in utroque commate accipitur. Simile genus sophismatis admittebant ad Trinitatem Personarum Divinarum tollendam Antitrinitarii, cum

---

[1]) « Prima species est, s. Thomas ait, quando una dictio plura « principaliter significat »; *Ibid.*

[2]) *Cont. Maximin.*, lib. I, c. 12. — [3]) Ioann. XVII, 11.

cum, qui Filius Dei in sacris Litteris vocatur, non esse aeternum probabant hoc syllogismo : *Quod generatur, incipit esse; atqui is, qui in sacris Litteris Filius Dei vocatur, generari in eisdem Litteris dicitur; ergo Filius Dei incipit esse.* Certe nemo non videt vocem generationis eodem modo in propositione, et assumptione accipi, cum ipsa aliud in illa, aliud vero in ista significet.

Secundus modus homonymiae, Alberto M. aiente [1], est, cum vox incomplexa per se sumta, et nullo modo variata plures res non aequaliter, sed unam principaliter, et alteram secundario significat. Aristoteles exemplum sumpsit e verbo τὸ δέον, quod modo id, quod est *necessarium*, ἀναγκαῖον , modo id , quod decet, sive id, quod est *bonum*, ἀγαθόν, significat. Vnde illud occasionem praebere potest huic sophismati: Τὰ δέοντα, hoc est *ea, quae decent, sunt bona ; atqui mala sunt* δέοντα *; malum enim est* τι ἀναγκαῖον, *quidpiam necessarium; ergo mala sunt bona.* In praemissis huius syllogismi, uti patet, τὸ δέον significat primo aliquid, quod habet rationem *boni*, dein aliquid , quod habet rationem *necessarii* [2]. Hic modus aequivocationis in syllogismum irrepere solet ex eo potissimum , quod eadem vox in una praemissarum *proprie*, in altera *translate* accipitur. Vnde s. Thomas eum ita definivit: « Secunda species est, quando unum nomen principaliter unum significat , et aliud metaphorice, sive transumptive [3] ». Missis multis exemplis , quae non modo apud Oratores, sed etiam, ut in huius operis progressu videbimus, apud ipsos Philosophos occurrunt , cum s. Augustino [4] observamus in huiusmodi aequivocationem Maximinum Arianum incidisse, cum ex illo loco Apostoli: *Qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit* [5], I. Christum peccata fecisse collegit. Nam-

[1]) *Op. cit.*, ibid. — [2]) *Op. cit.*, ibid.
[3]) *Opusc. cit.*, c. 3. — [4]) *Cont. Maximin.*, lib. II, c. 2.
[5]) II *ad Cor.*, V, 21.

que ipse vocem *peccati* eodem modo in secundo, ac in primo commate intellexit, dum Apostolus in primo commate peccatum proprie, nempe pro *culpa*, in altero autem minus proprie, nempe pro *victima piaculari* accepit.

Denique tertius modus aequivocationis, uti idem Albertus M. advertit, locum habet, cum vox incomplexa, et non variata unum significat, si per se sumatur, plura vero, si cum alia in oratione coniungatur [1]. Hoc genere aequivocationis Aristoteles observavit posse sophistam probare eumdem hominem simul *sedere*, et *stare*, aut simul *aegrotare*, et *valere*. Re vera, inde construi queunt, eodem Doctore monente [2], haec duo sophismata: *Qui surgebat, stat; atqui surgebat sedens: ergo stat sedens*, nec non: *Qui valebat, aegrotat; atqui valebat aegrotans; ergo valet aegrotans.*

Quod si vox, quae plures res realiter significat, est *complexa*, aliud genus sophismatis, quod ἀμφιβολίαν [3], *amphiboliam*, vocavimus, effici potest. Sophisma igitur amphiboliae efficitur, cum plures dictiones, quae per se sumtae unum significant, coniunctae multiplicem pariunt significationem. Amphiboliae plura exempla Aristoteles attulit, ex quibus Scholastici occasionem plures modos eius enumerandi sumpserunt. At, quandoquidem hi modi ab ultimo modo aequivocationis non multum differunt, et parum momenti habent, ab ipsis explicandis abstinebimus, atque unum, et alterum exemplum ad amphiboliam explicandam dumtaxat afferemus. Primum est *Velle me capere hostes* [4]. Haec oratio, uti ex se patet, mul-

---

[1]) *Op. cit.*, ibid. S. Thomas hunc ultimum modum definivit his verbis: « Tertia species est, quando provenit ex diversa consignifica« tione, quae quidem attenditur circa accidentia partium orationis, « sicut secundum tempus, numerum, genus, personam, et similia »; *Op. cit.*, ibid. — [2]) *Op. cit.*, ibid.

[3]) A verbo ἀμφιβαλλω, *circumiicio*, sive in *utramque partem iacio*.

[4]) *Op. cit.*, c. cit., § 4, ed. Didot. Hoc genere constructionis Apollo, ut fertur, Pyrrhum delusit sciscitantem, num bellum Romanis inferre deberet; sic enim ei respondit: *Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse*. Cicero (*De Divinat.* c. 56) istud oraculum irridet.

tiplicem sensum habet, quia, cum accusativus *me* vel ante, vel post infinitum *capere* construi queat, ipsa alterutrum significare potest, scilicet aut *Velle me capi ab hostibus* aut *Velle hostes a me capi*. Quocirca ipsa occasionem praebere potest sophismati, quod Albertus M. ad hanc revocavit formam : « Quoscumque vellem me « accipere, vellem quod me acciperent; pugnantes vel- « lem me accipere; ergo vellem quod pugnantes me ac- « ciperent, quod falsum est [1] ». En quomodo ex illa propositione : *quoscumque velle me accipere*, quae in utramque partem accipi potest, adversarius ad falsum admittendum perducitur. Alterum ab Aristotele profertur his verbis: « Et num, quod quis videt, hoc videt? vi- « det autem columnam : videt ne igitur columna? [2] » Quod quidem ad hanc clariorem formam revocatur: *Quod aliquis videt, hoc videt; atqui id, quod aliquid videt, est columna; ergo columna videt*. Absurda conclusio ex eo enascitur, quod pronomen *hoc*, cum sit vel nominativus, vel accusativus, in propositione illius syllogismi accipitur veluti nominativus verbi *videt*, cum re vera sit accusativus [3].

Illud monere e re est orationes ambiguas illi similes, quam ex Aristotele primo loco adduximus, interdum apud scriptores non solum profanos, sed etiam sacros inveniri; sed, cum hi animum fallendi non habeant, ex iis, quae praecedunt, aut consequuntur, ambiguitatem numquam non tolli; eapropter principia sophismatum esse nequeunt. Id de sacris Litteris s. Augustinus diligenter monuit, atque exemplis illustravit [4]. Omissis exemplis, e re est afferre hanc, quam tradidit, regulam: « Quod si ambae, vel etiam omnes, « si plures fuerint partes, ambiguitatem secundum fi- « dem sonuerint, textus ipse sermonis a praecedentibus, « et consequentibus partibus, quae ambiguitatem illam « in medio posuerunt, restat consulendus, ut videamus,

[1]) *Op. cit.*, ibid. c. 3. Cf Scot., *Op. cit.*, q. XX, n. 4.
[2]) *Ibid.*, § 4, ed. Didot. — [3]) Cons. s. Thom., *Opusc. cit.*, c. 4.
[4]) *De Doctr. Christ.*, lib. III, c. 2-4, n. 2-8.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« cuinam sententiae, de pluribus quae se ostendunt, ferat « suffragium, eamque sibi contexi patiatur [1]». Atque aliis interiectis: « Rarissime igitur, et difficillime inveni« ri potest ambiguitas in propriis verbis, quantum ad « libros divinarum Scripturarum spectat, quam non aut « circumstantia ipsa sermonis, qua cognoscitur scripto« rum intentio, aut interpretum collatio, aut praece« dentis linguae solvat inspectio [2]».

Ex voce autem incomplexa, aut complexa, quae aliquo modo variata plures res significat, tria sophismata oriuntur; unum, si vox est incomplexa, et duo, si est complexa. Primum est illud, quod *ab accentu*, προσῳδία, nomen accepit. Nam, si qua vox, pro eo ut diversum accentum habet, diversa significat, sophisticus syllogismus ab accentu fit, quoties ipsa diversis accentibus affecta in illo adhibetur. Hoc genus sophismatum praesertim apud Graecos obtinuit; horum enim lingua longe frequentius, quam ceterae antiquae, et recentes, accentibus utitur. Ne diutius, quam res expostulat, hisce in rebus immoremur, exempla, quae ex Homero Aristoteles protulit [3], omittimus, atque horum loco unicum exemplum ab historia haeresium desumimus. Nestorius enim, etsi Virginem esse Dei genitricem negaret, tamen in *Epist. ad s. Coelest.*[4], ipsam esse θεότοκον lubenter professus est. At Virginem θεότοκον esse intelligebat, si haec vox cum accentu in antepenultima, non ve-

[1]) *Ibid.*, n. 2.

[2]) *Ibid.*, c. 4, n. 8. Per linguam praecedentem sanctus Doctor intelligit linguam, in qua Libri sacri scripti sunt. Evenit enim aliquando, ut quod est ambiguum in versione latina alicuius loci, sine ulla ambiguitate legatur in lingua, in qua liber scriptus fuit. Huiusmodi est illud, quod in I *Epist. ad Thessalon.* (III, 7) legitur: *propterea consolati sumus, Fratres, in vobis*, « Dubium est enim, sanctus Do« ctor subdit, utrum, O fratres; an Hos fratres: neutrum autem ho« rum est contra fidem; sed graeca lingua hos casus pares non habet, « et ideo, illa inspecta, renuntiatur vocativus, id est, O fratres»; *ibid.*

[3]) *Op. cit.*, ibid. Cf Waitz, t. II, p. 533, et 534.

[4]) Apud Labb. t. III, p. 331.

ro, si cum accentu in penultima, nempe τεοτόκος pronuntiaretur. Nam θεοτοκος, si cum accentu in penultima pronuntiatur, significat genitricem Dei, sin in antepenultima, natum ex Deo; Nestorius autem non negabat Mariam coniunctam Deo Verbo humanitatem Iesu C. genuisse. Hinc Nestorius se cum Catholicis sentire simulabat sophismati innixus, quod concinnari potest hoc modo: *Qui a fide catholica deficere non vult, Mariam esse* τεὸτοκον *fateri debet; atqui* θεὸτοκος *idem valet, ac quae ex Deo genuit; ergo qui tenet Mariam ex Deo genuisse, a Fide catholica non abhorret.* Ambiguitas in eo latet, quod θεοτοκος, cum a catholicis cum accentu in penultima, scilicet θεοτόκος pronunciaretur, a Nestorio cum accentu in antepenultima, nempe θεόθοκος pronuntiabatur.

Illud quoque scitu necessarium est huic eidem generi sophismata accensenda esse, quae ab ambiguitate generis, et quantitatis sumi possunt. Ita, quoniam vox πὸσις, si masculino genere adhibeatur, *maritum*, sin foeminino, *potationem* significat, olim mulier quaedam bibacula ex ambiguitate huius vocis occasionem fallendi iudicem arripuit. Namque in iudicium vocata, quod maritum negligeret, remque domesticam desereret, se nihil magis, quam πόσιν, amare coram iudice iuravit; at τὴν πόσιν, potationem, non vero τὸν πὸσιν, maritum intelligebat. Eius responsio reducitur ad hoc sophisma: *Vxor, quae quidquam magis, quam* πόσιν, *amat, rea est; atqui ego nihil magis, quam* πόσιν, *amo; rea igitur non sum.* Ipsa πόσιν, uti ex dictis patet, aliter in propositione, aliter in assumptione accipiebat [1]. A mutata autem quantitate quempiam latina lingua fallere potes, si verbi *edere* primam syllabam modo corripias, modo producas hoc modo: *Quod edis, in ventrem demittis; atqui libros multos edis; ergo libros multos in ventrem demittis.* Quo in sophismate ambiguitas ex eo enascitur,

[1]) Vid. Balfour, *Op. cit.*, Comment. ad *Elench. Soph.* lib. I, c. 3, p. 248.

quod verbum *edere*, prima correpta, idem est, ac *comedere*, prima autem producta, idem est, ac *divulgare*, sive *in lucem emittere* [1].

Ex voce autem complexa aliquo modo variata erui possunt duo genera sophismatum, nempe *compositionis*, et *divisionis*. Primum est, quo coniuncta intelliguntur ea, quae nonnisi separata sunt vera, atque alterum e contrario est, quo ea, quae nonnisi coniuncta sunt vera, separata intelliguntur. Recentiores Scholastici aiunt utrumque genus sophismatum confici, cum *in sensu composito* accipitur id, quod *in sensu diviso* verum est, aut *in sensu diviso* accipitur id, quod verum est dumtaxat in *sensu composito*. Minutissima, quae de his ab Alberto M. [2], s. Thoma [3], aliisque tradita sunt, exponere nec vacat, nec multum in hac nostra aetate iuvat: quapropter pauca exempla tantum adducemus. Primi generis sophismata, observante Aristotele, construi possunt ex his enunciationibus: *posse sedentem ambulare, et scribere non scribentem* [4], si non in sensu diviso, sed in composito intelligantur. Namque ipsae in sensu composito acceptae hisce sophisticis argumentationibus locum praebent: *Quemcumque possibile est ambulare, vel scribere, evenire potest, ut ambulet, vel scribat. Sed possibile est eum, qui sedet, ambulare, et eum, qui non scribit, scribere. Ergo evenire potest, ut sedens ambulet, et non scribens scribat.* Deceptio est in assumptione, quia non est possibile sedentem, interea dum sedet, ambulare, et non scribentem, interea dum non scribit, scribere [5]. Simili sophismate increduli Iesum Christum

[1]) Diversos modos huius generis sophismatum videre licet apud Albert. M., *Op. cit.*, lib. I, tract. II, c. 10; s. Thom., *Opusc. cit.*, c. 6, et Scot., *Op. cit.*, q. XXXIV, n. 5.

[2]) *Opp. cit.*, lib. I, tract. II, c. 6, et 7.

[3]) *Opusc. cit.*, c. 5. — [4]) *Op. cit.* ibid.

[5]) Fere simile exemplum attulit s. Bonaventura his verbis: « Est « fallacia compositionis . . . , sicut hic currens potest non moveri; « ergo possibile est, quod aliquis currat, et non moveatur »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVIII, a. 11, q. 1 *ad arg.*

contradictionis redarguere ausi sunt, quod discipulos suos renunciare Ioanni iussit: *coeci vident, claudi ambulant, surdi audiunt* [1]. Argumentatio, qua ipsi oppositum verbis Iesu C. concludunt, huiusmodi est: *Ea, quorum unum altero tollitur, simul stare repugnat. Atqui coecum esse, et videre, claudum esse, et ambulare, surdum esse, et audire, aliaque id genus eiusmodi sunt, ut unum altero tollatur. Ergo repugnat coecos videre, claudos ambulare, et surdos audire.* Ex quo vides incredulos, ut Iesum C. redarguerent, accepisse veluti coniuncta ea, quae Iesus C. seiuncta intelligi voluit. Coecus enim, interea dum coecus est, videre, claudus, quamdiu claudus est, ambulare, et surdus, quamdiu surdus est, audire non potest; verum qui coecus erat, videre, et qui claudus erat, ambulare, et qui surdus erat, audire potest. Iam id se praestitisse Iesus C. professus est, ut qui ante coeci erant, viderent, et qui claudi, ambularent, et qui denique surdi, audirent.

Ad posterius genus sophismatum, quod priori ex adverso respondet, Aristoteles censuit, praeter alia, pertinere haec duo: *Quinque esse duo et tria, paria, et imparia*, atque illud, quod e Menandro fortasse sumpsit [2]: *Ego te servum feci liberum.* Re vera, si duo, et tria, quae coniuncta, sive, ut aiunt, *in sensu composito* quinque efficiunt, seiuncta, sive *in sensu diviso* acceperis, inde poteris eruere hoc sophisma: *Duo, et tria sunt paria, et imparia; atqui quinque sunt duo, et tria. Ergo quinque sunt paria, et imparia.* Deceptio ex eo oritur, quod duo, et tria ab se divisa sumuntur; hoc enim modo re ipsa unum est par, alterum vero impar; at, quoniam quinque sunt duo, et tria coniuncta, liquet quinque esse tantum imparia, non paria et imparia. Vt vero secundi exempli ambiguitas patescat, advertendum est cum Alberto M. in

[1]) Luc. VII, 22.

[2]) Certe, apud Terentium, qui suas comoedias ex Menandro compilasse dixit, legitur: *feci e servo ut esses libertus mihi; Andr.*, Act. I, Sc. 1, v. 10.

textu graeco legi ὄντα, sive, ut B. Doctor vertit, *entem*, nempe *qui eras* [1]. Ex hoc enim patet, si ὄντα coniungatur cum nomine *servum*, inde existere hanc orationem: *Ego te, qui eras servus, liberum feci*; sin cum nomine *liberum*, hanc orationem, quae illi opponitur: *Ego te, qui liber eras, servum feci*. Certe, herus apud Menandrum sibi primum volebat; ast aliquis sophista poterat eum redarguere, orationem eius altero modo construendo, quia inde aliud, ac ipse volebat, conclusisset. Quocirca scite laudatus Albertus animadvertit fallaciam divisionis committi, non solum quoties unum in oratione seiungitur ab alio, ad quod re ipsa pertinet, et cum nullo alio coniungitur, sed etiam quoties aliquid seiungitur ab alio, ad quod pertinet, et cum alio, ad quod re vera non pertinet, coniungitur [2].

Hactenus quinque genera sophismatum enumeravimus, quae ex dictionibus multa reapse significantibus extrui possunt. Restat, ut sextum, et ultimum genus, quod ex dictionibus specie, non re multa significantibus confici queunt, explicemus. Huiusmodi genus sophismatum existit, cum plures dictiones, quae diversa significant, propter similitudinem desinentiae sumuntur, quasi unum, idemque significent [3]. Hoc sophisma admittitur, quoties nomina diversorum generum, eo quod eodem modo desinunt, eiusdem generis esse putantur, aut plura nomina, aut verba, quae ad diversas categorias pertinent, puta una ad quantitatem, alia ad qualitatem, aut una ad actionem, alia ad passionem, ob similitudinem desinentiae, eidem categoriae accensentur [4]. Cum autem

[1]) ἐγὼ σ' ἔθηκα δοῦλον ὄντ' ἐλεύθερον ; *Op. cit.*, c. cit. § 7 ed. Didot. Hoc exemplum consilio adduximus, quia id, quod in h. l. Stagiritae Albertus observavit (*Op. cit.*, ibid., c. 7), recentes interpretes, quantum scimus, effugit.

[2]) *Op. cit.*, ibid.

[3]) Hinc Scotus inquit: « In figura dictionis non est unitas vocis secundum substantiam, sed solum vocis secundum similitudinem »; *Op. cit.*, q. XXXVI, n. 5.

[4]) Cf Arist., *Op. cit.*, c. cit., § 9.

desinentia vocem terminet, idcirco genus sophismatum, quae a similitudine desinentiae sumuntur, *figura dictionis* translate dictum est, quia figura corporis id dicitur, quod quantitatem terminat [1]. Dictionis, non vero orationis figura appellatum est, quippe quod, ut ex dicendis patebit, in ipso deceptio *per se* in dictione latet, et si quando in orationem irrepit, id fit *ex consequenti*, seu *per accidens*, scilicet ex eo quod invenitur in dictione, quae est pars eius. Audire e re est Albertum M.: « Et « ad hoc sciendum, quod fallacia figurae dictionis secun« dum veriorem opinionem consistit in simili terminatio« ne dictionis primo, et in simili terminatione orationis « consequenter: propter quam quidem similem termina« tionem putatur esse simile significatum in similiter ter« minatis explicite, vel implicite: fallacia autem fit, et « defectus ex diversitate significationis in similiter termi« natis, vel probatis [2] ».

Fastidiosum, et fortasse parum accommodatum instituto nostro foret omnes modos enumerare, quos sophismata e *figura dictionis* sumta habere possunt [3]. Quocirca illud dumtaxat advertimus duos esse praecipuos modos, quibus reliqui continentur. Nam voces, ex quibus sophismata *figurae dictionis* efficiuntur, quandoque manifestam similitudinem desinentiae habent, quandoque hanc non habent, sed a Sophista sumuntur, quasi ipsam habeant, quia sumuntur vel quasi ad idem genus spectent, vel quasi, id quod una vox denotat, sub altera contineatur. Exempla primi modi sunt, si dicatur poetam esse generis foeminini, quia similiter, ac musa, quae generis foeminini est, desinit, aut ex eo, quod operari similiter, ac amari desinit, illud, perinde ac istud, passionem signifi-

---

[1]) « . . . metaphorice, Albertus ait, dicitur figura dictionis a figu« ra, quae est terminatio quanti »; *Op. cit.* lib. cit., tract. III, c. 3.

[2]) *Ibid.*; cf tract. II, c. 11.

[3]) Cons., si lubet, et vacat, Albertum M., *ibid.*; s. Thom., *Opusc. cit.*, c. 7, et Scot., *Op. cit.*, q. XXXVII, n. 5.

care deducatur. Quae ad formam revocata efficiunt, observante eodem Alberto M. [1], haec duo sophismata: « *musa est foeminini generis: ergo et poeta*; 2° *amari est pati: ergo et operari* ». Ad secundum modum declarandum idem Albertus alia duo exempla protulit. Quorum primum est: « *quemcumque diligis, ille est amicus tuus: puellam diligis: ergo puella est amicus tuus* »; alterum vero: « *quidquid vidisti heri, hodie vides: heri vidisti album; ergo hodie vides album* ». In priori argumentatione puella, quoniam sunt plura nomina masculina eiusdem declinationis, quae in *a* desinunt, sumitur et ipsa masculini generis, ob idque ad *quemcumque* refertur, atque inde ipsam esse amicum deducitur [2]. In posteriori autem, quia *quidquid* est nomen commune, quod omnia nomina neutra complectitur, ideo album ab ipso infertur, quasi ipso contineri certum sit [3]. Minuta haec sunt, quae ex Alberto M. sumpsimus: attamen certe digna, quae a sapientiae studioso cognoscantur, « non « quia, Quintilianus ait, possint facere sapientem, sed « quia illum ne in minimis quidem oporteat falli [4] ».

---

[1]) *Op. cit.*, ibid.

[2]) De hocce exemplo Scotus in tota quaest. XXXVIII laudati operis egit.

[3]) « Multa enim neutrorum, ait B. Doctor, habentia eamdem terminationem continentur sub hoc signo, quicquid, ut scamnum, « pomum, vinum, acetum, et huiusmodi, propter quorum configu« rationem potest credi etiam album contineri sub ipso, et inferri « ab ipso »; *ibid.* Iuvat legere s. Thom., *Opusc. cit.*, c. 7, et Scotum, *Op. cit.*, q. XXXVII, n. 5.

[4]) *Inst. orat.*, lib. I, c. 10.

ARTICVLVS TERTIVS

Genera sophismatum, quae extra dictionem sunt, exponuntur

Sed ad sophismatum *extra dictionem*, quorum pleraque maioris sunt momenti, expositionem progrediamur. Haec septem ex capitibus posse fieri cum eodem Stagirita sentimus, scilicet vel παρὰ τὸ συμβεβηκός, *ex accidente*, vel τὸ ἁπλῶς, ἢ μὴ ἁπλῶς λέγεσθαι, *quod simpliciter, vel non simpliciter dicatur*, vel παρὰ τὴν τοῦ ἐλέγχου ἄγνοιαν, *propter elenchi, ignorationem*, vel παρὰ τὸ ἑπόμενον, *ex consequenti*, vel παρὰ τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, *quia petitur id, quod quaesitum a principio est*, vel τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον τιθέναι, *quod non causa ut causa opponitur*, vel τὸ τὰ πλείω ἐρωτήματα ἓν ποιεῖν, *quod ex pluribus interrogationibus una efficiatur* [1]. Iamvero, Scholastici, post Arabes, diversas vias inivere, ut non plura hisce septem esse sophismata *extra dictionem* ostenderent, et ordinem, quem ipsa inter se habent, investigarent. Nobis brevior, et planior videtur esse via, quam ab Alfarabio in primis propositam Albertus M. ceteris praetulit [2], praestantiorque reliquis ordo, qui inde existit. Brevitati autem studere volentes singulas species sophismatum ita explicabimus, ut simul ratio numeri, quam Alfarabius innuit, et ratio ordinis, quem sequemur, patefiant.

Evidens est in qualibet sophistica argumentatione tria considerari posse, eaque esse 1° materiam, circa quam argumentatio versatur, 2° formam, nempe dispositionem terminorum, et enunciationum, ex quibus argumentatio conflatur, 3° redargutionem, quae, ut diximus, conclusionem syllogismi sophistici concomitatur [3]. Iam, si materiam consideremus, ex ea postremum sophismatum, quae ex Aristotele recensuimus, erui potest, scilicet so-

[1]) Arist., *Op. cit.*, c. 5, § 1, ed. Didot.
[2]) *Op. cit.*, lib. I, tract. III, c. 1. — [3]) Vid. Albert. M., *ibid.*

phisma *plurium interrogationum* [1]. Hoc existit, cum pluribus interrogationibus, quasi una sint, una et simplex responsio adhibetur, quae sive sit aiens, sive negans, respondens semper falsitatis redarguitur. A. Gellius exemplum attulit interrogantis hoc modo: *Quicquid non perdidisti, habeasne, an non habeas?* Vtrumcumque negando, vel aiendo responderis, in captionem incides. Nam si negaveris te non habere, quod non perdidisti, redargueris hoc modo: *Quicquid non perdidisti, non habes; atqui oculos non perdidisti; ergo oculos non habes*; sin dixeris te habere, quod non perdidisti, redargueris hoc alio modo: *Quicquid non perdidisti, habes; atqui cornua non perdidisti; ergo cornua habes* [2].

Vt vero quid huic fallaciae locum dederit, intelligatur, sciendum est sanctam apud graecos dialecticos legem fuisse, ut adversarius, quidquid rogatus esset, non aliter, quam aut aiendo, aut negando, sive, ut Alexinus a Menedemo petebat, ναί, ἢ οὔ, *ita*, *vel non* responderet [3]. Audiatur idem Gellius: « Legem esse a-« iunt disciplinae dialecticae, si de qua re quaeratur, « disputeturque, atque ibi quid rogare, ut respondeas: « tum ne amplius quid dicas, quam id solum quod es « rogatus, ut aias, aut neges, eamque legem qui non « servent, et aut plus, aut aliter, quam sunt rogati, re-« spondeant, existimantur rudes, indoctique esse, dispu-« tandique morem, atque rationem non tenere [4] ».

At vero, quamvis hoc genus fallaciae proprium So-

---

[1]) *Ibid.*, § II.

[2]) « Nam, Gellius ait, si ita ego istorum aliquem rogem: *Quicquid « non perdidisti, habeasne, an non habeas?* postulo, ut aias, aut ne-« ges: utrumcumque breviter responderit, capietur; nam si non ha-« bere se negaverit, quod non perdidit; colligetur oculos eum non « habere, quos non perdidit, sin vero habere se dixerit; colligetur « eum habere cornua, quae non perdidit »; *Noct. Att.*, lib. XVI, c. 2. Cf hac de re Cresollium, *Theatr. Rethor.*, lib. II, c. 6, p. 76, ed. cit. et Winckelmann, *In Platonis Euthydem.*, p. 124, ed. cit.

[3]) Laert., lib. II, segm. 135, ed. cit.—[4]) *Op. cit.*, ibid.

phistarum fuerit ; nihilominus , cum interrogatio , uti s. Thomas ad hanc rem monuit [1], nec asserat, nec neget quidquam, nullo non tempore apud incredulos , haereticosque mos invaluit per quaestiones , et interrogationes dogmata tum Fidei , tum ipsius rationis in dubium revocandi , ut quid ipsi sentirent , aperte non patefacerent, atque hac arte mentes incautorum fallerent. Certe, de sui temporis haereticis conquerebatur s. Augustinus , quod « per insidiosas interrogationes, captant incautorum « assensiones , ut ex eorum responsionibus concludant, « unde illos vel in aperta falsitate deceptos rideant, vel « occultam falsitatem deceptis persuadeant [2] ». Id, quod s. Augustinus antiquis obiecit , in recentes quoque quadrare nemo est, qui ignoret.

Advertendum vero est huic sophismati locum dari , non cum veluti unum interrogantur quae plura manifeste sunt, sed cum veluti unum interrogatur id, in quo plura latent. « Nonnumquam, ait Stagirita, facile quidem « est animadvertere plures esse , nec dandam esse re- « sponsionem unam ; velut , utrum terra mare sit , an « coelum ? In nonnullis autem minus id perspicitur; et « quasi una sit interrogatio, aut assentiuntur, quia non « respondent, quod rogatum est, aut redargui videntur [3] », sive , ut in h. l. Vaitzius ait, « aut unam esse quae- « stionem tacite concedunt qui ad propositam quaestio- « nem omnino non respondent , aut ita respondent, ut « unam esse aperte profitentes revera redargui videantur [4] ».

---

[1]) Quid interrogatio ab enunciatione, aliisque eiusmodi differat, disce a s. Thoma: « Est autem idem secundum substantiam enuntia- « tio, propositio, interrogatio, et conclusio: sed dicitur enuntiatio, « secundum quod significat simpliciter aliquid esse, vel non esse. « Interrogatio secundum quod sub dubitatione proponitur. Proposi- « tio secundum quod sumitur ad alterius probationem.Conclusio ve- « ro secundum quod ex aliis probatur: et ideo sicut enuntiatio est « una, vel plures, ita interrogatio, propositio,et conclusio »; *Opusc. cit.*, c. 15.

[2]) *Cont. Crescon.*, lib. I, c. 15, n. 19. — [3]) *Op. cit.*, c. 5, § 10, ed. Didot. — [4]) Vol. II, p. 537.

Albertus M. mente reputans ea, quae de hoc fallaciae genere Stagirita disseruerat [1], cunctos modos eius ad duo revocari posse arbitratus est. Quorum prior est, cum aut plura veluti unum interrogantur de uno, vel unum de pluribus individuis subiectis interrogatur. Puta, interroganti: estne *Epicurus Philosophus, et princeps Philosophorum*, si responderis: *est*, redargueris, quia concedis aliquid falsum, nempe Epicurum fuisse principem Philosophorum; sin responderis: *non est*, iure etiam redargueris, quia id, quod verum est, nempe Epicurum fuisse Philosophum, non concedis. In hoc sophismate plura, nempe *Philosophus*, et *princeps Philosophorum*, quasi unum sint, interrogantur de uno, nempe de *Epicuro*. Exemplum vero, in quo unum de pluribus interrogatur, apud Stagiritam est huiusmodi: *suntne Socrates, et Plato homo?* Si quis enim neget, falsitatis aperte redarguetur, quia Socrates re ipsa est homo, et Plato re ipsa est homo; sin aiat, inde facile redarguetur hoc modo: *Socrates, et Plato sunt homo; atqui homo, cum numeri singularis sit, unum hominem significet; ergo Socrates, et Plato sunt unus homo*. Posterior modus est, cum plura in plurali numero de pluribus pluraliter significatis interrogantur. Puta, ut ab eodem Stagirita exemplum mutuemur, si quis de pluribus, quorum alia sunt bona, alia vero non bona, interrogetur: *haec omnia suntne bona? an non bona?* Iam, manifestum est respondentem, utramlibet partem contradictionis dederit, posse facile redargui. Si enim dixerit esse bona, interrogans, demonstratis iis, quae sunt non bona, inde inferet haec non bona esse, quae respondens dixit esse bona; sin dixerit esse non bona, interrogans, demonstratis iis, quae sunt bona, colligit haec esse bona, quae respondens esse non bona dixit [2].

---

[1]) *Loc. cit.*

[2]) Cf Albert. M., *Op. cit.* lib. cit., tract. III, c. 21, et s. Thom., *Opusc. cit.*, c. 15.

Quod si non materiam, sed formam syllogismi spectemus, sophismata *extra dictionem* construi possunt cum ex terminis, tum ex enunciationibus, quas termini efficiunt, tum denique ex connexione enunciationum, quae sunt praemissae, cum conclusione, quia in his omnibus forma syllogismi consistit. Iam, si termini considerentur, ex illis erui potest sophisma, quod *secundum accidens*, παρὰ το συμβεβηκός vocatur, seu *fallacia accidentis*. Vt claram notionem huius sophismatis exhibeamus, illud praemonendum cum Alberto M. nobis est, accidens ad rem, quae ei subiicitur, sive ad suum subiectum duobus modis posse spectare. Primus modus est, quo res subiecta consideratur tamquam id, quod in se aliquod accidens substentat, atque ad ipsum habendum *in potentia* est. Huiusmodi accidens est *album* in hac enunciatione: *homo est albus*, quia *esse album* re ipsa est aliquid, quod homini inhaerere intelligitur, atque homo re ipsa est in potentia, ut sit albus. Perspicua res est accidens, si hoc primo modo sumatur, esse postremum universalium, quae exposuimus, ideoque illud, quod proprie accidens vocatur. Secundus modus est, quo accidens non convenit rei subiectae, prout ipsa est subiectum, nempe prout est illud, de quo accidens praedicatur, sed convenit rei subiectae, prout res in se ipsa spectatur. Puta, si quis dicat: *Homo est species; atqui Socrates est homo; ergo Socrates est species*, in propositione, sive, ut aiunt, in *maiori* huius syllogismi homini non convenit esse speciem, prout est subiectum enunciationis, sed prout in se spectatur. Nam, prout in se spectatur, speciem aliquam, nempe humanam re ipsa denotat; sed, prout est subiectum enunciationis, non denotat, uti in assumptione patet, aliquam speciem, sed hominem singularem, nempe Socratem [1].

Iam, perspecta hac distinctione, in promptu est intelligere, unde sophisma *accidentis* enascatur. Et sane,

[1]) Cf Albert. M., *Op. cit.*, lib. I, tract. III, c. 3.

ex dictis intelligitur hoc genus sophismatis existere, cum in syllogismo id, quod ad rem subiectam, veluti accidens secundi modi, pertinet, sumitur quasi sit accidens primi modi. Id planius fiet, si syllogismum, quem, tanquam exemplum sophismatis *accidentis*, modo adduximus, parumper expenderimus. In hoc enim syllogismo *homini*, quem speciem esse in propositione asseritur, *Socrates* in assumptione substituitur, unumque efficitur *Socrates homo*. Iam, quoniam per hominem, qui est subiectum in propositione, denotatur Socrates, consequitur ipsum non esse speciem, prout est subiectum, scilicet primo modo, sed prout in se spectatur; si quidem species id denotat, quod pluribus individuis est commune, neque per se expostulat, ut in hoc, aut in illo individuo determinata inveniatur. Ex quo intelligis primo syllogismum, quem, e. g., adduximus, esse sophisma *accidentis*, quia species humana, quae per accidens in Socrate existit, sumitur quasi totum Socratem constituat, indeque colligitur Socratem esse aliquam speciem [1]. Intelligis secundo deceptionem, quae in ipso latet, ab eo oriri, quod medium, nempe *homo*, contra ac legitima ratio syllogismi expostulat [2], aliter in propositione, aliter in assumptione accipitur; si quidem in illa speciem humanam, in hac hominem singularem, nempe Socratem denotat [3].

---

[1]) *Op. cit.*, q. XLVI, n. 2.

[2]) Cf vol. II, p. 260. Perbelle ad hanc rem Scotus: « . . . sed ad « syllogismum requiritur, quod primum sub eadem ratione attri- « buatur medio, sub qua ratione medium attribuitur postremo, ita « quod illae rationes non differunt, scilicet nisi sicut pars et totum »; qu. XLIV, n. 4. Atque inferius: « . . . quandocumque aliquis terminus « uni comparatus accipitur sub alia ratione, ut est alteri termino « comparatus, si illae rationes non necessario se includant, accidens « est, quia in omni bono syllogismo necesse est alteram propositio- « nem esse ut totum, et alteram, ut partem »; q. XLVI, n. 2.

[3]) « Et contra hanc identitatem medii, Albertus M. scribit, peccant « paralogismi istius fallaciae. Vnde identitas medii secundum sub- « stantiam iterati facit apparentiam: diversitas autem eiusdem se-

Quae cum ita se habeant, statuendum est sophisma accidentis tum existere, cum id, quod in praemissis de medio per accidens dumtaxat praedicatur, accipitur, quasi medio secundum essentiam conveniat; unde de subiecto etiam in conclusione praedicatur. Etenim, quoniam id, quod per accidens alicui speciei convenit, non semper invenitur in individuis, quae ad ipsam pertinent, profecto ex eo tantum, quod individuum alicui speciei subiicitur, deduci non potest ipsum aliqua proprietate praeditum esse, quae ad speciem per accidens pertinet, licet fortasse in eo re ipsa inveniatur. Iuvat hanc definitionem illustrare his exemplis Alberti M.: *Homo currit: Socrates est homo: ergo Socrates currit;* aut: *Homo non currit: Socrates est homo: ergo Socrates non currit.* Iam manifesta res est, sive Socrates currat, sive non currat, utrumque syllogismum, ob fallaciam accidentis, falsum esse, quippe quod, cum *currere*, aut *non currere* sint accidentia hominis, cognosci non potest, utrum, necne Socrates currat, ex eo tantum, quod Socrates est homo [1].

Quam frequenter recenter athei, atque increduli fallaciam accidentis in christianae philosophiae placitis oppugnandis usurpaverint, ex iis, quae in hoc opere adversus eos disseremus passim patescet. Lubet duo exempla, unum antiquis philosophis, alterum ex antiquis haereticis afferre. Velleius Epicureus apud Ciceronem [2] ex eo, quod ratio cum humani corporis figura in homine coniun-

---

« cundum rationem facit defectum, ut hic: homo est species: Sortes « est homo: ergo Sortes est species. Hic enim idem medium, quod est « homo secundum substantiam bis positum est, sive iteratum: diver- « simode autem sumptum est secundum rationem, quia in prima stat « homo secundum se, in secunda autem stat pro supposito»; *Op. cit.*, lib. I, tract. III, c. 5. Hinc s. Thomas illud sanxit: «Quando est fallacia « accidentis, semper est diversa acceptio medii. Dico autem diver- « sam acceptionem medii esse, quando medium, secundum quod con- « venit cum una extremitatum, est diversum ab alia»; *Opusc. cit.*, c. 9.

[1]) *Ibid.*, c. 3.

[2]) *De Nat. Deor.*, lib. I, c. 32, ed. Ernesti.

gitur, colligebat Deos humani corporis figura praeditos esse, quia et Dii ratione pollent. Eius cavillatio huc redit: *Ratio cum humani corporis figura coniungitur; atqui Dii ratione pollent; ergo Dii figuram corporis humani habent.* Quae cavillatio, uti ex se patet, in eo consistit, quod, cum rationi per accidens conveniat eum figura corporis humani in homine coniungi, id ad eius essentiam pertinere Velleius sumebat; alioquin ex eo, quod Deos ratione pollere arbitrabatur, illos figura corporis humani praeditos esse colligere non potuisset. Idem genus sophismatis committebat Iulianus Pelagianus, cum Catholicis obiiciebat illos vel ex hoc, quod concupiscentiam damnabant, nuptias damnare, quia hac sine concupiscentia esse nequeunt [1].

Quod ad enunciationes attinet, quae syllogismum proxime efficiunt, nonnisi duo genera sophismatum inde posse existere Alfarabius non inscite sancivit. Etenim indubium est ex praemissis non plura posse erui sophismata, quam sunt modi, secundum quos praemissas, prout ad conclusionem referuntur, spectare nobis licet. Iam praemissas hac ex parte nonnisi duobus modis considerare nobis licet, vel prout ipsae sunt tantum principia, ex quibus syllogismus efficitur, vel prout sunt conclusione notiores. Duo igitur sophismatum genera ex illis erui possunt, scilicet vel cum in praemissis id tanquam causa conclusionis ponitur, quod eius causa re ipsa non est, vel cum id, quod in conclusione colligitur, per aliquid in praemissis probatur, quod non minus, quam illud, obscurum, incertum, aut controversum est. Primi generis paralogismi dicuntur sophismata *non causae ut causae*, alterius autem sophismata *petitionis principii*.

A priori ordiamur. Sophisma, *non causae ut causae*,

---

[1]) Cf s. Aug., *Cont. Iulianum*, lib. IV, c. 10, n. 56. Aliud exemplum videre licet apud s. Bonaventuram, *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIII, a. I, q. 3 *ad arg.*

τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον, existit, cum falsae conclusionis, veluti causa, propositio sumitur, quae causa eius esse videtur, sed reapse causa eius non est, sive, ut Aristotelem presse sequamur, cum adversarium per aliquid redargui sumitur, ex quo re ipsa redargui non potest [1]. Iam sciendum est huic generi sophismatum, ut scite Aristoteles docuit [2], locum non esse in iis syllogismis, qui δεικτικοί, sive, ut haec vox a Scholasticis latine reddita est, *ostensivi* dicuntur, sed in iis, qui εἰς τὸ ἀδύνατον, hoc est, *ad impossibile* ducunt. Vt id intelligatur, discrimen, quod Albertus M. inter syllogismum, sive probationem *ad impossibile ducentem*, et syllogismum *ostensivum* ad hanc rem adnotavit, prae oculis habendum est. Quod quidem est eiusmodi: Syllogismus *ostensivus* unicam habet conclusionem ex tribus terminis, et duabus enunciationibus erutam, propterea quod ipse non destruit aliquam rem concessam, quam hypothesim vocant, sed ἁπλῶς, *simpliciter*, denotat aliquid alicui inesse, aut non inesse [3]. Syllogismus vero, qui ad impossibile ducit, quoniam ἐξ ὑποθέσεως, nempe ex rem iam concessa colligit, duas conclusiones habere debet. Nam, cum aliquid ex re concessa contra adversarium concluditur, duas conficere oportet argumentationes, unam, quae ex eo, quod adversarius posuit, aliquid manifeste impossibile, δεικτικῶς, *ostensive*, concludit, alteram, quae illud, quod adversarius posuit, veluti causam alicuius manifeste impossibilis, quod antea conclusum est, destruit. Puta, ut exemplum facile intellectu ab eodem B. Doctore mutuemur, si quaeratur, num homo sit asinus, et quisquam hominem esse asinum contendat, licet adversus eum construere hunc syllogismum, qui ad impossibile ducit: *Nullus asinus est animal rationale; homo est asinus; ergo homo non est animal rationale. Sed hoc est falsum: ergo falsum est hominem esse asinum.* Iamvero hic syl-

[1]) . . . ὅταν προσληφθῇ τὸ ἀναίτιον ὡς παρ' ἐκεῖνο γινομένου τοῦ ἐλέγχου, Op. cit., c. cit., § 9, ed. Didot.
[2]) *Ibid.* — [3]) Vid. vol. II, p. 356 sqq.

logismus , uti ex se patet , in prima conclusione cogit eum, qui hominem esse animal contendit , aliquid fateri, quod manifeste impossibile est, nempe hominem non esse animal rationale , quia unum ab altero fluit; in secunda autem conclusione ex hoc, quod manifeste impossibile est , nempe hominem non esse animal rationale, colligit falsum esse id, quod adversarius contendit, scilicet hominem esse asinum , quia hoc pronuntiatum causa alterius pronuntiati manifeste impossibilis est [1].

Iamvero , sophisma *non causae ut causae* nonnisi in illos syllogismos, qui duas conclusiones habent , nempe qui ad *impossibile* ducunt, posse irrepere, duce iam laudato Alberto M., haud difficile demonstratu est. Et sane , quandoquidem syllogismus , uti ante diximus, est, et dicitur sophisticus non tantum quia falsum colligit, sed quia aliquid a disputante assertum erroris redarguit, consequens est cavillationem *non causae ut causae* non committi, cum in praemissis aliquid ponitur, quod vera conclusionis causa non est, sed cum aliquid concessum a

---

[1]) Iuvat integrum locum B. Doctoris exscribere, ut forma syllogismi ad impossibile ducentis, quam recentes Logici parum accurate exponere solent, probe cognoscatur: « . . . est enim quidam syllogismus ostensivus, qui habet conclusionem unicam ex duabus propositionibus, et tribus terminis syllogizatam: ut omnis homo est animal; Sortes est homo; ergo Sortes est animal. Syllogismus autem ad impossibile est, qui conclusum aliquid ostensive reducit syllogistice ad aliquid impossibile manifestum, et propter hoc interimitur altera praemissarum quaecumque est illa,quae est causa illius impossibilis, quod conclusum est: et propter hoc iste syllogismus semper habet duas conclusiones. Vt si quaeratur, si homo est asinus ? Et si concedatur quod homo sit asinus:syllogizetur in contrarium sic: nullus asinus est animal rationale mortale: homo est asinus; ergo homo non est animal rationale mortale. Sed hoc est falsum: ergo homo non est asinus. Et sic interemta est haec praemissa, homo est asinus »; *Op. cit.*, lib. I, tract. III, c. 17. Quare definitioni animalis *mortale* a Scholasticis post Aristotelem additum sit, Aquinas docuit his verbis: « Mortale. . . est differentia naturam speciei constituens »; *In lib.II Sent.*, Dist. XXXII, q.I, a. 3 ad 5.

disputante, veluti causa conclusionis manifeste absurdae, traducitur, dum verae causae conclusionis manifeste absurdae sunt propositiones falsae, quae ei praemittuntur. Iamvero, primum in syllogismis *ostensivis* inveniri potest, quia in praemissas illorum aliquid irrepere potest, quod causa conclusionis non est. Sumamus, e. g., aliquem, cum probare velit tres motus in Vniverso reperiri, nempe *sursum*, *deorsum*, et *circulariter*, hunc efficere syllogismum ostensivum: *Tot motus in Vniverso admittendi sunt, quot trinae dimensioni corporis, nempe longitudini, latitudini*, et *altitudini respondent: atqui trinae dimensioni corporis tres hi motus, nempe sursum, deorsum. et circulariter respondent; ergo in Vniverso tres motus, nempe sursum, deorsum et circulariter admittendi sunt* [1]. Quisquis hunc syllogismum ostensivum efficit, falsum concludit, quia pro causa conclusionis ponit id, quod causa eius non est, scilicet species motus consentaneas esse oportere dimensionibus corporis. At vero, qui falsum concludit, syllogismum quidem vitiosum sed non sophisticum conficit, quia falsum quidem concludit, sed non ad illud spectat, ut aliquam rem concessam destruat.

Secundum vero inveniri neutiquam potest in syllogismis ostensivis, sed in iis solum, qui ad impossibile ducunt. Nam primo, in syllogismo ostensivo conclusio, antequam ex praemissis educatur, ignota est, et syllogismus eo consilio instituitur, ut conclusio nota fiat: quapropter qui illum confiçiendum suscipit, praenoscere haud debet, num conclusio vera, an falsa sit. Verum, construenti cavillationem *non causae ut causae* perspectum sit oportet conclusionem fore manifeste falsam, alioquin per hanc non posset illud destruere, quod a disputante concessum, atque ab eo veluti causa conclusionis sumtum est [2]. Quod quidem proprium syllogismi

[1]) *De Coelo*, lib. I, c. 2.
[2]) Cf Albert. M., *Prior. Analyt.*, lib. II, tract. IV, c. 6.

ad impossibile ducentis est. Secundo, in falso syllogismo ostensivo, sublata illa praemissarum, quae est causa conclusionis falsae, tollitur et una falsitas conclusionis; ast in syllogismo ad impossibile ducente, sublata hypothesi, quae a Sophista, veluti causa conclusionis falsae, traducitur, non tollitur falsitas conclusionis, quia haec non ex *hypothesi*, hoc est ex propositione, quam disputans concessit, sed ex falsis propositionibus, quas Sophista conclusioni praemisit, derivatur [1]. Tertio, ad cavillationem *non causae ut causae* construendam syllogismo, aut, si ita dicere mavis, probatione opus est, quae plures tribus terminis, et tribus enunciationibus habet. Nam, postquam prima conclusio manifeste absurda ex praemissis deducta est, oportet, ut ab illa secunda conclusio eliciatur, quae aliquid concessum a disputante, et veluti causam conclusionis a redarguente sumtum explodit. Iam plures, quam tres terminos, et plures, quam tres enunciationes, habere proprium est syllogismi ad impossibile ducentis, repugnat autem syllogismo ostensivo [2]. Ex tribus hisce observationibus colligendum est sophisma *non causae ut causae* non in alio syllogismo posse inveniri, quam qui *ad impossibile* ducit [3].

Postquam fallaciam *non causae ut causae* in syllogismi *ad impossibile* ducentibus locum habere novimus,

---

[1]) Cf Albert. M., *Prior. Analyt.*, lib. II, tract. VI, c. 3, et *Elench.*, lib. I, tract. III, c. 17 et 18.

[2]) Apposite s.Thomas: « Ex hoc autem,quod propositio, quae non « est causa, sumitur ut causa, non provenit aliqua deceptio, nisi « quando ex conclusione reditur ad praemissas, et intermittitur (*for-* « *tasse* interimitur) aliqua praemissarum: quod quidem fit in syllo- « gismis ad impossibile, in quibus per hoc, quod conclusio est im- « possibilis, ostenditur aliquam praemissarum impossibilem fuisse. « Et ideo haec fallacia non habet fieri nisi in huiusmodi syllogis- « mis. In syllogismis enim ostensivis,in quibus aliud directe osten- « ditur, ad nullum inconveniens duci potest respondens,si sumatur « in praemissis aliqua propositio, quae non est causa conclusionis, « ac si esset causa »; *Opusc. cit.*, c. 14.

[3]) Cf Albert. M., *Elench.*, lib. I, tract. III, c. 17.

inquirere opus nobis est, quanam ex causa syllogismus, qui ad impossibile ducit, in sophisma *non causae ut causae* evadat. Ad huius rei intelligentiam memoria repetendum nobis est naturam sophismatis expostulare, ut falsum non *simpliciter*, sed perinde ac verum sit, nempe *sub specie veri* concludat. Ex hoc haud difficulter perspicitur non posse dici sophisma *non causae ut causae* illum syllogismum, in quo id, quod causa conclusionis non est, *pro eius causa* simpliciter accipitur, sed syllogismum, in quo id, quod causa conclusionis non est, sumitur *ut causa*, ὡς αἴτιον, scilicet perinde ac causa sit. Iam manifestum est 1° ad istud assequendum expostulari, ut propositiones, quae conclusioni manifeste impossibili praemittuntur, quamdam similitudinem habeant cum *hypothesi*, hoc est, cum propositione, quae a disputante posita est; alioquin ipsae, dum causa conclusionis non sunt, causa eius apparere non possent; 2° similitudinem non posse consistere, nisi in eo, quod hypothesis per alterutrum terminum suum cum praemissis conclusionis manifeste absurdae coniungatur: si enim ex utraque parte cum ipsa conveniret, haud possibile foret disputantem adeo decipi, ut illam cum his quodammodo confunderet [1].

Iuvabit subdifficilem hanc theoriam Alberti M. exemplis declarare, quae secundum Aristotelem Beatus Doctor exposuit. Si quis Sophista geometram redarguere volens, qui assereret diametrum quadrati esse commensurabilem lateri, illud pronuntiatum Zenonis: *nihil moveri*, demonstrandum susciperet, atque ex absurda hac conclusione diametrum non esse mensurabilem colligeret, sophisma *non causae ut causae* minime construeret. Re vera, ipse, uti Albertus M. observavit, conficere deberet huiusmodi syllogismum, qui ad impossibile ducit: « *In quo-*

---

[1]) Vid. Albert. M., *Elench.* lib. I, tract. III, c. 17, et *Prior. Analyt.*, lib. II, tract. VI, c. 3.

« *libet stadio sunt infinita spatia: sed infinita non con-*
« *tingit pertransire: ergo non contingit pertransire ali-*
« *quod stadium. Sed hoc est impossibile; ergo hypothe-*
« *sis est impossibilis , ex qua sequitur , haec scilicet,*
« *quod diameter est commensurabilis costae* ». Iamvero , hic syllogismus ad impossibile ducens , uti ex se patet, est falsus, quippe quod praemissas habet, quae non sunt causae conclusionis manifeste impossibilis. Nihilominus non est inter sophismata *non causae ut causae* numerandus, quia in propositionibus, ex quibus elicitur illa conclusio impossibilis , nempe *non contingit pertransire stadium* , nec subiectum , nec praedicatum invenitur illius hypothesis, scilicet *diameter quadrati est commensurabilis lateri* [1]. Hinc Aristoteles scite sanxit fallaciam *non causae ut causae* non esse cum illo vitio syllogismi confundendam , quod μὴ παρὰ τουτο συμβαίνειν τὸ ψεῦδος , *non propter hoc accidere falsum*, dicitur , quodque tum existit , cum falsitas conclusionis ex praemissis haud efficitur. Nam quandoque adeo manifestum est falsitatem conclusionis non esse ex praemissis repetendam, ut nullus locus deceptioni detur [2].

Exemplum falsi syllogismi ad impossibile ducentis , quod fallaciam *non causae ut causae* constituit, e Platonis *Phaedro* nobis suppetit. Hoc ii redarguuntur, qui *animam, et vitam esse idem* asserebant. Etenim Sophista contendere posset hanc propositionem esse falsam, quia ex illa sequitur *vivere idem esse, ac generari;* id quod manifeste absurdum est , cum quisquis vivit, eum iam generatum esse oporteat. Ipse posset hanc conficere probationem , quam lubet verbis s. Thomae afferre: « Putasne anima
« et vita sunt idem? quo dato proceditur sic: *Anima et*
« *vita sunt idem, et mors, et vita sunt contraria, et ge-*
« *neratio, et corruptio sunt contraria: sed mors est cor-*
« *ruptio, ergo vita est generatio, igitur vivere est gene-*

---

[1]) *Elench.* lib. I, tract. III, c. 17.
[2]) *Anal. Prior.*, lib. II, c. 19 (alit. 17), § 1, ed. Didot.

« *rari, quod est impossibile. Nam qui vivit, non gene-*
« *ratur, sed iam generatus est, ergo et primum fuit*
« *impossibile, scilicet quod anima et vita sunt idem* [1] ».
Iam liquet in hoc syllogismo causam conclusionis absurdae non esse, quemadmodum Sophista contendit, propositionem, quam disputans sumpsit, scilicet *animam, et vitam esse idem*, sed esse illam propositionem, quam Sophista conclusioni absurdae praemisit, nempe vitam, et mortem esse contraria, quippe quod, etiamsi nulla ratio habeatur propositionis, quam disputans concessit, nihilominus eadem ex praemissis conclusio fuit. Propositio autem, quam mortem et vitam esse contraria asseritur absurdam conclusionem parit, quia et ipsa, observante Alberto M., omnino absurda est. Enimvero « mors, hic ait, potest
« dicere motum dissolutionis animae a corpore, vel ter-
« minum dissolutionis eiusdem: et sic non est corruptio,
« sed tunc est corruptum esse. Primo modo mors, et vita
« non sunt contraria, quia quod corrumpitur, quandiu
« corrumpitur, adhuc vivit: contraria autem simul in
« eodem esse non possunt. Si autem secundo modo esse
« dicatur mors terminus dissolutionis: tunc vita, et
« mors iterum non sunt contraria, sed opposita, ut pri-
« vatio, et habitus: et sic omni modo ista est falsa, mors,
« et vita sunt contraria, et est simpliciter falsa: unde
« etiam supra in argumentatione non debuit interimi
« ista, anima, et vita sunt idem, sed haec, mors, et vita
« sunt contraria [2] ». Hic vero syllogismus, qui ad impossibile ducit, est verum sophisma *non causae ut causae*, quia illa hypothesis: *anima, et vita sunt idem*, quam sophista obtrudere nititur veluti causam huius conclusionis absurdae: *vivere idem est, ac generari*, per unum terminorum, scilicet *vitam*, cum illa propositione coniungitur, quae est vera causa conclusionis, nempe *vita, et mors sunt contraria* [3].

[1]) *Opusc. cit.*, c. 14. — [3]) *Elench.*, lib. I, tract. III, c. 18.
[2]) *Ibid.* Cf de hoc exemplo Alexandrum Aphrod. *Expositio in Arist. libros Elenchorum*, c. 34, p. 23, Venetiis 1546.

Atque id satis, superque de notione cavillationis *non causae ut causae*; ad modos eius quod attinet, non plures duobus, uti Albertus M. scite docuit, enumerari possunt. Nam, quoniam ad constituendam fallaciam *non causae ut causae* expostulatur, ut hypothesis per alterutrum terminum cum enunciationibus coniungatur, quae sunt verae causae conclusionis manifeste absurdae, illa nonnisi duobus modis variare potest, scilicet prout hypothesis vel per subiectum, vel per praedicatum cum praemissis conclusionis coniungitur. Quisquis vero ex se intelligit non dari fallaciae locum, si hypothesis utroque ex termino cum praemissis conclusionis coniungatur; quia, si res ita se haberet, hypothesis causa conclusionis re ipsa foret [1]. Exempla, quae litteris ab Aristotele adhibitis respondent, idem Albertus nobis suppeditat. Exemplum primi modi est, si quis sumat hanc propositionem: *omnis lapis est animal*, atque conficiat hoc argumentum: *omnis margarita est lapis; omnis homo est margarita; ergo omnis homo est lapis. Atqui hoc est impossibile; ergo omnem lapidem esse animal quoque impossibile est.* Exemplum alterius modi est, si quis, sumta eadem propositione, conficiat hoc aliud argumentum: *Omne corpus est inanimatum; omne animal est corpus; ergo omne animal est inanimatum. Atqui hoc est impossibile; ergo impossibile etiam est omnem lapidem esse animal* [2]. Hi duo syllogismi, qui *ad impossibile* ducunt, procul dubio sunt fallaciae *non causae ut causae*, quippe quod in utroque, ablata illa hypothesi, *omnis lapis est animal*, conclusio impossibilis non tollitur. Sed ipsi ab se differunt, quia hypothesis in primo per subiectum, in altero autem per praedicatum cum propositionibus coniungitur, quae sunt causae conclusionis manifeste impossibilis [3].

Recentes Logici notionem huius sophismatis perverterunt. Nam, cum sophisma vocent omnem syllogismum, qui aliquo vitio vel formae, vel materiae laborat, cohae-

[1]) *Ibid.*, c. 19. — [2]) *Ibid.* — [3]) Cf Albert. M., *ibid.*

venter docent fallaciam *non causae ut causae* esse omnem syllogismum, in quo pro causa conclusionis in praemissis id ponitur, quod causa eius re ipsa non est [1]. Ita, Rosellius censuit esse fallaciam *non causae ut causae* illum syllogismum, quo Materialistae immortalitatem animarum apud s. Thomam impugnant, scilicet: « Animae humanae multi- « plicantur secundum multiplicationem corporum ; de- « structis ergo corporibus , non possunt animae in sua « multitudine remanere [2] ». Huius argumenti vim Aquinas retudit hoc modo: « Ostensum est autem, quod anima « humana est forma secundum suum esse a materia non « dependens : unde sequitur, quod multiplicantur qui- « dem animae, secundum quod multiplicantur corpora: « non tamen multiplicatio corporum erit causa multipli- « cationis animarum. Et ideo non oportet, quod, de- « structis corporibus, cesset pluralitas animarum [3] ». Quin immo iidem recentes addunt hoc sophisma illos quoque committere , qui communem , et remotam causam conclusionis pro propria, et proxima in praemissis ponunt. Hinc Corsinius dixit in istam fallaciam illos incurrere, qui in phaenomenis naturae explicandis causas proximas eorum negligunt, et ad Deum ipsum veluti ad aram confugiunt, quia Deus eorum, quae in universo naturaliter fiunt, quemadmodum alias ostendemus, est causa remota, non vero proxima [4].

Ad alterum genus sophismatum progrediamur, quod existit, cum praemissae in syllogismo non sunt conclusione notiores. Hoc ab Aristotele dictum est τὸ παρὰ τὸ

---

[1]) E. g., Auctor *Artis cogitandi*, part. III, c. 19, p. 197, ed.cit.; Facciolati, *Instit. log. perip.* , part. V, c. 3, p. 196, ed. cit.; Corsini, *Log.*, part. IV, c. 8, p. 271, et 272, ed. cit.

[2]) *Contr. Gent.*, lib. II, c. 80.

[3]) *Ibid.*, c. 81. Vid. Rosellium, *Op. cit.*, q. XXXI, art. 2, p. 640.

[4]) *Op. cit.*, ibid. Id vitii Cicero quibusdam antiquis exprobravit: « Sed omnium talium rerum ratio reddenda est ; quod vos cum fa- « cere non potestis, tanquam ad aram confugitis ad Deum »; *De nat. Deor.*, lib. III, c. 10.

ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, *id petere, quod a principio quaesitum est* [1], sive, ut idem Stagirita scripserat, τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαι καὶ λαμβάνειν [2], *id, quod a principio quaesitum erat ut concederetur, petere, et tamquam concessum sumere* [3]. Quo natura huius sophismatis introspiciatur, principio advertendum est praemissas in quolibet syllogismo esse principia conclusionis, si quidem conclusio ab extremo maiori, quod est praedicatum propositionis, et ab extremo minori, quod est subiectum assumptionis, tanquam a causa materiali, atque a medio, quod duo extrema inter se coniungit, tanquam a causa effectrici gignitur. Iamvero, quoniam praemissae sunt causa materialis, et causa efficiens conclusionis, consequitur in omni syllogismo, qui ad aliquid probandum instituitur, aliud esse oportere id, quod probat, et aliud id, quod probatur, quia causa, et effectus inter se realiter distinguuntur; 2° ut id, quod probat, notius sit eo, quod probatur, quia in adquisitione cognitionis, ad quam omnis probatio spectat, a noto ad ignotum, vel a magis noto ad minus notum progressio fieri debet. Ex his intelligitur petitionem eius, quod in principio quaesitum est, αἴτησιν τοῦ ἐν ἀρχῇ, sive ut Alex. Aphrod. ait, *sumptionem quaesiti*, λῆψιν τοῦ ζητουμένου, tum committi, cum, quaesitum sumitur in praemissis, in quibus probandum est, eodem modo, ac in conclusione, in qua ipsum ex praemissis veluti probatum colligitur, sive cum quaesitum non per aliud, et per notius, sed per se ipsum probatur [4].

Praeterea sciendum est non omnem sumptionem quaesiti sophisma dicendum esse, sed illam dumtaxat, quae notas cuilibet sophismati communes habet. Quocirca,

---

[1]) *De Sophist. Elenchis*, c. 5, § 1, ed. Didot,

[2]) *Anal. Prior.*, lib. II, c. XVIII (al. XVII), § 1, ed. Didot.

[3]) Vid. Albert. M., *Elench.*, lib. I, tract. III, c. 13.

[4]) « In petitione autem eius, quod est in principio, petitur probandum in probante ut in ipso acceptum, ut idem ipsi»; *Elench.*, lib. I, tract. III, c. 13.

si quaesitum re, et nomine est idem in praemissis, ac in conclusione syllogismi, syllogismus sophisma dici non potest, quia, monente Alberto M., cum in huiusmodi syllogismis nulla omnino diversitas inveniatur, deest in ipsis *causa apparentiae*, seu *principium motivum* deceptionis, quod ad naturam sophismatis constituendam expostulatur [1]. « Huius exemplum, inquit idem « B. Albertus, est, ut si dicam, homo currit, ergo homo « currit: vel in synonimis, gladius incidit, ergo spata « incidit, et huiusmodi [2] ». Inde factum est, eodem Doctore monente, ut Aristoteles hoc genus sophismatum non appellaret *petitionem principii*, sed *petitionem eius, quod est in principio*, τοῦ ἐν ἀρχῇ, quia hoc sophisma non fit, cum colligitur in conclusione ipsum principium per se, sed cum colligitur aliquid, quod in ipso quodammodo obvolutum est, nempe, ut mox videbimus, vel uti pars in toto, vel uti totum in parte, vel aliquo simili modo [3]. Nihilominus hoc sophisma a Scholasticis, necnon a recentibus *petitio principii* vocitatur. Nec sophisma dici potest syllogismus, in quo id, quod in principio quaesitum est, petitur κατ' ἀλήθειαν, *secundum veritatem*, sed syllogismus, in quo illud, quod in principio quaesitum est, petitur κατὰ δόξαν, *secundum opinionem* [4]. Enimvero, sophisma, ut saepe diximus, non est

---

[1]) *Ibid.*; *Topic.*, lib. VIII, tract. II, c. 9, atque *Anal. Prior.*, lib. II, tract. VI, c. 1.

[2]) *Topic.*, lib. VIII, tract., c. 9. Hinc istud sophisma a s. Thoma definitum est « deceptio proveniens ex eo quod idem assumitur ad « probationem sui ipsius sub alio vocabulo ». Rationem huius definitionis hanc assignavit, « quod si sub eodem nomine petat; nulla « fit fallacia, sed petens videbitur deridendus, sicut si velit proba« re, homo currit, et petit eamdem (*sic*) sibi concedi »; *Opusc. cit.* c. 12.

[3]) « Adhuc autem notandum quod dicitur id quod est in principio « peti, et non principium in se, sed petitur id quod est in principio « involutum in alio frequenter ut in toto, vel in parte, vel conver« tibili, vel huius aliquo »; *Top.*, lib. VIII, tract. II, c. 9.

[4]) Vid. Arist., *Anal Prior.*, lib. II, c. 16, t. I, p. 248, ed. Waitz.

quilibet syllogismus, qui quodam vitio laborat, sed syllogismus, qui ad eum, cum quo disputatur, decipiendum instituitur. Quamobrem ad constituendum sophisma, de quo hic agimus, satis non est, ut id, quod ex praemissis in conclusione colligitur, sit natura sua idem, ac illud, quod iisdem praemissis continetur, sed necesse est, ut is, qui cum disputatur, utrumque esse idem opinetur; si enim in hac opinione non versaretur, decipi certe non posset [1]. Ex quo intelligitur, quare Aristoteles de petitione eius, quod in principio quaesitum est, non solum in *Elench. Soph.*, sed etiam in *Anal. Prior.*, et in *Top.* egerit. Nam petitio principii, uti ab Alberto M. observatum est [2], ad *analyticen*, et ad *topicen* pertinet, prout est vitium, quo syllogismus demonstrativus, et syllogismus dialecticus, seu probabilis laborare queunt, ad *sophisticen* vero, prout est locus, ex quo argumentatio captiosa ad fallendum erui potest.

Haec ad notionem *petitionis principii* plane assequendam monere prorsus necessarium nobis visum est. Ex his enim patescit *causam apparentiae* huius sophismatis in eo positam esse, quod conclusio ab aliqua praemissarum diversa esse videtur, dum eadem cum ipsa est, et *causam non existentiae* ex eo, quod conclusio re ipsa eadem est cum illa praemissa, a qua differre videtur. Vnde monuit Aristoteles [3] respondentem ex hoc sophismate non aliam ob causam decipi, quam quia discernere interdum non potest, quid sit idem cum eo, quod defendendum suscipit, quidque ab eo diversum.

Quod pertinet ad diversos modos, quos huiusmodi sophisma habere potest, horum quinque Stagirita in VIII *Topic.* [4] recensuit, opportunisque exemplis declaravit. Omnes, secundum doctrinam, quam Albertus M. in *To-*

---

[1]) Cf Albert. M., *Elench.*, lib. I, tract. III, c. 13, et *Prior. Anal.*, lib. II, tract. VI, c. 1.

[2]) *Elench.*, lib. I, tract. III, c. 13.

[3]) *Topic.*, lib. IX, c. 5, t. II, p. 247, ed. Waitz.

[4]) C. 13, t. II, p. 236, et 237, ed. cit.

picis, atque in *Elenchis* [1] exposuit diligenter explicare e re esse censemus, quippe quod in disputationes de gravissimis rebus irrepere facile solent.

Primus modus existit, cum definitum per definitionem sui probatur. Nam, quoties definitio est principium, ex quo definitum infertur, petitur in conclusione id, quod in principio quaesitum est, quia definitum a definitione « non differt nisi per implicitum et explicitum: « et sic unum petitur in altero [2] ». Puta, si quis probaturus *hominem currere*, sumat hocce principium: *animal rationale currit*, profecto petit id, quod in principio quaesitum est, scilicet *num homo currat*, quia, cum homo, et animal rationale sint idem, id, quod quaesitum erat, quodque probandum est, nempe *num homo currat*, per ipsum quaesitum, et probandum probat. Re vera inde hic existit syllogismus: *Animal rationale currit: atqui homo est animal rationale, ergo homo currit* [3].

Secundus modus est, cum quispiam id, quod in parte probare debet, in toto, quod nec probavit, nec concessum ei est, veluti concessum sibi sumit, hoc enim pacto in universali, quod veluti concessum sumpsit, particulare petit. Puta si quis probaturus *omnium contrariorum unam esse scientiam* sumat, veluti principium, illud pronuntiatum universale *omnium oppositorum esse unam scientiam*, et conficiat huiusmodi syllogismum: *Oppositorum est una scientia; atqui contraria sunt opposita; ergo contrariorum est una scientia.*

Tertius modus, qui secundo e regione opponitur, exi-

---

[1]) *Topic.*, lib. VIII, tract. II, c.9, atque *Elench.*, lib.I, tract.III, c. 14. — [2]) *Elench.*, loc. cit.

[3]) Cf Arist., et Albert. M. *ll. citt.* Advertendum tamen est huiusmodi syllogismos non esse sophisticos, immo ne vitiosos quidem, quoties non ad probandum, sed ad magis declarandum aliquid comparantur ; nam, quamvis definitio, et definitum idem per se significent, tamen definitio illud,quod definito obvolvitur,explicatum exhibet. Cons. s. Thomam, *In lib.I Sent.*,Dist.XXV, q.I, a.1 ad 2. Qua autem ratione definitio sit medium demonstrationis, alias dicemus.

stit, quando id, quod probandum in toto est, per omnes eius partes veluti concessum, aut probatum sumitur. Nam, quoniam universale omnia individua, veluti partes, potestate continet, profecto in cunctis partibus universalis ipsum universale petitur. Vt si ad probandum *omnium oppositorum unam esse scientiam* veluti concessum sumatur uniuscuiusque speciei oppositorum esse unam scientiam, ideoque arguatur hoc modo: *Omnium contrariorum est una scientia, omnium contradictoriorum est una scientia, et sic de reliquis; atque hae sunt omnes species oppositorum; ergo omnium oppositorum est una scientia.* Quo quidem in argumento conclusio, uti ex se patet, in praemissis petitur, quia universale, quod conclusio continet, idem est cum suis partibus, quae praemissis continentur [1].

Quartus modus est, cum quispiam postulat concedi sibi divisim, seu in partibus illud, quod coniunctim probandum sibi est, propterea quod coniunctum cum partibus, quae in eo coniunguntur, est unum et idem. Hoc sane pacto id, quod in principio quaesitum est, peteret, quisquis probaturus *medicinam esse scientiam salubrium, et insalubrium*, ita argumentaretur: *medicina est scientia salubrium; medicina est scientia insalubrium; ergo medicina est scientia salubrium, et insalubrium;* « Nihil enim, Albertus M. subdit, aliud est medicinam esse « scientiam sani, et medicinam esse scientiam aegri, quam « medicinam esse scientiam sani, et aegri [2] ».

Denique quintus modus obtinet, si quis duorum, quae se invicem necessario consequuntur, sive, uti Albertus scribit, *correlativorum* unum probaturus, alterum sibi concedi postulet, sive petat. E. g. si quis, cum probandum sibi sit *latus esse diametro incommensurabile*, arguat hunc in modum: *Diameter est incommensurabilis*

---

[1]) « Partes componentes, s. Thomas ait, causant esse totius »; *In lib I Sent.*, Dist. VI, q. II, a. 3 *sol.*

[2]) *Elench.*, loc. cit.

lateri; ergo latus est incommensurabile diametro; vel ut altero exemplo B. Albertus idem declaravit [1], si quis probare volens *Socratem esse patrem Platonis*, conficiat hocce argumentum: *Plato est filius Socratis ; ergo Socrates est pater Platonis*. Hoc autem evenit, quoties correlata aeque ignota sunt ; nam, si unum altero notius est, minus notum e magis noto inferre licet [2].

Si connexionem inter antecedens, et consequens syllogismi, seu *consecutionem*, ἀκολούθησιν, exploraverimus, duo nova genera sophismatum ex ea posse construi facile comperiemus, prout aliquid ab aliquo vel *omnino*, vel *ex parte* consequi falso putatur. Si omnino, fallacia, quae inde construitur, *consequentis*, vel *propter consequens*, παρὰ τὸ ἑπόμενον, vocatur; sin ex parte, fallacia, quae inde existit, dicitur *quod simpliciter, vel non simpliciter*, τὸ ἁπλῶς, ἢ μὴ ἁπλῶς, sive *a dicto secundum quid ad dictum simpliciter*.

Fallacia consequentis, aiente Aristotele [3], existit, quia nonnulli sunt, qui *reciprocari consecutionem*, ἀντιστρέφειν τὴν ἀκολούθησιν, putant. Et sane, in syllogismis *connexis*, qui communi nomine *hypotheticorum* designantur, consecutio, quemadmodum ostensum est, natura sua non reciprocatur, propterea quod, cum unicus effectus ex pluribus, diversisque causis produci possit, sequitur, posito consequenti, non idcirco poni posse antecedens. Puta, quispiam perperam argumentaretur hoc modo : *Si pluit, terra madida est; sed terra est madida, ergo pluit:* nam terra non solum propter pluviam, sed etiam propter alias causas madefieri potest [4]. Iam, ex his patescit

---

[1]) *Ibid.*

[2]) Hinc Albertus M., primo exemplo, quod Aristotelis est, exposito, subdit: « ... horum enim unum convertitur cum alio, et habent eam« dem probationem, et aeque ignotum est unum, sicut aliud. Atten« de tamen, quod si unum per aliud etiam accidens esset notius al« tero, tunc per aliud posset inferri reliquum, et non esset petitio « principii, sed locus a convertibili, et caetera » ; *Topic.*, loc. cit.

[3]) *Op. cit.*, c. 5, t. II, p. 247, ed. Waitz.

[4]) Vid. ea, quae diximus vol. II, p. 360. « Non enim, scribit ad

respondentem in errorem a sophista pertrahi, si regulam, quam modo commemoravimus, prae oculis non habens, ei concedat reciprocari aliquam consecutionem, quae re ipsa non reciprocatur. Hoc autem evenire potest, cum in consecutione simplici, tum in composita. Re vera, connexi consecutio, uti Albertus M. docuit [1], aut *simplex*, aut *composita* esse potest. Consecutio est simplex, quando ex simplici antecedente infertur simplex consequens; puta, si homo est, animal est. Composita vero est, quando ex una consecutione infertur altera, quae illi opponitur, et, quoniam oppositio inter duo vel contraria, vel contradictoria esse potest, ipsa duplex est. « Vna quidem, Albertus M. inquit, quando ex antecedente infertur consequens, et ex opposito antecedentis infertur oppositum consequentis: et haec est inter contraria. Vt si iustitia est virtus, iniustitia est vitium. . . Alia autem est, quando ex antecedente sequitur consequens, et ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis: et haec est inter opposita contradictorie sic: ut si homo est animal, non animal est non homo [2] ».

Huius sophismatis duo sunt praecipui, et proprii modi, iique respondent duobus modis, secundum quos in connexo consequens ab antecedente inferri potest, scilicet vel *necessario*, vel *probabiliter* [3]. Ex antecedente consequens necessario infertur, cum hoc in illo et esse intelligitur, et *actu* est. Duo exempla huius modi, in quibus consecutio simplex est, ab Alberto M. mutuemur [4]. Primum est huiusmodi: *Si est homo, est animal; atqui est animal; ergo est homo.* Quo in connexo τὸ *animal est*, necessario consequitur, *homo est*, quia homo *actu* animal est, nec intelligi potest, quin eum esse animal

« hanc rem B. Albertus, generaliter verum est, quod si, posito antecedente, ponitur consequens, etiam e converso, posito consequente, ponatur antecedens »; *Elench.*, lib. I, tract. III, c. 16.

[1]) *Op. cit.*, lib. et tract. citt., c. 15. — [2]) *Ibid.* — [3]) *Ibid.*

[4]) *Op. cit.*, lib. et tract. citt., c. 16.

intelligatur. Verum, deceptio ex eo oritur, quod cum hac prima consecutione convertitur altera, nempe *est animal; ergo est homo*, quia, cum esse animal sit homini commune cum bellua, posito quod sit animal, inde inferri nequit esse hominem. Alterum exemplum, quo Aristoteles usus est, ab Alberto M. effertur his verbis: « *si mel est, rubeum est: sed hoc, sicut mel, est rubeum,* « *demonstrato felle: ergo fel est mel* ». Certe, posito antecedente, *mel est*, necessario inde fluit consequens, *rubeum est*, quia mel natura sua rubeum est; sed, quoniam rubeum est accidens mellis, perinde ac fellis, dici nequit fel, et mel esse idem, quia utrumque est rubeum. Exemplum eiusdem primi modi, in quo consecutio est composita, nobis suppetit ex s. Augustino: « Ve« rum est, cum dicimus, Si orator est, homo est: ex « qua propositione si assumamus, Non est autem orator; « non erit consequens, cum intuleris, Non est igitur « homo [1] ».

Ex antecedente autem consequens probabiliter infertur, quando, si in aliquo ea sunt adiuncta, quae quemdam hominis statum, vel professionem comitari solent, eum re ipsa illo in statu versari, vel illi professioni deditum esse inde infertur. Huius secundi modi, quem rethorum, non philosophorum proprium esse Aristoteles iure dixit, Albertus, inter alia, hoc adduxit exemplum: « *si aliquis* « *est fur, iste est errabundus de nocte: sed iste est er-* « *rabundus de nocte; ergo est fur* [2] ». Evidens est hocce in syllogismo fallaciam consequentis latere, quia, si recta est prima illatio, *si fur est, noctu errat*, falsa est altera, nempe *si noctu errat, est fur*, dum non solum propter furandum, sed etiam propter alias causas noctu errare contingit [3].

Vt vero, unde deceptio in hocce genere sophismatum oritur, patescat, sciendum est in omni fallacia

---

[1]) *De Doctr. christ.*, lib. II, c. 33, n. 51.
[2]) *Op. cit.*, lib. et tract. citt., c. 16. — [3]) *Ibid.*

consequentis duas consecutiones inveniri ; nam , quoniam deceptio in illa oritur ex eo, quod consecutio reciprocatur, necesse est , ut et quaedam consecutio *recta*, et quaedam consecutio reciproca in ea sint. Audiatur B. Albertus : « Propter quod in omni fallacia con« sequentis necessario sunt duae consequentiae. Una « quidem consequentis ad antecedens , et altera conver« sa istius, antecedentis scilicet ad consequens, quae a« liquando vera est , et aliquando falsa [1] ». Ita in illo connexo , quod ante adduximus : *si est homo, est animal : atqui est animal* ; *ergo est homo* , invenitur consecutio antecedentis ad consequens , quae est *recta* , inter *si est homo*, atque *est animal*, atque invenitur etiam consecutio consequentis ad antecedens; quae est *conversa*, inter *est animal* , atque *ergo est homo*. Quandoquidem autem deceptio non in prima, sed in secunda consecutione locum habet, idcirco, eodem B. Doctore monente, haec *fallacia consequentis*, non vero antecedentis dicta est [2].

Iam, ex his facile illud intelligitur, quod laudatus Albertus M. docuit [3] , *causam apparentiae* in hoc genere sophismatis esse identitatem antecedentis cum consequente in consecutione *recta* , et *causam non existentiae* esse diversitatem consequentis ab antecedente in consecutione *conversa*. Etenim in consecutione *recta* consequens , etsi per se sumtum latius , quam subiectum , pateat , tamen , prout cum antecedenti connectitur , ad ambitum antecedentis cogitur ; quocirca antecedens in illa idem est, ac consequens. At vero , quando in consecutione conversa consequens in locum antecedentis, et antecedens in locum consequentis immigrant, consequens totum suum ambitum resumit , ac proinde diversum ab antecedente efficitur. Rem exemplo declaremus , quod ante adductum est. nempe: *si est homo, est animal; atqui est animal; ergo est homo.* Certe , in connexo , *si*

---

[1]) *Op. cit.*, lib. et tract. citt. c.15. Cf s.Thom., *Opusc.cit.*, c.13.
[2]) *Ibid.*, et c. 16. — [3]) *Ibid.*

est homo, *est animal*, antecedens idem est cum consequenti, quippe quod animal in consequenti non secundum totum suum ambitum, sed prout denotat animal, quod est homo, nempe speciem animalis, accipitur [1]. Contra ea, quando primum connexum convertitur cum altero, *si est animal*, *est homo*, seu, quod idem valet, *est animal*, *ergo est homo*, animal est quidquam ab homine diversum; si quidem, cum animal a notione hominis non determinetur, non speciem animalis, quae est homo, sed universum genus animantium significat. Iamvero, quoniam in consecutione *recta* antecedens est idem, ac consequens, Sophista postulat, ut sibi concedatur consequens in consecutione *conversa* esse quoque idem, ac antecedens. Quod si respondens non advertat consequens, quando connexum reciprocatur, fieri ab antecedente diversum, fallacia consequentis decipitur. Quapropter error in consecutione *conversa* proprie invenitur, sed haec, quoniam cum consecutione *recta*, quae vera est, coniungitur, a veritate huius quamdam speciem, sive, ut Scholae aiunt, *apparentiam* veritatis mutuatur. Hinc intelligis, quam gnaviter ab Aquinate haec fallacia definita fuerit: « deceptio proveniens ex eo quod consequens exi« stimatur esse idem omnino cum antecedente [2] ». Ex hoc capite s. Augustinus Cresconium reprehendit, quod asserebat baptismum e Donatistis esse accipiendum. Cresconii argumentatio huc redibat: *Accipere baptismum bonum est; Donatistae habent baptismum; ergo accipere baptismum a Donatistis bonum est;* quasi hoc consequens idem cum antecedente sit. Scite ipsi respondit s. Augustinus: « Cum vero tam multi tam multa bona habeant « malo suo, quis non videat, cum quaeritur, ubi aliquid « accipiendum sit, non quaeri ubi sit, sed ubi prosit? « Quomodo enim si mihi concederes bonum esse au-

---

[1]) « Quod de aliquo, s. Thomas ait, secundum quod ipsum, dici« tur, ipsum non excedit »; *Cont. Gent.*, lib. II, c. 15, n. 1.

[2]) *Op. cit.*, c. 13.

« rum, concederes etiam latrones quoque habere aurum, « non, opinor, velles, ut ex his duobus concessis con- « cluderem, eum, qui habere aurum velit, in latronum « societate esse oportere: ita, cum et ego concedo bonum « esse Baptismum, concedo etiam Donatistas quoque « habere Baptismum, non debes ex his duobus conces- « sis quasi sequatur concludere, eum, qui habere Bap- « tismum velit, in societate Donatistarum esse debere [1] ».

Ad alterum genus cavillationum progrediamur, quod argumentatio *a dicto secundum quid ad dictum simpliciter* nuncupatur. Istud sophisma, ut ab ipsa appellatione patescit, efficitur, quando ex eo, quod aliquid alicui *ex parte*, seu κατὰ τι, aliqua ratione convenit, hoc ei *omnino*, nempe ἁπλῶς, *absolute* convenire colligitur. Puta, si quis Sophista, quoniam *Similum esse furem bonum* ei concessum est, inde conficiat *Similum esse bonum*. Hinc s. Gregorius Nazianzenus scite eiusmodi captionem definivit his paucis: « Ab eo, quod secundum « rationem quamdam dicitur, ad id, quod simpliciter « dicitur, captiose progreditur haec argumentatio [2] ».

Verum, si frequentius, certe non semper ista cavillatio illo construitur modo, a quo nomen mutuata est: quamobrem diversos eius modos exponamus oportet. Duo potissimum recensentur: sed unicuique horum alii duo subiiciuntur. Et sane, hoc genus captionum in primis committitur, quoties ex eo, quod quidquam est *aliquid*, τι, ipsum esse simpliciter, ἁπλῶς, colligitur, aut e contrario, quoniam non est aliquid, inde conficitur ipsum absolute non esse. Certe, in hisce duobus colligendi modis vitium invenitur, quippe quod, ut probe Stagirita advertit, aliud est *esse aliquid*, εἶναί τι, aliud autem *esse simpliciter*, εἶναι ἁπλῶς, itemque aliud est *non esse aliquid*, μὴ εἶναί τι, et aliud *simpliciter non esse*, ἁπλῶς μὴ εἶναι. Quandoquidem autem vitium in ipsis, propter

[1]) *Contra Crescon.*, lib. I, c. 22, n. 27.

[2]) *Orat.* XXIX, n. 15. ed. cit. Cf Scot., *Op. cit.*, q. I.

quamdam similitudinem, sive, ut Aristoteles ait, *vicinitatem dictionis*, διὰ τὸ πάρεγγυς τῆς λέξεως, latet, vitiosi syllogismi inde conficiuntur, qui mera sophismata sunt. Exempla, quae Aristoteles adduxit, rem aperte declarant, eaque brevibus formulis ab Alberto M. conclusa sunt. Primum ita se habet: *Opinabile*, δοξαστόν, *nempe id, quod sub opinionem cadit, est; atqui id, quod non est simpliciter, uti chimaera est, sub opinionem cadit; ergo id, quod non est, est.* Alterum vero ita: *asinus non est homo; ergo asinus non est* [1]. In priori exemplo id, nempe *opinabile*, quod *esse aliquo modo, et non esse simpliciter* in praemissis dicitur [2], cum eo, quod *simpliciter* est, in conclusione confunditur. Namque *esse*, quod opinabili in conclusione tribuitur, opponitur τῷ *non esse*. Atqui *esse*, quod opponitur τὸ *non esse*, est *esse simpliciter*, quia id, quod est aliquo modo, est, et non est, cum uno modo sit, alio autem non sit. Ergo in priori exemplo id, quod est *aliquid*, sive *aliquo modo*, cum eo, quod est *absolute*, seu *simpliciter*, confunditur. Contra ea, in posteriori exemplo, quoniam in antecedenti dicitur asinum non esse id, quod est homo, idcirco omnino non esse in conclusione colligitur, quasi in rerum natura non aliud sit, quam homo. Quocirca in hocce argumento vitium est, quia quidquam ex eo, quod non est aliquid, simpliciter non esse concluditur.

Praeterea, huiusmodi cavillatio committitur, cum quispiam ex eo, quod aliquid alicui *secundum aliquam rationem* convenit, colligit ipsum ei *simpliciter*, sive *absolute* convenire, vel e contrario, ex eo, quod aliquid alicui *simpliciter* convenit, ipsum ei *secundum aliquam*

[1]) *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 7.

[2]) Quandoquidem res a nobis cognoscuntur, prout sunt, et opinio est cognitio infirma, et imbecilla, ideo Aristoteles docuit id, quod est obiectum opinionis, scilicet δοξαστόν non esse ἁπλῶς, *omnino*, uti est, ἐπιστημονικόν, nempe id, quod est obiectum scientiae, sed *quadamtenus*, πῇ, seu *aliquo modo*, κατά τι.

rationem convenire conficit. Hi quoque modi colligendi laborant vitio, quia duo, quae ab se differunt, scilicet aliquid alicui inesse *simpliciter*, et inesse *secundum aliquam rationem*, confundunt, et quandoquidem vitium in illis ob quamdam similitudinem, quae inter *dictum secundum quid*, *et dictum simpliciter* intercedit, quodammodo occultatur, inter Sophismata iure recensentur. Exemplum prioris modi, quod Aristoteles adhibuit, ab Alberto Magno revocatur ad hunc modum: *Aethiops est niger: ergo non est albus. Aethiops est albus secundum dentes*; *ergo est albus. Ergo Aethiops est albus*, *et non est albus*. Iam liquet repugnantiam postremae conclusionis ex eo progigni, quod, cum in secunda praemissa Aethiops dicatur esse albus dentibus, idcirco eum simpliciter esse album concluditur. Exempla secundi modi, quippe qui haud frequens est, nulla apud Aristotelem inveniuntur; verum Albertus M. plura attulit, puta *Aethiops est niger; ergo est niger dentibus*, aut, *cygnus est albus; ergo est albus pedibus* [1].

Cunctos hosce modos cavillandi ad unicum genus so-

---

[1]) *Ibid.* Cf *ibid.*, c. 8. Hanc rem luculenter s. Thomas explicuit his verbis: « Simpliciter autem hic dicitur, quod nullo addito dicitur, « Sortes est albus, vel Sortes currit. Secundum quid autem dicitur, « quod cum aliquo addito dicitur, ut iste currit bene, vel Sortes est « albus secundum dentem. Hoc autem, quod additur, dupliciter se « habet ad id, cui additur. Nam quandoque non diminuit de ratione « eius, cui additur: et tunc potest procedi ab eo, quod est secundum « quid, ad hoc, quod est simpliciter, ut cum dicitur, Iste currit velo- « citer, igitur currit. Velocitas enim nihil diminuit de ratione cur- « sus... Quandoque vero id, quod additur, diminuit aliquid de ratio- « ne eius, cui additur ut cum dicitur, Aethyops est albus secundum « dentem. Nam haec determinatio, *dentem*, diminuit aliquid de ratione « eius, quod dicitur albus. Non enim potest dici albus, nisi qui totus « est albus, vel secundum plures et principaliores partes: et ideo, si « concludatur, Aethyops est albus secundum dentem, ergo est albus, « est locus sophisticus » (*Opusc. cit.*, c. 10; vid. Scot. *Op. cit.*, q. LI). Hic omnino gemina docuit s. Bonaventura, *In lib. III Sent.*, Dist. XI, dub. 2.

phismatum pertinere nemo sane est, qui non videat. Etenim genera captiosarum argumentationum, uti ab initio monuimus, ex diversitate modorum, quibus falsum sub specie veri exhibent, scilicet, ex diversitate *principiorum deceptionis*, sive *causarum apparentiae* inter se distinguuntur. Iam, cunctis cavillandi modis iam expositis, ut scite observatum ab Alberto M. fuit, unicum principium deceptionis commune est, τὸ πάρεγγυς τῆς λέξεως, *vicinitas dictionis*, nempe similitudo, quae inter *dictum quid*, τι, vel *dictum secundum quid*, κατὰ τι, et *dictum simpliciter*, ἁπλῶς, intercedit. Vnicum igitur esse genus, ad quod modi cavillandi iam enumerati spectant, pro certo habendum est.

Hoc genus sophismatum antiqui, recentesque haeretici valde frequentarunt, ut capitalia dogmata Fidei Catholicae labefactarent. Quod ad antiquos attinet, id neminem profecto latet eorum, qui libros ss. Patrum pervolutarunt. Speciminis gratia commemoramus s. Gregorium Nazianzenum in loco superius laudato hanc fallaciam Eunomianis exprobrasse, quod ex illis verbis I. Christi: *Pater maior me est*, arguerent Patrem esse maiorem Filio, cum ex multis ss. Scripturae locis patescat Patrem non esse maiorem Filio ἁπλῶς, *simpliciter*, sed *secundum quamdam rationem*, scilicet secundum naturam humanam a Filio assumptam, atque s. Augustinum eamdem fallaciam obiecisse nonnullis aetatis suae, quod multa a sanctis viris perpetrata, quae in V. T. laudantur, post adventum I. Christi quoque laudabilia esse contendebant, quasi multa, quae pro illorum temporum conditione licita, immo laude digna erant, nulla non aetate licita esse oporteat. Iam « cavendum, « ait, est, ne forte quod in Scripturis veteribus pro il- « lorum temporum conditione, etiamsi non figurate, « sed proprie intelligatur, non est flagitium, neque fa-

[1]) *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 6.

« cinus, ad ista etiam tempora quis putet in usum vi-
« tae posse transferri [1] »; atque, aliis interiectis. « Multa
« enim sunt, quae illo tempore officiose facta sunt,
« quae modo nisi libidinose fieri non possunt [2] ». In media aetate, ut cetera exempla praetereamus, s. Bonaventura quosdam reprehendit qui, quoniam Christus *secundum quid*, nempe secundum hominem est praedestinatus, eum *simpliciter* praedestinatum esse autumabant. « Non sequitur, ait, (*Christus*) est praedestinatus secun-
« dum hominem; ergo est praedestinatus simpliciter [3] ». In sequentibus aetatibus Anabaptistae, ex eo quod Paulus vetus Testamentum abrogatum fuisse scripsit, coniiciebant ipsum omnino non valere. Quo modo a dicto secundum aliquam rationem ad dictum simpliciter progrediebantur. Paulus enim non sibi voluit vetus Testamentum abrogatum fuisse omnino, sed aliqua ex parte, sive, ut Theologi loqui solent, non in iis, quae ad substantiam, sed in iis, quae ad accidentia spectant. Denique, ut sexcenta alia exempla praetermittamus, omnes Protestantes Ecclesiam Catholicam, eo quod SS. Scripturas in linguas vernaculas versas legi vetat, calumniantur, quasi fideles a lectione SS. Scripturarum absterreat.

Denique, si non materia, aut forma syllogismi sophistici, sed ἔλεγχος, *redargutio*, ad quam syllogismus sophisticus spectat, consideretur, ab ea novum, et postremum genus captiosarum argumentationum construi potest, quod Aristoteles τὴν τοῦ ἐλέγχου ἄγνοιαν vocavit, et Scholastici *ignorantiam elenchi* ad verbum verterunt. Ipsum existit, quando ea, quae in praemissis statuta sunt, veluti opposita in conclusione colliguntur, dum re ipsa opposita non sunt; ex quo efficitur, ut Sophista adversarium redarguere videatur, sed re vera non redarguat. Inde numen *ignorantiae elenchi*, seu *reprehensionis* ac-

---

[1]) *De Doctr. Christ.*, lib. III, c. 18, n. 26.
[2]) *Ibid.*, c. 22, n. 32.
[3]) *In lib. III Sent.*, Dist. XI, dub. 2.

cepit, quia Sophista adversarium reprehendit ex eo, quod ignorat ea, quae ad contradictionem efficiendam expostulantur. Apposite s. Thomas: « Fallacia autem secun-
« dum ignorantiam elenchi est deceptio proveniens ex
« eo quod non observantur ea, quae sunt necessaria ad
« definitionem elenchi, et praecipue ex parte contradi-
« ctionis, unde dicitur ignorantia elenchi, quia accidit
« deceptio solum per hoc, quod diffinitio contradictio-
« nis ignoretur [1] ». Quem secutus Scotus ait: « Et, quia
« sic peccat contra conditiones proprias ipsius Elenchi,
« ideo secundum quamdam excellentiam vocatur igno-
« rantia Elenchi [2] ».

Ex his nullo negotio perspicitur tot modos huius generis sophismatum posse construi, quot sunt ea, quae ad veram contradictionem enunciationum efficiendam requiruntur. Nam, cum, uno horum deficiente, vera, et realis contradictio inter enunciationes desit [3], liquet, vel uno eorum deficiente, quae ad contradictionem expostulantur, locum illi sophismati dari posse, quod ignorantia elenchi vocatur. Iamvero sciendum est quatuor, quemadmodum Stagirita hic advertit, requiri, ut vera contradictio inter duas enunciationes existat, eaque esse, ut enunciationes κατὰ ταὐτὸ, *secundum idem*, et πρὸς ταὐτὸ, *respectu ad idem*, et ὡσαύτως, *simili modo*, seu *similiter*, et ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ, *eodem tempore* sumatur [4]. Namque, ut suo loco dicemus, si enunciationes ex aliquo horum quatuor capitum differant, non sunt eaedem, sed diversae, proindeque, ubi ambae admittuntur, idem non simul ponitur, et tollitur. Hinc quatuor sunt modi, ex quibus sophisma ignorantiae elenchi variare potest. Exemplis id planum fiet, quae Albertus M. secundum Aristotelem explicuit.

---

[1]) *Opusc. cit.*, c. 11. — [2]) *Op. cit.*, q. LV, n. 3.

[3]) Ad rem s. Thomas: « In eis (*contradictoriis*) non importatur « aliqua convenientia »; *In lib. I Sent.*, Dist. V, q. I, a. 1 ad 1.

[4]) *Soph. Elench.*, c. 4, § 4, ed. Didot.

Cavillationem ignorantiae elenchi primo modo admitteret, quisquis argueret hoc modo: *Ista superficies quadricubita est dupla bicubitae secundum longitudinem, et non est dupla ad eamdem secundum latitudinem; ergo ista superficies quadricubita est dupla, et non est dupla ad bicubitam.* Iam, si quis ita arguat, « manifestum est, Beatus Doctor ait, quod omittit hanc conditionem *secundum idem*: nam secundum longitudinem est duplum, secundum latitudinem vero non duplum; et ita non secundum idem affirmat, et negat ». Secundo modo, ignorantia elenchi ab eo committitur, qui conficiat hocce argumentum : *Duo sunt quidem duplum unius, sed non sunt duplum trium; ergo sunt duplum, et non duplum.* Quod quidem argumentum sophisticum est, et ignorantim elenchi continet; « non enim, idem Doctor ait, duplum, et non duplum comparantur *ad idem*, sed duplum ad unum, et non duplum ad tria ». Exemplum tertii modi ita se habet: *in triangulo rectangulo latus oppositum angulo recto non est aequale ob dimensionem duobus aliis lateribus,sed est ipsis aequale virtute,seu potestate, quia quadratum eius est duobus quadratis aliorum duorum laterum aequale; ergo in triangulo rectangulo latus oppositum angulo recto est aequale, et non est aequale duobus aliis lateribus.* Iam conclusio in hac argumentatione ex praemissis non fluit, « quia, aiente eodem Alberto, non affirmat, et negat similiter : sed negat dimensionaliter, et affirmat virtualiter esse aequale ». Denique ad quartum modum illustrandum iam laudatus Albertus hoc exemplum adduxit: « si aliquis primo exhibeat manum clausam, quam statim aperiens sic arguat: manus mea est clausa ; et dicat aperiens, quod manus est aperta: ergo est aperta, et non aperta: vel clausa, et non clausa ». Redargutio, quae in conclusione fit, veritatem prae se ferre videtur, quam re ipsa non habet; si quidem respondens manum esse apertam, et non esse apertam concessit *non eodem tempore*, quemadmodum a sophista in con-

clusione sumitur, sed diversis temporibus: quapropter verae contradictioni locus non datur [1].

Haec cavillatio a recentibus latiori sensu, quam ab antiquis, accepta est, scilicet pro qualibet argumentatione, in qua aliud quidpiam probatur, quam quod probandum est. Si ignorantia elenchi hoc sensu accipiatur, multa eius exempla apud antiquos nobis occurrunt. Ab Epicuro unum sumamus, cuius apud Ciceronem [2], Sextum Emp. [3] et Gellium [4] mentio est. Epicurus enim mortem non esse malam ex eo probabat, quod ipsa neque morituros afficit, cum nondum sit, neque mortuos, cum amplius non sit. Audiamus Lactantium, cuius haec sunt contra Epicurum verba: « At idem nos metu li-« berat mortis, de qua haec ipsius verba sunt expressa. « Quando nos sumus; mors non est; quando mors est, « nos non sumus, mors ergo nihil ad nos. Quam ar-« gute nos fefellit! quasi vero transacta mors timea-« tur, quia iam sensus ereptus est; ac non ipsum mori, « quo sensus eripitur [5] ». Id vitii quoque haereticis ss. Patres saepe exprobrarunt, quorum instar esse potest s. Augustinus contra Iulianum [6], et contra Coelestium [7] disputans.

ARTICVLVS QVARTVS

Cuncta sophismata, quae recensita sunt, ad unicum revocari ostenditur.

Si cuncta, quae de diversis generibus sophismatum hactenus disseruimus, mente reputaverimus, sophismata,

---

[1]) *Op. cit.*, lib. et tract. citt., c. 11.
[2]) *Tuscul. Quaest.*, lib. I, c. 38, et *De Fin.*, lib. II, c. 31.
[3]) *Phyrr. Hypot.*, lib. III, c. 24, sect. 229.
[4]) *N. A.*, lib. II, c. 8, ed. cit.
[5]) *Instit.* lib. III, c. 17, ed. Gallaeus, Lugd.Batav. 1660.Cf Tertullianum, *De Anim.*, c. 42.
[6]) *Cont. Iulian. Pelag.*, lib. VI, c. 5.
[7]) *Contra Coelest.*, lib. II, c. 22.

quotquot sunt, ad ignorationem elenchi, seu redargutionis revocari haud difficulter perspiciemus. Ad cuius rei intelligentiam memoria repetamus necesse est *elenchum*, seu redargutionem esse syllogismum cum contradictione conclusionis, seu syllogismum, cuius conclusio propositioni ab adversario propugnatae contradicit. Iamvero, primo sciendum est redargutionem esse posse vel veram, vel falsam. Nam, si syllogismus vere aliquid concludit, quod propositioni adversarii vere contradicit, redargutio est vera; sin concludere videtur, sed vere non concludit, aut vere concludit aliquid, quod contradicere videtur, sed vere non contradicit [1], redargutio est falsa. Secundo, advertendum est ignorationem *elenchi*, seu reprehensionis duplici ex causa enasci posse. Prima est, cum leges ignorantur, quas ad syllogismum rite conficiendum, atque ad merito redarguendum adversarium observare necesse est; altera vero, cum ob ignorationem alicuius eorum quatuor, quae ad repugnantiam efficiendam expostulantur, ea veluti secum pugnantia obtruduntur, quae reapse secum non pugnant. Ita, si quis Sophista vocem, quae plura significat, bis, et diverso sensu in syllogismo adhibeat, atque inde aliquid colligat, quod propositioni adversarii vere non contradicit, *elenchum* ignorare prae se fert, quia, contra ac prima regula syllogismi iubet, quatuor *terminos* subdole in syllogismum inducit, atque inde illud concludit, quod thesi ab adversario defensae vere non contradi-

[1]) Indubium est sophistam posse conficere verum syllogismum, nec tamen propositioni adversarii contradicere, quia conclusio syllogismi propositionem adversarii non destruit. Hoc explicuit, atque exemplo declaravit B. Albertus his verbis: «... paralogismi ... possunt peccare contra elenchum, nihil peccando contra syllogismum: possunt enim impedire contradictionem, non impediendo syllogismum. Vt si dicatur a respondente, canis est latrabile, et arguatur sic in contrarium: nullus piscis est latrabile: quidam piscis est canis: ergo quidam piscis non est latrabile: est syllogismus in 4 primae (nempe *in quarto modo primae figurae*), et non impeditur, et tamen non contradicit»; *Op. cit.*, lib. cit. tract. IV, c. 7.

cit. Contra ea, si quis veluti sibi contradicentia sumit ea, quae ad idem quidem, sed non secundum eamdem rationem, aut non simili modo, aut non eodem tempore spectant, atque ex hoc quidpiam concludat, quod propositioni adversarii vere non contradicit, ignorationem elenchi committit, quia ignorare prae se fert ea, quae ad veram contradictionem in conclusione efficiendam necessaria sunt [1].

Iam, quin ignoratio elenchi, quae ex secunda causa oritur, speciale genus sophismatum efficiat, nemini dubium esse potest. Namque ipsa, cum ex speciali loco, nempe e defectu alicuius conditionis, ad contradictionem requisitae, petatur, « specialem, aiente B. Alber« to, habet apparentiam decipiendi ». Verum, ignoratio elenchi, quae ex prima causa oritur, cunctis generibus sophismatum, eique ipsi, quod peculiari modo ignoratio elenchi vocatur, communis est; cuncta enim, re penitus inspecta, ad ignorationem elenchi primo modo, scilicet communiter acceptam, tanquam ad unum, et commune principium sui, tandem revocantur [2]. Quod quidem tum *a priori*, nempe ratione, quae ex natura communi omnium sophismatum petitur, tum *a posteriori*, scilicet inductione, quae per omnium sophismatum enumerationem perficitur, idem Albertus M. post Stagiritam luculenter demonstravit.

Et primo, si natura omnium sophismatum communis spectetur, res adeo manifesta est, ut vix probatione indigeat. Re vera, quandoquidem sophisma natura sua aliquid falsi concludit, quod speciem veri habet, necesse est, ut sophismata, cuiuscumque generis sint, falsam redargutionem, licet verae speciem prae se ferentem, contineant, quia falsa conclusione nonnisi falsa redargutio effici potest. Iam, falsa redargutio ab ignora-

---

[1]) Arist., *Op. cit.*, c. VI, § 1, et 10, ed. Didot. Cons. Albert. M., lib., et tract. citt., c. 1, et 3.

[2]) *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 1.

tione elenchi originem ducit. Etenim redargutio, ut modo diximus, est falsa, si non concludit, dum concludere videtur, aut concludit quidem, sed propositioni adversarii non contradicit, dum contradicere illi videtur. Atqui horum utrumque, ut ante quoque monuimus, propter ignorationem elenchi communiter acceptam evenit. In cunctis igitur sophismatis ignoratio elenchi communiter accepta invenitur. At, si cunctis sophismatis quaedam ignoratio elenchi continetur, dubitari non potest, quin cuncta sophismata ad ignorationem elenchi, tanquam ad unicum sophisma, quod omnia complectitur, revocentur.

Nec valde difficile est id ipsum inductione probare. Enimvero, e sophismatis, quae in dictione sunt, *homonymia*, *amphibolia*, et *figura dictionis* ignorationem elenchi, seu redargutionis communiter acceptam manifeste continent. Namque adversarius vere non redarguitur, nisi cum contradictio, quae ei in conclusione obiicitur, sit non solum eiusdem nominis, sed etiam eiusdem rei; siquidem syllogismus, in quo unum, idemque nomen diversa significatione adhibetur, cum quatuor terminos habeat, falsus est [1]; falso autem syllogismo vera contradictio non efficitur. Iam in tribus sophismatis, de quibus agimus, eadem est vox, velut in primo, aut eadem oratio, velut in secundo, aut eadem terminatio dictionis, velut in tertio, sed res semper est diversa. Tria igitur sophismata, quae *homonymia*, *amphibolia*, et *figura dictionis* vocantur, ignoratione elenchi peccant.

Idem fere de tribus aliis sophismatis, quae in dictione sunt, scilicet *de compositione*, *de divisione*, et *de accentu* dicendum est; in his enim quoque vox, vel oratio eadem est, et res, quam vox, vel oratio significat, diversa. Haec uno tantum ex capite, quod identitatem non tollit, a tribus prioribus differunt. Namque in tribus prioribus vox, vel oratio est eadem cum propter materiam, tum pro-

[1]) Vid. vol. II, p. 259.

pter modum, quo profertur: ast in tribus posterioribus materia est eadem, sed diversus est modus, quo utraque in argumentatione sophistica profertur [1]. Et sane, orationis, quae efficit sophisma compositionis, aut divisionis, eadem est materia et cum veluti coniuncta, et cum veluti divisa accipitur; verum diversa est eius prolatio, quippe quod alio modo profertur, cum veluti coniuncta, atque alio, cum veluti divisa accipitur. Ita in exemplis, quae ad huiusmodi fallacias declarandas superius adduximus [2], eadem oratio tam in alterutra praemissarum, quam in conclusione invenitur; sed aliter in illa, ac in ista, profertur, quia in illa divisa profertur veluti divisa, aut coniuncta veluti coniuncta, in hac autem divisa veluti coniuncta, aut coniuncta veluti divisa. Vox vero, ex qua sophisma accentus efformatur, eadem est secundum materiam sive uno, sive alio accentu afficiatur, neque a se ipsa propter diversitatem accentus, quo afficitur, aliter differt, quam quod aliter, prout uno accentu afficitur, aliter prout alio profertur. Aliam autem rem significat in alterutra praemissarum, in qua uno accentu, et aliam in conclusione, in qua alio accentu afficitur. Hinc in fallacia accentus quoque invenitur nomen, quod plura significat. Quod exemplis a nobis minime illustratur, quia cuilibet consideranti ea, quae de fallacia accentus disserentes protulimus, nullo negotio manifestum fit [3].

Haec sophismata, quae *in dictione* versantur, quemadmodum hactenus disputata luculenter commonstrant, ad ignorationem elenchi revocantur ab ea parte potissimum, quatenus contra praecepta iustae redargutionis peccant. Sophismata vero, quae *extra dictionem* sunt, ut mox videbimus, ad ignorationem elenchi reducuntur potissimum ex ea parte, quatenus leges veri syllogismi non servant. Et sane, ut a sophismate plurium interrogationum or-

---

[1]) *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 3.
[2]) P. 54-56. — [3]) Vid. p. 52 et 53.

diamur, hoc in legitimae ratiocinationis leges manifeste peccat. Namque verus, germanusque syllogismus, omnibus consentientibus, is est, qui ex propositionibus proprie dictis conflatur. Iam, propositio ea proprie dici meretur, quae est una, non quae est multiplex; si quidem propositioni uni, ut post Aristotelem Albertus M. advertit, proprie convenit definitio propositionis in se spectatae, in qua unum de uno, ἓν καθ' ἑνὸς, praedicatur [1]. Atqui propositio, per quam plura veluti unum interrogantur, est multiplex, non vero una. Syllogismus igitur, in quo plura veluti unum interroganti respondetur, non est verus, germanusque syllogismus. Qua de re sophisma plurium interrogationum in leges vere, proprieque sumti syllogismi peccat [2].

Eodem vitio laborat sophisma accidentis. Nam quandoquidem in praemissis syllogismi, quo huiusmodi sophisma continetur, medium cum extremis non quidem necessario, sed fortuito coniungitur, connexio conclusionis cum praemissis, sive, ut Scholae aiunt, *consequentia* in eo non est necessaria. Iamvero, natura syllogismi expostulat, ut conclusio ex praemissis necessario fluat. Hinc sophisma accidentis non est verus syllogismus. Ex quo istud quoque genus sophismatum in leges veri syllogismi peccare intelligis. Id autem non solum in dialecticis, sed etiam in demonstrativis syllogismis evenire Aristoteles hoc in loco observavit [3]. Puta si quis ita argumentatur: *Omne triangulum habet tres angulos aequales duobus rectis; sed omne triangulum est figura; ergo omnis figura habet tres angulos aequales duobus rectis.* In hoc syllogismo cum *triangulo*, quod est medium, per accidens coniungitur *esse figuram*, quod est minus extremum, quia triangulo, non prout est figura,

[1]) Vid. Arist., *Op. cit.*, c. VI, § 9, ed. Didot, atque Albert. M., *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 7.

[2]) Cf Albert. M., *ibid.*, c. 7.

[3]) *Op. cit.*, c. cit., § 4.

sed prout est triangulum, tres angulos aequales duobus rectis habere convenit [1].

Idem de sophismatis *non causae ut causae*, et *eius, quod in principio petitur*, demonstrare in promptu est. Re vera, propositiones, quae conclusioni praecedunt, causa conclusionis esse debent [2]; at in syllogismo, in quo fallacia *non causae ut causae* latet, praemissae id continent, quod causa conclusionis non est, τὸ ἀναίτιον. Praeterea legitimi syllogismi conclusio debet esse aliud quid, et diversum ab eo, quod praemissae sunt, quia conclusio est aliquid ignotum, quod per praemissas, tanquam aliquid notum, cognoscitur [3]. Verum conclusio syllogismi, in quo petitio principii latet, non est aliquid diversum a praemissis, quia petere id, quod in principio positum est, ille dicitur, qui illud ipsum postulat sibi concedi, quod concludendum est. Itaque sophismata *non causae ut causae*, et *petitionis principii* contra regulas syllogismi peccant [4].

In sophismate consequentis etiam leges syllogismi violari vel ex eo tantum, uti Aristoteles scite monuit, intelligi potest, quod ipsum ad sophisma accidentis quodammodo revocatur. Enimvero, in connexis, quemadmodum ostensum est, concesso consequenti, necesse non est, ut antecedens concedatur, quia id, quod consequenti continetur, ex alia quapiam causa, quam quae antecedenti continetur, effici potest [5]. Iam, si res ita se habet, consequens ad antecedens, non necessario, sed secundum accidens referri manifestum est. Nam, cum consequens ex alia quapiam causa, quam quae antecedenti continetur, fluere queat, ipsum ad antecedens referri contingit quidem, sed necesse non est; quapropter, quo-

[1]) Vid. Albert. M., *Op. cit.*, lib. et tract. citt.

[2]) Vid. vol. II, c. III, *passim*.

[3]) Vid. vol. cit., p. 250 et 251. De hac re fusius in *Dynamilogia* agemus.

[4]) Coos. Balfour, *Op. cit.*, lib. I, p. 269.

[5]) Vid. p. 81, et 82, et vol. II, p. 360.

ties Sophista ex eo, quod adversarius consequens ei concessit, antecedens quoque veluti concessum sibi sumit, in fallaciam accidentis quodammodo incidit. Quandoquidem vero fallacia accidentis in regulas syllogismi peccat, in ipsas fallacia consequentis etiam peccet necesse est. Nihilominus sophisma accidentis, et sophisma consequentis esse unum, idemque sophisma nemo inde conficiat; unum enim ab alio valde differt, quia in illo termini non convertuntur, in hoc autem semper ita sumuntur, quasi converti possent. E. g., nulla conversio est in hoc sophismate accidentis: *mel est flavum, flavum est color, color est qualitas; ergo mel est qualitas.* E contrario, conversio est in hoc sophismate consequentis: *si fur noctu vagatur, etiam qui noctu vagatur, fur est; atqui Socrates noctu vagatur; ergo Socrates fur est;* quae quidem conversio, uti ante vidimus, vitiosa est.

Hanc demonstrationem, quam Stagirita [1] innuit, praetermittere noluimus, ut adfinitatem, quae inter duo sophismata accidentis, et consequentis intercedit, explicandi occasionem arriperemus. At brevior, et planior nobis suppetit probatio. Aristoteles hoc in loco idem *alio modo*, ἄλλως, ostendi posse dixit; sed quinam sit iste modus, haud patescit. Nobis eiusmodi esse videtur. In omni connexo illud ratum, firmumque est, posito antecedenti, poni et consequens, sed, posito consequenti, non idcirco poni antecedens; atqui in sophismate consequentis ex eo, quod conceditur consequens, sumitur tanquam concessum quoque antecedens; ergo sophisma consequentis regulas legitimae ratiocinationis non servat [2].

Denique id ipsum de sophismatis *dicti non simpliciter*, et *ignorationis elenchi* satis perspicuum est. Enimvero, quisquis sophisma *dicti non simpliciter* parumper consideret, non potest, quin quartum terminum in eo

---

[1]) *Op. cit.* c. cit., § 8, ed. Didot.

[2]) Cons. Albert. M., *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 5.

latere intelligat, quia, si quid modo *absolute*, modo *secundum quamdam rationem* sumatur, ipsum profecto non unum, sed duo sunt. Hoc autem contra primam legem rectae ratiocinationis peccat. Secundum vero, cum aliquid omittat eorum, quae ad contradictionem efficiendam requiruntur, contra leges syllogismi peccat, quia ex praemissis veluti contradicentem propositioni adversarii eruit conclusionem, quae ipsi vere non contradicit. Ex quo patet ignorationem elenchi, prout est peculiare sophisma, revocari ad ignorationem elenchi cunctis sophismatis communem, « non sicut idem ad seipsum, sed sicut speciale ad generale [1] ».

ARTICVLVS QVINTVS

De causis, propter quas singula genera sophismatum respondentem fallunt, et de locis, unde diversa genera sophismatum petuntur, disseritur

Postquam cuncta genera sophismatum exposuimus, eorumque reductionem ad unicum principium patefecimus, necesse est, ut causas, propter quas ipsa respondentem fallunt, ac locos, ex quibus peti a Sophistis solent, exponamus. Haec inquisitio, si dialectico prorsus necessaria est, philosopho supervacanea dici non potest. Etenim, si ad philosophum spectat veritatem non modo demonstrare, sed etiam adversus eius obtrectatores tueri, certe eius valde interest cognoscere, quae sint causae cuiuslibet generis sophismatum, et qui loci, unde petuntur; si quidem, cum causae, saltem generales, locique communes deceptionis in promptu sunt, deceptionem vitare facilius, frequentiusque contingit.

Ex omnibus, quae notiones singulorum sophismatum explicandi gratia diximus, haud difficulter intelligere licet, quaenam sint in illis causae deceptionis. Et pri-

[1]) Verba sunt Alberti M., *Op. cit.*, lib. et tract. citt. c. 4.

mo, sophismata *homonymiae*, et *amphiboliae* nos fallunt, quia τὸ πολλαχῶς λεγόμενον, nempe, illud, quod multis modis dicitur, distinguere non valemus [1], atque, ut idem clarius dicamus, quia ex eo, quod vox est una, eademque, ipsam unum, idemque semper significare putamus. Quocirca unitas nominis in homonymia, et unitas orationis in amphibolia sunt causae *apparentiae*, seu causae, propter quas nomen, et oratio unum significare videntur, atque diversitas illius, quod vox, aut oratio significat, est *causa non existentiae*, hoc est causa, cur una, eademque illa vox unum, idemque re ipsa non significet [2]. Hoc quidem haud difficile factu est. Sunt enim, uti Aristoteles advertit, quaedam aequivoca, quae discernere non omnibus in promptu est, eaque praesertim, quae sunt analoga; puta *unum*, *ens*, et *idem*, de quibus in *Ontologia* disseremus.

Sophismata autem *compositionis*, et *divisionis* illos fallunt, qui in universum nihil referre putant, utrum aliqua coniungantur in oratione, aut seiungantur a se invicem. Ex hoc enim fit, ut, quoties veluti coniuncta illis proponuntur, quae ab se invicem disiuncta sunt intelligenda, et vicissim, hisque assentiuntur, in errorem pertrahantur. Hinc causa *apparentiae* in fallacia compositionis in eo sita est, quod oratio, quae reapse divisa est, eadem secundum materiam cum composita esse videtur, et causa *apparentiae* in fallacia divisionis in eo, quod oratio, quae est composita, eadem secundum materiam esse videtur cum divisa. Causa autem *non existentiae* in utroque genere fallaciae in eo agnoscenda est, quod oratio composita, et divisa secundum formam re ipsa sunt diversae [3].

In sophismate accentus fallimur, quoties significationem vocis per varietatem accentus, aut quantitatis, aut alius accidentis mutatam esse non advertimus. Constat enim,

---

[1]) Vid. Arist., *Op. cit.*, c. XI, t. II, p. 252, ed. Waitz.
[2]) Vid. Albert. M., *Op. cit.*, lib. cit., tract. II, c. 2-4.
[3]) Cons. Albert. M., *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 8.

mutato accentu, aut quantitate, aut genere, aut alio aliquo accidente vocis, sententiam, quam ipsa significat, interdum eamdem manere, interdum mutari. Qua de re, quoties mutatio accentus, aut alius accidentis sententiam voci subiectam mutat, nosque eam haud mutatam putamus, in errorem labimur. Iam liquet causam apparentiae in hac fallacia accentus eam esse, quod, cum vox secundum materiam sit una, unum quoque esse accentum, aut unum genus, aut unam quantitatem eius esse putatur, et causam non existentiae in eo consistere, quod vox, cum diversis accentibus, aut generibus, aut quantitatibus in argumentatione adhibeatur, multiplex secundum formam re ipsa est, multaque idcirco significat [1].

In sophismate, quod figura dictionis vocatur, ὁμοιοσχημοσύνη [2], nempe *similis dictionis figura* est causa *apparentiae;* si quaedam voces, quoniam similem figuram habent, eamdem sententiam habere videntur; ex quo fit, ut facile decipiamur. Causa autem non existentiae in eo posita est, quod illae voces, licet eodem modo desinant, diversas tamen significationes habent [3]. Ab huius generis cavillationibus circa multa, quae maximi momenti sunt, nos posse decipi Aristoteles observavit [4]. Primo enim haec cavillatio in causa interdum est, cur ab una categoria, hoc est, ab uno genere entis, ad aliam gradum faciamus, quia ea, quae ad diversas categorias pertinent, interdum vocibus eiusdem figurae significantur. Puta, si, quoniam *verberare*, et *vapulare* similiter desinunt, ambo eodem modo accipiamus, in deceptionem labimur, quippe quod, cum verberare sit *agere*, et vapulare *pati*, categoriam actionis cum categoria passionis confundimus. Secundo, haec cavillatio in causa etiam est, cur universale cum singulari commisceamus, quoties vox eiusdem figurae

[1]) Vid. Alb. M., *Op. cit.*, ibid., c. 10.
[2]) Arist., *Top.*, lib. IX, c. 6, t. II, p. 249, et c. 8, p. 254, ed. Waitz.
[3]) Cf Albert. M., *Op. cit.*, lib., et tract. cit., c. 11.
[4]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 7, p. 252, ed. cit.

utrumque significat. Id, e. g., fit, cum vox primo ad aliquam essentiam designandam adhibetur, deinceps ad individuum, in quo illa essentia determinata invenitur, significandum pertrahitur. Huc pertinet illud Diogenis Cynici, cuius s. Augustinus meminit his verbis: « Pro- « posuit enim quidam, dicens ei, cum quo loquebatur: « Quod ego sum, tu non es. At ille consensit: verum « enim erat ex parte, vel eo ipso quod iste insidiosus, « ille simplex erat. Tunc iste addidit: Ego autem homo « sum. Hoc quoque cum ab illo accepisset, conclusit « dicens: Tu igitur non es homo [1] ». Vbi vox *homo* in conclusione essentiam hominis universe spectatam, atque in assumptione quemdam singularem hominem, in quo illa essentia determinata invenitur, significat. Quandoquidem abstractas notiones categoriarum, et categorematum, necnon eorum, quae omne genus rerum transgrediuntur, puta ens, unum, bonum, aliaque id genus, callere omnibus pronum non est, scite Aristoteles monuit inter ea, quae simili figura dictionis significantur, haud facile posse discerni, quae eodem, et quae diverso modo dicuntur, eique, qui ipsa discernere valet, nihil fere deesse, ut vere perspiciat, et adversario respondere valeat [2]. « Qui distinguere scit, Albertus ait, ea, quae « pene similia sunt, cum tamen diversa sunt, maxime « sciet annuere (συνεπινεύειν [3]), sive dare in talibus quod « dandum est, et negare quod negandum est [4] ».

Hactenus de sophismatis, quae in *dictione* sunt, in praesentia ad causas, ob quas sophismata extra dictionem posita nos fallunt, exponendas progrediamur necesse est. Quam brevissime nos expediemus, quia de re satis ex se perspicua agitur. A sophismate accidentis fallimur, quippe quod idem a diverso, unum a multis, et quae *necessario*, ab iis, quae *contingenter* de subiecto

[1]) *De Doctr. christ.*, lib. II, c. 31, n. 48. Hoc, aliaque eiusmodi exempla Gellius attulit in *Noct. Att.*, lib. XVIII, c. 13.

[2]) *Op. cit.*, ibid. — [3]) Arist., loc. cit.

[4]) *Op. cit.*, lib. I, tract. V, c. 1.

dicuntur, discernere non valemus. Enimvero, haud raro nos putamus accidens idem esse cum subiecto, cum ab eo sit diversum, aut accidens, et subiectum esse unum, cum sint plura, aut ea, quae de subiecto *secundum accidens*, et *ex parte* dicuntur, *necessario*, ac *omnino* de illo dici, cum ea tantum, quae per se, et universe de subiecto dicuntur, necessario de ipso dicantur, alia non item. Quandoquidem autem haec omnia, uti ante diximus, ex eo fiunt, quod medium esse unum, idemque in utraque praemissa putamus, dum diversum re ipsa est, ideirco in hoc genere fallaciae, ut ex B. Alberto ante monuimus, « identitas medii secundum substantiam « iterati facit apparentiam: diversitas autem eiusdem se- « cundum rationem facit defectum [1] ». Re vera, medium, quippe quod idem est secundum materiam in utraque praemissa, idem in utraque significare videtur; at, quoniam aliter in una, ac in alia praemissa accipitur, duplex re ipsa est, atque aliud in una praemissa, aliud vero in alia significat.

Sophisma consequentis, ut ex dictis facile perspicitur, ab eo causam sui repetit, quod antecedens, et consequens reciprocari arbitramur, quae reciprocare haud licet; puta, si, quoniam fur noctu vagatur, inde colligamus, quisquis noctu vagatur, eum esse furem. Quapropter causa *apparentiae* in isto genere sophismatum illud est, quod antecedens creditur esse idem cum consequente; unde, quandoquidem consequens infertur ex antecedente, ideo antecedens ex consequenti inferri existimatur. Causa *non existentiae* in eo invenitur, quod consequens re ipsa est ab antecedente diversum; unde ab ipso inferri non potest [2].

Fortasse quispiam obiicere posset nos sophismatum accidentis, et consequentis causam assignasse, quae cunctis sophismatis communis est; si quidem deceptio in

---

[1]) *Op. cit.*, lib. cit., tract. III, c. 5.

[2]) Cons. Albert. M., *Op. cit.*, lib. et tract. citt., c. 15.

cunctis sophismatis ex eo oritur, quod idem in sermone, et diversum in re, aut idem, et diversum in re abs se discerni nequeunt. At perperam. Nam, quamvis verum sit in omni sophismate idem cum diverso confundi, et respondentem ex eo decipi, quod unum ab altero discernere nequit; id tamen non impedit, quominus sophismata accidentis, et consequentis sint duo genera sophismatum a reliquis diversa, quippe quod in his specialis quaedam identitas, et specialis quaedam diversitas, scilicet inter accidens, et subiectum, vel inter antecedens, et consequens, inveniuntur [1].

Quod attinet ad cavillationes *ignorantiae elenchi*, nos ab his ideo fallimur, quod animo haud recolentes ea, quae ad contradictionem efficiendam expostulantur, omnino, sive *absolute* opposita ab iis, quae aliquo modo sibi opponuntur, non discernimus. Ex quo patescit causam *apparentiae* in ipso hanc esse, quod ea, quae in duobus syllogismis concluduntur, sibi contradicere videntur, atque causam *non existentiae* in eo inveniri, quod ea reapse sibi non contradicunt [2].

A sophismate autem *dicti non simpliciter* idcirco fallimur, quia id, quod veluti *omnino* idem sumitur, ab eo, quod veluti *ex parte* idem sumitur, non distinguimus. Non semper enim acute discernimus inter ea, quae ἁπλῶς, *simpliciter*, et ea, quae *secundum aliquid*, κατά τι, vel πῇ, *quadamtenus*, vel πῶς, *quodammodo*, vel *nunc*, νῦν dicuntur [3]. Hinc causa *apparentiae* agnoscenda est in hoc, quod id, quod *secundum aliquam rationem* dicitur, ei, quod *simpliciter* dicitur, simile esse apparet, et causa *non existentiae* in hoc, quod unum ab alio re ipsa diversum est [4].

Idem fere de sophismatis *petitionis principii*, *non causae ut causae*, et *plurium interrogationum* sentiendum

---

[1]) Cf Albert. M., *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 2.
[2]) Vid. Albert. M., *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 10.
[3]) Vid. Arist., *Op. cit.*, c. 7, § 8, ed. Didot.
[4]) Cons. Albert. M., *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 7.

est ; haec enim , aiente eodem Stagirita [1], nos fallunt, διὰ τὸ παρὰ μικρόν, *propter discriminis exiguitatem*, hoc est, quia exiguum discrimen, quod inter multa est, prespicere non valemus. Ex eo , quod illud discrimen exiguum non perspicimus , causa *apparentiae* existit , quia nobis esse eadem videntur , quae reapse quodammodo differunt, atque in eo, quod illud exiguum discrimen reapse existit , causa *non existentiae* invenitur. Re sane vera, ut nonnihil de illis sophismatis dicamus , ex sophismate *petitionis principii* decipimur , quippe quod in ipso conclusionem , perinde ac in omni bono syllogismo, ex praemissis necessario fluere videmus. Nam , quoniam connexionem inter praemissas , et conclusionem invenimus, id , quod probandum est , probari putamus, cum illud , uti ante ostendimus, re ipsa non probet, quia idem per idem probat. Sophisma *non causae ut causae* nos decipit , ex eo quod existimamus praemissas esse causam conclusionis , dum huius causa non sunt. Denique causa, propter quam a sophismate *plurium interrogationum* fallimur, ex eo repetenda est, quod propositionem multiplicem accipimus , quasi una sit, propterea quod inter propositionem multiplicem, et propositionem unam quid intersit, perspicere nescimus [2].

Aristoteles , postquam causas aperuit , propter quas captiosae argumentationes non fallunt, locos, ex quibus istae peti possunt , investigavit , explicuitque. Doctores Scholarum hanc theoriam , quam antiqui interpretes diligenter exploraverunt , sibi non omnino negligendam esse censuerunt ; persuasum enim eis fuit, perspectis locis , ex quibus Sophistae captiones suas eruebant , felicius , ac expeditius posse retundi arma haereticorum, qui non raro vestigiis Sophistarum insistunt. Nos, quoniam haec investigatio locorum et a nostrae aetatis institutis magna ex parte abhorret, et parum difficultatis habet, vix pauca inde delibabimus.

[1]) *Op. cit.*, c. cit., § 9, ed. Didot.
[2]) Vid. Albert. M., *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 13, 17, et 20.

Quid nomine *loci* ab Aristotele, aliisque antiquis designatum fuerit, in sequenti capite videbimus, in quo de syllogismo *topico* agemus, quia ad ipsum tractatio locorum, τοπῶν, proprie spectat. In praesentia illud in universum advertimus locos esse quaedam principia, ex quibus, veluti totidem fontibus, argumenta sive dialectica, sive sophistica efformantur. Iam loci, ex quibus sophismata petuntur, diversi sunt, prout diversus est finis, quem Sophista consequi studet. Finium autem, quos Sophista in captionibus concinnandis sibi proponit, tres, ut diximus, praecipui sunt, scilicet *redargutio*, *falsum*, et *paradoxum*, quippe quod Sophista eo maxime spectat, ut respondentem vel redarguat, vel ad falsum, aut paradoxum concedendum cogat. Quod ad redargutionem attinet, de huius locis nihil hic dicendum nobis est. Namque, quoniam antea explicatum nobis est, quomodo ex singulis generibus sophismatum respondens redarguatur, iam loci detecti sunt, ex quibus redargutio peti potest. Quamobrem loci redargutionis nec alii, nec plures sunt, quam diversi modi, secundum quos singula genera sophismatum conficiuntur. Illud cum Alberto M. observemus necesse est ex iisdem locis, qui redargutionem suppeditant, respondentem ad falsum, vel ad paradoxum concedendum duci posse; si quidem respondens non redarguitur, nisi quando ei, si propositionem suam tueri velit, vel aliquid falsi, vel aliquid communi opinioni adversum admittendum esse probatur [1]. Nihilominus, quandoquidem ex locis redargutionis iam enumeratis respondens ad falsi, aut paradoxi confessionem *per consequens*, ut idem B. Doctor advertit [2], non vero *per se* deducitur, non inutile est speciales locos inquirere, ex quibus Sophista cavillationes adversarium ad falsum, vel ad paradoxum ducentes elicere potest.

Horum autem locorum certum numerum, ni fallimur, assignare haud possibile est; si quidem permulti suppetere Sophistis possunt cum ex materia, de qua disputa-

[1]) *Op. cit.*, lib. cit., tract. VI, c. 1.—[2]) *Ibid.*

tur, tum ex conditionibus, in quibus respondens versatur. Praecipuos quosdam, quos Scholastici post Aristotelem exposuerunt, recensebimus. Hi partim communes falso, et paradoxo sunt, partim proprii singulorum. Communium locorum primus ἐκ του πυνθάνεσθαι πως, *ex certo percontandi modo* sumitur [1]. Nam Sophista, si adversarium ad falsum, aut ad paradoxum ducere velit, eum interrogare debet « non omni modo, uti Albertus M. ait [2], « sed quodammodo caute », hoc est, ita, ut quid sibi velit, eum celet. Quod quidem fit, si nullam rem certam ab eo roget; nam, cum respondens nullam rem certam propositam sibi videt, de qua disputetur, parum curat, quid respondeat, atque hanc ob causam facilius in errorem pertrahitur. Secundus locus *a multitudine interrogationum* petitur. Quoties enim illud, de quo disputatur perspicuum est, iuvat Sophistam *multa interrogare*, τό ἐρωτᾶν πολλά [3], ut adversarium multitudine interrogationum veluti obruat, eumque singulis respondere iubeat. Ita efficere poterit, vel ut eum perducat, ubi maior argumentorum copia sibi suppetit, vel ut ab eo sibi aliquid concedatur, ex quo ad falsum, aut paradoxum via sternitur. Hos duos priores locos ab haereticis frequentatos fuisse testes sunt Hieronymus [4], et Augustinus [5], neque a recentibus incredulis neglectos esse is tantum ignorare potest, qui nefarios eorum libros ne a limine quidem salutavit [6]. Tertius locus *a simulato studio discendi* existit. Re vera, si Sophista se non tentandi, sed *discendi studio*, μαθειν βουλόμενον [7], interrogare profiteatur, fortasse fiet, ut respondens minus sibi caveat, atque id, quod ab eo interrogatur, facilius concedat.

Locorum vero, qui proprii sunt *falsi*, vel *paradoxi*, unus dumtaxat ad *falsum* efficiendum spectat. Hic in eo

---

[1]) Arist., *Op. cit.*, lib. cit., c. 12, p. 260, ed. Waitz.

[2]) *Op. cit.*, ibid.—[3]) Arist., *Op. cit.*, ibid.

[4]) *Epist.*, *ad Ctesifontem.*—[5]) *Cont. Crescon.*, lib. I, c. 15.

[6]) Cf Roselli, *Op. cit*, *Log.*, q. XXXI, art. 2, p. 641, not. (1), ed. cit.—[7]) Arist., *Op. cit.*, ibid.

positus est, ut Sophista a re in quaestionem vocata latenter digressus respondentem ad talia ducat, contra quae argumentorum copia ei suppetit [1]. Caeteri loci ad *paradoxum* pertinent. Quorum primum *a varietate sectarum* Sophistae sumunt. Quandoquidem quaelibet secta aliquid tuetur, quod ceterarum opinioni repugnat, Sophista debet inspicere, ex quanam secta Philosophorum, ἐκ τίνος γένους respondens sit, eumque aliquid eorum rogare, quae ab eius secta contra ceterarum opinionem asseruntur. Hoc pacto facile coget respondentem, ne sectae suae adversetur, id palam profiteri, quod communi philosophorum opinioni repugnat [2]. Secundum locum Sophistae ἐκ τῶν βουλήσεων, καὶ τῶν φανερῶν δοξῶν, *ex voluntatibus, et ex apparentibus opinionibus* petunt [3]. Enimvero, haud raro accidit, ut voluntas hominis pugnet cum opinionibus, quas extrinsecus profert, quia homines saepe student honesti, iustique videri, cum mali, iniustique sint. Quamobrem Sophista, si adversarius apertos hominum sermones tuetur, eum ad abditas ipsorum hominum voluntates, quae cum apertis sermonibus pugnare solent, ducere potest, et contra; utrolibet enim modo adversarium ad communi opinioni contradicendum adducet. Tertium locum, eumque sane maioris momenti, et frequentioris usus Sophistae a pugna sumunt, quae naturales inter, et positivas leges existit, aut existere videtur: unde locus παρὰ τὸ κατὰ φύσιν καὶ κατὰ τὸν νόμον ab Aristotele vocatur [4]. Nam Sophista, si adversarius aliquid tuetur, quod est naturae consentaneum, ei legem positivam obiicere potest; si haec legi naturali adversari videtur. Sin aliquid tuetur, quod est legi positivae consentaneum, id legi naturae repugnare ostendet. Hunc locum adhibuit Callicles apud Platonem in *Gorgia*, ut leges inventa timidorum hominum esse argueret. Ipse enim observavit naturam alia animalium robusta, alia imbecilla produxisse, nec voluisse, ut ulla

[1]) Arist., *ibid.*, p. **260**, et **261**, ed. cit.
[2]) Arist., *ibid.*, p. **261**.—[3]) Arist., *ibid.*—[4]) *Ibid.*

lege uterentur, sed ut imbecilla a robustioribus raperentur, et devorarentur, atque e contrario legumlatores, cum aliorum vim metuerent, leges constituisse [1]. Hoc loco ad quaedam praecepta, et consilia Ecclesiae Catholicae labefactanda increduli cum veteres, tum antiqui usi sunt. Ipsi enim Ecclesiam Catholicam per summam iniuriam redarguunt, quod non pauca agenda praecipit, vel consulit, quae humanae naturae, insitisque eius propensionibus omnino repugnant. Quartum locum suppeditat Sophistis dissensus, qui inter opiniones vulgi, et sententias sapientum existere solet; nam sive opinionem vulgi, quae sententiae sapientum, sive sententiam sapientum, quae opinioni vulgi contradicit, respondens sectetur, Sophista ad alteram oppositam idoneis interrogationibus eum perducere potest.

ARTICVLVS SEXTVS.

Quomodo sophismata solvantur, investigatur

Quisquis ea, quae de natura, causis, et locis captiosarum argumentationum disseruimus, probe didicit, modos, quibus ipsae solvendae sunt, iam quodammodo novit. Namque ei, qui causam alicuius captionis perspexit, et locum, unde ipsa oritur, detexit, pronum est, si leges bonae ratiocinationis prae oculis habeat, vitium cognoscere, quo ipsa captio laborat; vitio autem captionis explorato, facilis patet ad eius solutionem via. Nihilominus putandum non est supervacaneam esse doctrinam, quam ex Aristotele, et Scholasticis breviter exponemus, de sophismatum solutione. Etenim, uti Albertus M. post Aristotelem monuit, ad solvendum sophisma satis non est detegere dumtaxat, qua ex parte ipsum contra syllogismi leges peccat, sed praeterea nosse oportet, quomodo, vitio detecto, interroganti ταχέως, *prompte*, nempe sine

[1]) Cf de his omnibus Alb. M., *Op. cit.*, lib. cit., tract. V, c. 1.

ulla difficultate obviam sit eundum. Id autem sine hac doctrina consequi nobis non semper licet [1]; quemadmodum, resolutis figuris geometricis, non semper illas rursus componere scimus [1]. Apposite Waitzius in h. l. Stagiritae inquit: « nam, si non sumus exercitati, quamvis « optime vitii causam cognitam habeamus, tamen vitium « ipsum illico patefacere interdum nescimus, sicut et- « iam in geometricis, analysi facta, in synthesi conficien- « da interdum haeremus [2] ».

Principio, sciendum est sophismatum dari posse solutiones non modo quae verae sunt, sed etiam quae verae esse videntur, dum verae non sunt, quaeque a Scholasticis *apparentes* nuncupantur. Nam, quandoquidem sophisma propositionem, quam respondens tuetur, non redarguit, sed redarguere videtur; ita respondens illud ita solvere interdum potest, ut solvere videatur, dum re ipsa non solvit. Haec autem solutio sophismatum ea est, quae *apparens*, seu fucata nuncupatur. Quae existit, cum sophisma non ita solvitur, ut falsa argumentatio, quam continet, patefiat, sed ita, ut species, qua facile decipit, ei adimatur, patefaciendo illud, cum colligere videatur, re vera non colligere. Quocirca solutio fucata, uti apposite Balforeus advertit [3], « non tam solutio dici debet, quam fuga quae- « dam, et impedimentum futurae conclusionis ». Alexander Aphrod. in h. l. Stagiritae usus est hoc exemplo: si quis Sophista adversarium interroget hoc pacto: num cervus, cum quadrupes sit, bifidus est? et adversarius respondet, certe: quid vero, anne capra etiam bifida? certe; anne et bos? certe; num etiam ovis? certe; num et apes? ita est: omne igitur quod huiusmodi est, est bifidum? Si adversarius hoc concedat, et sophista statim pergat: equus est huiusmodi; equus autem non est bifidus; ergo non omne, quod est huiusmodi, est bifidum, adver-

[1]) Cf Arist., *Op. cit.*, c. 16, p. 267, ed. cit., et Albert. M., *Op. cit.*, lib. II, tract. I, c. 1.

[2]) *Op. cit.*, t. II, p. 559.

[3]) *Op. cit.*, in *lib. II De reprèh. Sophist.*, p. 293.

sarius, si fucata solutione uti velit, redargutionem respuere potest ex eo quod illatio ex praemissis non fluit, quia ipse non concessit omne animal quadrupes esse bifidum, sed *omne animal, quod eiusmodi est*, πᾶν ὃ ἂν ᾖ τοιοῦτον, scilicet omne animal, quod simile enumeratis est, sive omne animal cornutum, πᾶν κερασφόρον [1].

Solutionibus fucatis adversus Sophistas uti graecos Philosophos saepe iuvabat. Cum enim Sophistae, gloriam aucupandi gratia, cavillationes captiosas construerent, profecto ipsi fine suo frustrabantur, si adversarius in illis solvendis non tam caveret, ne reprehenderetur, quam ne reprehendi videretur, quia plerique eorum, qui disputationi aderant, minus veras, quam quae veri similitudinem habent, rationes assequi poterant [2]. Nec solutiones fucatae, postquam graecorum Sophistarum disciplina evanuit, utilitate omnino destitutae sunt. Nam, quoniam haeretici, atque increduli, sanae rationis, veraeque Religionis dogmata impugnaturi, saepe captiosas cavillationes nectunt, e re est interdum illos non tam vere refellere, quam imperitiae in arte sua revincere, ut quodam, si fieri potest, pudore suffundantur, et nonnihil de redarguendi furore remittant. Apposite s. Augustinus: « Sunt verae « connexiones ratiocinationis falsas habentes sententias, « quae consequuntur errorem illius, cum quo agitur; « quae tamen ad hoc inferuntur a bono, et docto ho« mine, ut in iis erubescens ille, cuius errorem conse« quuntur, eumdem relinquat errorem [3] ». Verum enimvero, cum non pauca eorum, quae Aristoteles ad fucatas solutiones conficiendas tradidit, sint magis artificia rethorica, suae aetatis propria, quam logicae praecepta ad scientiam rerum assequendam accommodata, nobis visum est, his omissis, ea tantum ex ipso Aristotele, atque Alberto M. afferre, quibus verae, et scientiae adquisitioni utiles solutiones confici possunt.

[1]) Vid. eundem Balforeum, *ibid.*, p. 290.
[2]) Cons. Alb. M., lib., et tract. citt., c. 2.
[3]) *De Doctr. christ.*, lib. II, c. 31, n. 49.

Principio, iuvabit generales modos sophismata solvendi exponere, ad quos verae solutiones cunctorum sophismatum revocantur. Quod facile expediemus hoc modo: Recta solutio, ut secundum Stagiritam B. Albertus illam definivit [1]; est manifestatio falsi syllogismi; si quidem ei, qui aliquod sophisma vere solvere vult, adnitendum est, ut vitium detegat, quod in ipso latet, quodque in causa est, cur syllogismus sit falsus. Quapropter generales modi, quibus sophismata vere solvi possunt, ex causis generalibus, propter quas syllogismus potest esse falsus, perspiciendi sunt. Iam syllogismus, ut suo loco ostensum est, falsus esse potest, vel quod in materiam, vel quod in formam peccat. Peccat in materiam, si aut ambae praemissae, aut alterutra illarum sunt falsae; peccat autem in formam, si nexus inter praemissas, et conclusionem desideratur. Syllogismus, qui in materiam peccat, in duo genera rursus dividitur, pro eo ut vel ex falsis verum, vel ex falsis falsum colligit. Tertium fingere haud possibile est, quia, ut saepe inculcavit Aristoteles, « Ex veris quidem non licet falsum syllogismo colligere [2] ».

Iamvero ex his nullo negotio intelligitur aliquod sophisma vere solvere volenti primo investigandum esse, anne ipsum in formam peccet, deinde, si ipsum vitio formae haud laborare perspexerit, num conclusio sit vera, an falsa. Si sophisma, quod in formam non peccat, falsam conclusionem habet, ad illud vere solvendum opus est duplici negatione, sive, ut Aristoteles ait, *ἀναιρέσει*. Namque in syllogismo, qui in formam non peccat, et falsam conclusionem habet, vel utraque, vel alterutra praemissarum falsa sit oportet; « non enim, Al- « bertus M. ait, syllogizatur falsum, nisi ex falso [3] ».

---

[1]) *Op. cit.*, lib. II, tract. II, c. 1. En verba Stagiritae: *ἐστὶν ἡ μὲν ὀρθὴ λύσις ἐμφάνισις ψευδοῦς συλλογισμοῦ*; *Topic.*, lib. IX, c. 18, p. 271 ed. cit.

[2]) *Analyt. Prior.*, lib. II, c. 2, § 2, et 3, ed. Didot. Cf *ibid.*, c. 4, § 15, et *Anal. Post.*, lib. I, c. 32, § 1, ed. cit.

[3]) *Op. cit.*, lib. cit., tract. II, c 1. Vid. Arist. in loco ante laudato.

Hinc oportet et ἀνελεῖν, *tollere*, seu negare ambas praemissas, vel alterutram, et δεῖξαι τὸ συμπέρασμα ἔχον οὐχ οὕτως, *ostendere quod conclusio ita se non habet*, nempe quod illa conclusio non est vera [1]. Sin sophisma, quod in formam non peccat, veram habet conclusionem, non plus una negatione ad illius solutionem expostulatur. Etenim, si in sophismate conclusio est vera, utraque, vel alterutra praemissarum falsa sit oportet, alioquin nullus sophismati locus esse posset: quod nemo mirari debet, « quia « verum, eodem B. Doctore monente, sequitur aliquando « ex falsis, vel ex falso [2] ». Quocirca utraque, vel alteru-

---

[1]) *Top.*, lib. IX, c. 18, p. 271, ed. cit.

[2]) *Op. cit.*, ibid. Aristoteles id quoque saepe docuit. Post verba ante allata subdit: « Ex falsis autem verum concludi potest »; atque ibid. (§ 4): « Ex falsis autem verum syllogismo concludere licet, tum « utrisque propositionibus falsis, tum una ». Omissis aliis locis (puta *Op. cit.*, c. 3, et 4 passim, *Anal. Post.*, lib. I, c. 32, § 1, et *De Soph. Elench.*, c. 18, § 2, ed. Didot), lubet hunc exscribere: « Manifestum igitur est, quando sit conclusio falsa, necesse esse, et « ea falsa esse, ex quibus argumentatio constat, aut omnia, aut non- « nulla; quando autem conclusio vera sit, non necesse esse, vera « esse, aut aliquid, aut omnia, ex quibus argumentatio conficitur; « sed fit, ut nihil sit verum in syllogismo, et nihilominus conclusio « vera existat; at non ex necessitate » (*Anal. Prior.*, lib. II, c. 4, § 15). Albertus Aristotelem (*Anal. Post.*, lib. I, c. 32, § 1) secutus advertit id locum habere, quoties « maior extremitas repugnat medio, « et idem medium repugnat minori extremitati, et maior extremi- « tas non repugnat minori extremitati, sed est de consequentibus « ipsam » (*Poster.*, lib. I, tract. V, c. 8), hoc est, de iis, quae naturam minoris extremitatis consequuntur. Exemplum, quod adduxit, est hoc: « omnis lapis est animal, omnis homo est lapis: ergo omnis ho- « mo est animal » (*ibid.*). Quo in sophismate repugnant medio *lapis* ambo extrema, nempe cum *animal*, tum *homo*; at maius extremum *animal* non repugnat minori *homo*, quia, si est homo, consequitur esse animal. Sed idem B. Doctor monuit ex falsis praemissis veram conclusionem aliquando sequi *non per se*, sive, uti Aristoteles ait, οὐ μὴν ἐξ ἀνάγκης, *non ex necessitate* (*Anal. Prior.*, lib. II, c. 4, § 15), sed *per accidens*, quia praemissae falsae possunt esse causa conclusionis verae non ex ea parte, quatenus sunt falsae, sed *ex parte materiae*, hoc est, quatenus ambae, si per medium a conclu- sione dissentiunt, per alterutrum extremum, quod continent, sunt

tra praemissarum, nunquam vero conclusio tollenda est. Ad solvendum vero syllogismum, qui in formam peccat, διαιρέσει, *distinctione*, seu *divisione* opus est. Et sane, syllogismus in formam peccat, vel quia aliqua propositio in praemissis, vel conclusio aequivoca, proindeque multiplex est, vel quia inter praemissas, et conclusionem necessarius nexus desideratur. Iam, si primo vitio formae laborat, distinguendum, seu dividendum est multiplex, quod in aliqua praemissa, vel in conclusione est; sin altero, dividendae sunt praemissae a conclusione, sive ostendendum est conclusionem cum praemissis non connecti. Hinc sophisma, quod vitio formae laborat, solvere oportet, « dividendo, ut Albertus M. ait, multiplex, si « est in propositionibus, vel in conclusione, vel dividendo a praemissis, et ostendendo causam falsae consequentiae ex indebito ordine et forma praemissarum ad « conclusionem [1] ».

---

veluti partes illius. Ita in exemplo, quod adduximus, praemissae falsae non sunt causa conclusionis verae *necessaria*, seu *per se*, quia *hominem esse animal* non est verum ex eo quod *omnis lapis est animal*, atque *omnis homo est lapis*; sed sunt causa eius *contingens*, seu *per accidens*, quia in illis inveniuntur duo extrema, nempe *homo*, et *animal*, quae constituunt hanc conclusionem veram: *homo est animal*. Cum de re adeo subtili agatur, operae pretium est audire ipsum Albertum M.: « Sed praemissae . . . . non possunt esse causa per se, sed per accidens possunt esse causa talis « illationis: non enim sunt causa illationis veri, inquantum sunt falsae praemissae, sed ex parte materiae, sicut duo impares numeri « causa sunt paris, quia par dividitur aliquando in duos impares, « et componitur ex duobus imparibus, sicut senarius ex duobus ternariis, quem non constituunt, inquantum sunt impares, sed per « materiam, per quam sunt duae partes numeri parium. Sic praemissae falsae constituunt conclusionem veram, non inquantum « sunt falsae, sed per materiam, inquantum utraque per terminum « in ea positum est medietas verae conclusionis. Et hoc modo loquendo causa et effectus sunt secundum aliquid unius naturae. Et « hoc modo falsum non est causa veri ut constituens ipsum, sed ut « habens in se aliquid, per quod constituitur secundum materiam»; *Prior. Anal.*, lib. II, tract. I, c. 3.

[1]) *Op. cit.*, ibid. S. Augustinus de solutione sophismatum in uni-

His in universum praestitutis, haud difficile est speciales modos investigare, quibus singula genera sophismatum vere solvi possunt. Atque ab iis, quae *in dictione* versantur, incipientes praemonemus unum esse modum, quo captiones ab homonymia, atque ab amphibolia petitae solvendae sunt. Nam, cum ambae ex eo, quod multiplex, veluti simplex, sive aequivocum, veluti univocum, sumitur, originem ducant, unus debet esse modus ambas solvendi, scilicet accurata distinctio eius, quod est multiplex, et aequivocum [1]. Iamvero, quo hic modus recte adhibeatur, advertendum est τὸ διττὸν, multiplex aut in sumptionibus, quae praemissarum officio funguntur, aut in conclusione inveniri. Multiplex invenitur in sumptionibus huius syllogismi, quem, e. g., Aristoteles attulit: *Qui scit aliquid, intelligit illud: scit autem iambica carmina; ergo intelligit iambica carmina. Atqui quispiam non intelligit iambica carmina; ergo non scit aliqua carmina.* Manifestum est in hoc syllogismo conclusionem, qua Sophista ad redarguendum adversarium utitur, non esse ambiguam, quia multiplicem sensum non exhibet; sed multiplicitatem, ac proinde ambiguitatem inveniri in sumptionibus, quippe quod, ut Waitzius in h. l. advertit, « qui « dicit aliquem scire carmina, aut memoria eum tenere dicit carmina, aut eum intelligere carmina [2] ». Fallaciae amphiboliae, in qua conclusio est multiplex, ac ambigua, Aristoteles exemplum attulit, quod, ni fallimur, e Platonis Euthydemo [3] cepit. Dionysidorus apud Platonem

---

versum nos haec monuit: « De captiosis atque fallacibus ratiunculis « breve praeceptum est. Si male concedendo inferuntur, ad ea, quae « concessa sunt, esse redeundum. Si verum, falsumque in una con- « clusione confligunt, accipiendum inde quod intelligitur, quod expli- « cari non potest, relinquendum »; *Contr. Acad.*, lib. III, c. 13, n. 29.

[1]) Vid. Albert. M., *Op. cit.*, lib. et tract. citt., c. 2. Inde inferre non licet homonymiam, atque amphiboliam esse unum genus sophismatum, quippe quod τὸ διττὸν, multiplex, in prima circa *vocem*, in altera autem circa *orationem* versatur.

[2]) *Op. cit.*, vol. II, p. 565. Vid. Arist., *Op. cit.*, c. 4, et 19, p. 243, 244, et 272, ed. Waitz. — [3]) *Opp.*, t. I, p. 300, ed. H. S.

Ctesippum rogat, an putet posse quempiam σιγῶντα λέγειν, *tacentem dicere*: negat Ctesippus. Regerit ille: quid, cum lapides, ligna, et ferrum dicis, nonne σιγῶντα λέγεις, *tacentia dicis* ? hoc est, nonne loqueris de rebus, quae tacent ? Fortasse Aristoteles hunc locum Platonis prae oculis habuit, cum pro exemplo amphiboliae, in qua conclusio est multiplex, adduxit τὸν σιγῶντα λέγειν, nempe *tacentem dicere* [1]. Et sane, argumentatio Dionysidori ad hanc formam revocatur: *Qui lapides, ligna, et ferrum dicit,* σιγῶντα *dicit; atqui tu lapides, ligna, et ferrum dicis; ergo te* σιγῶντα *dicere certum est.* Iam liquet διττὸν, seu multiplex in huius syllogismi conclusione, non vero in sumptionibus inveniri. Namque σιγῶντα in propositione maiori non aliud denotare potest, quam *tacentia*, hoc est, ea omnia, quae facultate loquendi carent ; at in conclusione, ut scite Albertus M. monuit, si σιγῶντα verbo λέγειν praeponatur, *tacentem dicere*, sin postponatur, *dicere tacentia* significat, cum σιγῶντα utrumque denotare possit [2]. His praestitutis, sophismata, quae ab homonymia, atque ab amphibolia derivantur, διαιρέσει, distinctione commode solvi possunt. Sive enim multiplex sit in sumptionibus, sive in conclusione, et quodcumque sit sive vocis, ut in homonymia, sive orationis, ut in amphibolia, deceptio facile vitabitur, si observetur id, quod a Sophista dicitur, re ipsa esse multiplex, et ambiguum, atque uno modo esse verum, altero falsum [3]. Respondens multiplici sive nomini, sive orationi, si ipsum praesenserit, statim ab initio occurrere debet, ne Sophista inde aliquam conclusionem eliciat, ex qua eum redarguere potest. Quod si ambiguum in sumptionibus latens haud praesenserit, necesse est, ut con-

[1]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 19, p. 272.

[2]) Quod ad homonymiam attinet, illud monitum s. Thomae prae oculis habendum est nomen dici multiplex non ex eo, quod pluries praedicatur, sed ex eo, quod plura significat. « Nominum multi« plicitas, ait, non attenditur secundum nominis praedicationem, sed « secundum significationem; I, q. XIII, a. 10 ad 1.

[3]) *Op. cit.*, ibid.

clusioni resistat. quam ex illis Sophista elicuit, atque aliud quidpiam addat, quod vitium sophismatis detegat. Ita in exemplo, quod ante attulimus, si respondens sine ulla distinctione praemissas concesserit, atque exinde Sophista concluserit σιγῶντα dicere, ille contra regerat posse quidem aliquem τὰ σιγῶντα, nempe *tacentia* dicere, sed non posse, τὸν σιγῶντα, *tacentem* dicere quidquam [1].

Quemadmodum sophismatum homonymiae, et amphiboliae, ita sophismatum *compositionis*, et *divisionis* una est vera solutio, propterea quod, cum contraria ad se invicem referantur, eorum una est scientia. Quaenam autem huiusmodi solutio sit, intelligere planum est. Enimvero, nos a fallaciis compositionis, et divisionis, ut dictum est, decipimur, quia illa veluti coniunctum sumit, quod dumtaxat divisum est verum, haec autem veluti divisum sumit, quod dumtaxat coniunctum veritatem habet. Hinc, ne ab aliquo Sophista per huiusmodi fallacias decipiamur, ea, quae ille sensu composito, a nobis sensu diviso, et quae ille sensu diviso, a nobis sensu composito explicanda sunt. Hoc enim pacto, postquam Sophista uno sensu rem confecit, nos alterum sensum ei contrarium obiicimus, eumque idcirco nos re ipsa non refutasse demonstrabimus. Ita, si quis cavilletur hoc modo: *Quo tu illum percussum vidisti, eo ille percussus est; atqui tu vidisti oculis tuis illum percussum; ergo oculis tuis illum percussisti*, respondendum ei est conclusionem esse falsam. Cuius ratio est, quod in propositione minori verba *oculis tuis* cum verbis, quae sequuntur *illum percussum*, coniuncta accipiuntur; at verba *oculis tuis* dividenda sunt a verbis *illum percussum*, et cum verbo, quod praecedit, nempe *vidisti* coniungenda. Sin Sophista argumentetur hoc alio modo: *Quo ille percussus est, eo percussum vidisti; sed baculo percussus est: ergo baculo vidisti illum percussum*, conclusio huius argumenti est falsa, quia Sophista in propositione maiori

[1]) Cf eumdem B. Albertum, *Op. cit.*, ibid.

sumit veluti coniunctum cum verbis *vidisti* nomen *eo*, quod ab ipso divisum, et cum verbo *percussum* coniunctum accipiendum est [1].

In solutione captionum, quae ab accentu ducuntur, explicanda nihil laboremus necesse est, si quidem vitium in illis parum latere potest. Re sane vera, quandoquidem huiusmodi captiones ex eo derivantur, quod eadem vox in eadem argumentatione vario accentu, aut vario spiritu, aut varia quantitate, aut vario casu adhibetur, nihil aliud respondenti agendum est, quam ut observet vocem ob varietatem accentus, aut alius accidentis, duo significare, indeque fieri, ut conclusio sit falsa [2]. Exempla, ubi naturam huius sophismatis exposuimus, videre licet.

Captiones vero, quae a *figura dictionis* sumuntur, quamvis, uti ante diximus, sint ad fallendum valde accommodatae, nullo tamen negotio ab eo solvuntur, qui diversa genera categoriarum ab se discernere probe novit, quippe quod ipsae ab horum generum confusione maxime ortum ducunt. Puta, ut unicum exemplum adhibeamus, si quis adversarium interroget, num aliquem idem simul facere, et fecisse contingat, et adversarius id posse contingere neget, ille potest e figura dictionis conficere hoc sophisma: *Contingit aliquem idem simul videre, et vidisse; sed aliquem idem simul videre, et vidisse, atque aliquem idem simul facere, et fecisse*

---

[1]) Vid. Arist., *Op. cit.*, c. 20, p. 273, et 274, ed. Waitz, et Alb. M., *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 3. Quanti momenti haec in controversiis theologicis sint, discere licet ex s. Thoma, qui cognitionem contingentium Deo denegantes confutavit hoc modo: « Cum dicitur, omne scitum a Deo est necessarium, haec est duplex, quia « potest esse vel de dicto, vel de re. Si sit de dicto, tunc est composita, et vera, et est sensus: Omne scitum a Deo est necessarium, « quia non potest esse quod Deus sciat aliquid esse, et id non sit. Si « sit de re, sic est divisa, et falsa, et est sensus: Id, quod est scitum « a Deo, necessarium est esse; res enim, quae a Deo sunt scitae, « non propter hoc necessario eveniunt »; *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. II, a. 12 ad 4.

[2]) Cf Alb. M. *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 4.

sunt duo pronuntiata valde sibi cognata; ergo, si contingit aliquem idem simul videre, et vidisse, nihil repugnat, quominus aliquem simul idem facere, et fecisse contingat. Iam adversarius respondere sophistae potest, quamvis *facere*, et *fecisse*, ac *videre*, et *vidisse* terminatione inter se conveniant, tamen non convenire inter se significatione, quia videre non est *agere*, sicuti est facere, sed *pati*. Et sane ex eo, quod aliquis potest idem simul videre, et vidisse, non sequitur posse aliquem idem simul facere, et fecisse, quia si quis illud, quod olim vidit, rursus in praesentia videt, dici potest eum aliquid simul videre, et vidisse: verum, quoniam repugnat illud, quod iam factum est, rursus fieri, non potest dici aliquem simul quidquam facere, et fecisse [1].

Iam ad solutiones sophismatum, quae extra dictionem sunt, accedamus. Et primo, quandoquidem sophismata accidentis, uti ante diximus, forma boni syllogismi destituuntur, consequens est generalem modum illis solvendis idoneum esse illum, quo id, quod Sophista ex praemissis collegit, ex his necessario fluere negatur. Enimvero, hoc genus cavillationum nos decipere potest, quia in ipso quicquid accidenti inest, subiecto etiam inesse sumitur. Ast hoc a vero abhorret; si quidem solum ea, quae secundum essentiam, non vero ea, quae secundum accidens de attributo dicuntur, etiam de subiecto dicantur necesse est. Cuius rei ratio est, quod, cum ea, quae secundum essentiam alicui conveniunt, ab ipso seiungi nequeant, atque ea, quae secundum accidens alicui conveniunt, ab ipso seiungi queant, consequitur in omni subiecto oportere semper inveniri id, quod attributo eius secundum essentiam convenit, sed non semper id, quod attributo eius convenit secundum accidens [2]. Quamobrem ex eo tantum, quod aliquid attributo inesse

---

[1]) Arist., *Op. cit.*, lib. cit., c. 22, p. 274 ed. cit. atque Albert. M., *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 5 7.

[2]) Vid. vol. I, p. 311 et 312.

in praemissis comperimus, id subiecto etiam inesse colligere nequimus, quia fieri potest, ut id, quod inesse attributo perspicimus, ei secundum accidens, non vero secundum essentiam conveniat [1]. Quod cum ita sit, « omni « syllogismo, ut Waitzius in h. l. Stagiritae observavit [2], « quo ad rem ipsam transfertur quod de accidente « praedicatur, ita occurrendum est, ut de re ipsa, et « de accidente idem non necessario praedicari dica- « mus ». Multa exempla ad id declarandum Aristoteles adduxit, ex quibus illud afferre lubet, quod e Platonis Euthydemo [3] sumpsisse videtur, quodque huiusmodi se habet: Si Sophistae interroganti, *Num tuus canis est pater ?* ἦ σὸς ὁ κύων πατήρ ; adversarius suum canem esse patrem neget, et Sophista eum redarguat hoc modo : *Hic canis est tuus; hic autem canis est pater; ergo hic canis est pater tuus;* adversarius conclusionem negare debet, patefaciendo ipsam e praemissis haud fluere. Namque *esse patrem*, ac *esse tuum* sunt duo accidentia, quorum unum ad essentiam alterius non pertinet, quia *canis* potest esse *pater*, quin sit *tuus*, et potest esse *tuus*, quin sit *pater*; unde ex eo, quod adversarius concessit canem et esse *suum*, et esse *patrem*, Sophista nullo iure inde conclusit: *ergo canis est pater tuus* [4].

Quod ad sophisma *non simpliciter dicti* attinet, ne-

---

[1]) Arist., *Op. cit.*, lib. cit., c. 24, p. 277, et 278, Cons. Albert. M., *Op. cit.*, lib. cit., tract. III, c. 1.

[2]) *Op. cit.*, vol. II, p. 571. — [3]) P. 288, ed. H. S.

[4]) Cons. Arist., et Albert. M., *Opp. citt.*, ll. citt. Alium modum, quo fallacia accidentis committi potest, s. Bonaventura nos docuit, ubi ostendit huiusmodi fallaciam contineri hoc syllogismo: *Pater est paternitas; Pater est innascibilitas; ergo paternitas est innascibilitas.* En Seraphici Doctoris verba: « Dicendum quod fallacia acci- « dentis non solum attenditur quantum ad praedicationem acciden- « talem, sed etiam attenditur quantum ad principii variationem, ita « quod in una sola acceptione sua conveniat, in alia sit extraneum. « Sic est in proposito. Nam Pater secundum aliam comparationem « est innascibilitas, secundum aliam est paternitas, ita quod paterni- « tas nullo modo dicit comparationem ad prius, nec positive, nec « privative, quantum est de sua ratione »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIII, a. I, q. 3 *ad arg.*

cesse est respondentem expectare, donec Sophista argumentationem concludat, atque, hac conclusa, patefacere, quomodo conclusio, ob vitium, quod in argumentatione latet, propositioni a se statutae non contradicat. Id autem patefaciet « considerando, scilicet, ut B. Al- « bertus ait, si oppositum conclusionis potest stare cum « praemissa. Si enim hoc cum praemissa stare potest: « tunc ex praemissa non sequitur conclusio: quia cum « quocumque stat antecedens, cum eodem stat conse- « quens. Vnde, si contingit conclusionem aliquam esse « falsam, quod oppositum eius stat cum praemissa: tunc « etiam conclusio non stat cum eodem; et sic non fuit « conclusio sequens ex tali praemissa: et sic manifestata « est causa falsitatis syllogismi [1] ». E multis exemplis, quae Aristoteles attulit, duo seligimus, fortasse non iniucunda, atque ad veterum Scriptorum intelligentiam utilia. Primum est huiusmodi: Si quis Sophista adversarium, qui periurium veluti malum damnat, redarguat hoc modo: *Qui fidem iurisiurandi servat, is sancte iurat; sed qui iurat se peieraturum, et peierat, is fidem iurisiurandi servat; ergo qui peierat, sancte iurat*, adversarius regerere debet se conclusione huius syllogismi haud redargui, quia oppositum conclusioni, nempe: *qui peierat, non sancte iurat*, alterutri praemissarum, nempe: *qui iurat se peieraturum, et peierat, is fidem iurisiurandi servat*, non omnino opponitur. Etenim sanctitas iurisiurandi expostulat non solum ut servetur id, quod iuratum est, sed etiam ut iuste, et sine fallendi animo iuretur; quocirca in allato syllogismo id, quod conclusioni opponitur, ex aliqua parte cum alterutra praemissarum stare potest. Iam, si id, quod conclusioni opponitur, ex aliqua parte cum alterutra praemissarum stare potest, profecto conclusio eidem praemissae ex aliqua parte opponitur, ob idque praemissis non omnino continetur [2].

Alterum exemplum est sophisma Eubulidis e Schola Megarica [3], quod a Graecis ψευδόμενος [4], atque a Tullio

[1]) *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 3.—[2]) Cf Albertum M., *ibid.*
[3]) Vid. Laert., lib. II, segm. 108.—[4]) Laert., *ibid.*

mentiens [1] nuncupatum fuit. Hoc breviter explicare certe supervacaneum non erit; nam, cum haeretici sive ad Sacras Literas depravandas, sive ad dogmata impugnanda ipsum adhibuissent, frequens ipsius mentio apud Patres occurrit [2]. Aristoteles, nomine, et auctore praeteritis, ψευδόμενον, *mentientem*, inter captiones recensuit, quae *dictum secundum quid*, et *dictum simpliciter* inter se non distinguunt, illumque Interpretes ad has duas formas revocarunt: *Qui se mentiri dicit, et mentitur, verum dicit: ergo qui mentitur, verum dicit;* vel e contrario: *qui dicit se mentiri, et verum dicit, is mentitur; ergo qui verum dicit, mentitur.* Ex quo intelligitur sophisma, quod *mentiens* dicitur, eo adversarium adducere velle, ut se simul mentiri, et verum dicere fateatur. Chrysippus [3], aliique veteres Logici hoc sophisma inter ea numerabant, quae ἄπορα, seu, Cicerone vertente [4], *inexplicabilia* dicebant, atque habebant [5]. Verum, aliter

---

[1]) *De Divin.*, lib. II, c. 4.

[2]) Cf s. Hieronym. cum saepe, tum maxime *Epist.* LXXXIII *ad Oceanum*; s. Augustinum, *Contr.Cresc.*, lib.II, c.23, n. 28; Lactantium, *Divin. Instit.*, lib. III, c.6; s.Gregorium M., *Moral.* lib.XX, c.16. Hic sanctus Pontifex in loc.cit.eis respondit, qui Davidem illis verbis: *Omnis homo mendax* (Psal.CXV) ψευδόμενον commisisse autumabant. Vid. Facciolati, *Acroases*, Acroas. *III*, p.36, et 39, ed. cit.

[3]) Cf Laert., lib. VII, segm. 82.

[4]) *Acad.*, lib. II, c. 29, ed. Ernesti. Gellius hanc versionem probavit in *Noct. Att.*, lib. IX, c. 15.

[5]) Stoici, aliique veteres Logici quaedam esse genera sophismatum putabant, quae ex logicae praeceptis solvere haud possibile est (cf Cic., et Gell. *Opp. citt.*, ll. citt.). Horum fortasse principem locum *Mentiens* obtinuit; de huius enim solutione multos libros scriptos fuisse Seneca (*Epist.* XLV) auctor est. Incredibile videtur id, quod apud Athenaeum (*Deipnosophistarum* lib. IX, c.14, ed.cit.) legitur, Philetam Coum, ob nimium in tantula re studium, tabe correptum esse, et tandem fatis cessisse (cons. Menagium, *Annott. in Laertium* lib. II, segm. 108, p.121, et 122, ed.cit., et Facciol., *Acroas.* cit. p. 32). Formulam graecam, qua Eubulides, aut alius fortasse graecus Sophista *Mentientem* exponebat, ab antiquis traditam non accepimus. A Gellio interrogationem propositam invenimus hoc modo: *cum*

res visa est Aristoteli; hic enim facile solvi posse putavit illa generali methodo, qua cuncta sophismata *dicti non simpliciter* solvuntur. Et iure quidem optimo; namque in *mentiente* id, quod in antecedente ex parte est verum, atque ex parte est falsum, conclusio veluti omnino verum, aut omnino falsum colligit; ex quo, ut ante observavimus, efficitur, ut id, quod est oppositum conclusioni, antecedenti vere non opponatur. Enimvero, qui dicit se mentiri, et verum dicit, verum secundum aliquam rationem dicit, quia eum mentiri verum est; sed simpliciter verum non dicit, quia re ipsa mentitur. Item qui dicit se mentiri, et mentitur, secundum aliquam rationem mentitur, quia verum est eum mentiri; sed simpliciter non mentitur, quia, cum dicit se mentiri, verum dicit. Breviter Albertus M. « . . . ponatur « enim, quod aliquis dicat, ego dico falsum: et dicat « falsum: hic enim secundum quid est verus, simpliciter « autem in dicendo est falsus [1] ».

Solutiones reliquorum sophismatum invenire adeo pronum est, ut de illis agere fere supervacaneum sit: quocirca illas brevissime exponemus. Genus cavillationum, quod ab ignoratione elenchi petitur. solvere in promptu

---

mentior, et mentiri me dico, mentior an verum dico? (*Op. cit.*, lib. XVIII, c. 2.) Cicero *Mentientem* exposuerat his verbis: *Si te mentiri dicis: idque verum dicis: mentiri, verum dicis* (*Acad.*, lib. II, c. 29, ed. Ernesti), atque inferius: *si dicis te mentiri, verumque dicis: mentiris, dicis autem te mentiri, verumque dicis, mentiris igitur* (c. 30). Solutio huius sophismatis Dialecticis ex Megara, et Stoa negotium facessebat, quia ratum, decretumque illis erat omne pronuntiatum verum, aut falsum esse oportere; eapropter respondens conclusionem aut asserere, aut negare sine ulla distinctione cogebatur. « Nempe, Cicero ait, fundamentum dialecticae est quid- « quid enuntietur. . . . aut verum esse, aut falsum » (*Acad.*, lib. cit. c. 29). Verum, Aristoteles hanc, aliasque eiusmodi leges, quas Sophistae sanxerant, veluti absurdas reiiciens, voluit nullum esse genus sophismatum, quod ad lancem legitimae ratiocinationis exactum non solvatur.

[1]) *Op. cit.*, ibid., lib. et tract. citt., c. 3.

est « conferendo, uti Albertus M. monuit, conclusionem ad « veram contradictionem [1] », sive τὸ συμπέρασμα, ut Stagirita inquit, πρὸς τὴν ἀντίφασιν [2]. Et sane, quandoquidem huiusmodi cavillationes in conclusione veluti secum pugnantia exhibent, quae secum vere non pugnant, respondens debet concedere praemissas, sed, deducta inde conclusione, patefacere, quomodo in ipsa non inveniantur omnia, quae ad veram contradictionem necessaria sunt. Quod si Sophista ab initio contradicentia interroget, puta num idem possit esse duplum, et non esse, id ab adversario negandum non est, sed respondendum id posse quidem fieri, sed si duplum ad diversa, non vero si ad idem referatur, quia sex, e. g., sunt dupla ad tria, sed non ad quatuor. Ab exemplis abstinemus, cum res et per se sit cuivis obvia, et ex dictis facile perspiciatur.

In solutione sophismatis, quod *petitio principii* vocatur, duplex via terenda nobis est, prout Sophistam petere id, quod probandum ei erat, vel ab initio, vel iam conclusa argumentatione deprehendimus. Nam, si statim ab initio perspicimus Sophistam petere, ut quod probare debet, sibi detur, id dandum ei non est, sed respondendum nos non posse id, quod vult, ei concedere, sed necesse esse, ut illud demonstret. Quod si non ab initio, sed, postquam Sophista in conclusione nos redarguit, perspeximus eum petiisse id, quod probandum ei erat [3], nihil aliud reliquum nobis est, quam ut id, quod nos peccavimus, vitio ipsi Sophistae vertamus. Re vera, nos eum redarguere possumus, quod leges redargutionis ignorat, quia in vera redargutione non est petitione principii utendum [4].

Sophisma *consequentis*, quoniam per connexos syllo-

---

[1]) *Op. cit.*, ibid., c. 4.

[2]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 26, p. 282, ed. Waitz.

[3]) Id ex eo evenit, quod petitio principii, ut monuit Aristoteles (*Anal. Prior.*, lib. II, c. 18, t. I, p. 280, et *Top.*, lib. VIII, c. 5, t. II, p. 227, ed. cit.), interdum est manifesta, interdum autem occulta.

[4]) Cf Waitz, *Op. cit.*, t. II, p. 575.

gismos efficitur, tot modos verae solutionis habet, quot sunt modi, quibus syllogismus connexus falsus esse potest. Iam, syllogismus connexus, qui, ut diximus, nomen genericum *hypothetici* sibi vindicat, duplici ex capite falsus evadit, scilicet vel quod, posito consequente, ponitur et antecedens, vel quod, sublato antecedente, tollitur et consequens [1]. Hinc ad cavillationes id genus solvendas satis est Sophistam redarguere, quod leges colligendi, quae syllogismi connexi propriae sunt, ignorat. Hoc pacto Aristoteles facile solvit illud sophisma, quo Melissus mundum esse infinitum, ἄπειρον τὸ ἅπαν, probabat. Melissus enim cavillabatur hoc modo: *Si mundus est genitus, principium habet; atqui non est genitus; ergo principium non habet. Sed quod non habet principium, est infinitum; ergo* ἄπειρον τὸ ἅπαν, *nempe mundus est infinitus.* Aristoteles Melisso concessit id, quod genitum est, habere principium, sed negavit *idcirco*, διὰ τοῦτο, id, quod est ingenitum, non habere principium. « Non enim, ait, si quidquid genitum est, prin« cipium habet; etiam si quid habet principium, geni« tum est; quemadmodum nec si febricitans est calidus, « necesse est, etiam calidum febricitare [2] ».

Quod ad captiones *non causae ut causae* spectat, advertendum est in illis non esse interimendum primum syllogismum, sed secundum, quia conclusione primi syllogismi veluti principio ad propositionem adversarii explodendam Sophista utitur. Secundus autem syllogismus interimitur, si demonstretur, sublata propositione, quam nos ei concessimus, nihilominus ex aliis in eodem primo syllogismo sumptis conclusionem sequi,

---

[1]) Vid. p. 81, et vol. II, p. 310. Primum caput, ex quo syllogismus connexus in fallaciam *consequentis* evadit, s. Thomas iam adnotaverat his verbis: « Procedit (*fallacia consequentis*) negative « ab inferiori ad superius, cum dictione esclusiva »; *In lib. III Sent.*, Dist. VI, q. II, a. 1 ad 7.

[2]) *De Soph. Elench.*, c. 5, § 7, ed. Didot. Cf *Phys.*, lib. I, c. 3, § 1, ed. cit.

ex qua ipse propositionem nobis concessam redarguere adnisus est. Nam, si conclusio primi syllogismi ex propositione, quam concessimus, non efficitur, haec per illam procul dubio non refutatur. Ex quo planum efficiemus Sophistam veluti causam conclusionis falsae, ex qua nos redarguit, sumere propositionem, quam nos tuemur, dum haec illius causa reapse non est, ideoque nos perperam redarguere.

Denique ad solvendas captiones *plurium interrogationum* distinctio statim ab initio adhibenda nobis est. Nam, quoniam plura, quae a Sophista interrogamur, aut omnia vera, aut partim vera, et partim falsa esse possunt, necesse est, ut singulis seorsum respondeamus, et, si omnia vera esse deprehenderimus, omnia affirmemus, sin partim vera, et partim falsa, ea, quae vera sunt, asseramus, et quae falsa, negemus. Quare in solutione huius generis sophismatum non una, sed pluribus responsionibus opus est, quia, si cunctis interrogationibus unam responsionem adhibeamus, verendum nobis est, ut vel aliquid, quod falsum est, asseramus, aut aliquid, quod est verum, negemus, atque inde Sophista aliquid ad redarguendum nos colligat. Hinc disciplina disputandi iure, meritoque vetat, quominus multiplici interrogationi una, et simplex responsio detur.

Atque de recta solutione sophismatum, quantum res nostra expostulabat, satis, superque.

ARTICVLVS SEXTVS

Nonnullae theoriae recentium Logicorum de natura, numeroque sophismatum expenduntur

Exposita aristotelica sophismatum recensione, quam ss. Patres, et Doctores mediae aetatis post Aristotelem, tanquam veritati consentaneam, omnibusque numeris absolutam, amplexati sunt, non inutile esse putamus nonnullas opiniones recentium Philosophorum expone-

re , non eo quidem consilio , ut ipsas singillatim , atque omni ex parte ad examen revocemus , sed ut quid in universum ab aristotelica differant , et quantum hac etiam in re Philosophi mediae , ac antiquae aetatis recentibus antecellant, patefaciamus.

Atque in primis illud memoria repetendum est, quod initio monuimus , plerosque recentes Logicos sophismata nominasse syllogismos, qui aliquo, quodcumque tandem fuerit, vitio laborant. Puta, ut unum dumtaxat horum principem nominemus, Auctor *Artis cogitandi* « de « diversis vitiosarum ratiocinationum generibus, quae so- « phismata vocantur », acturus , inquit: « Quamvis ex « notis legitimarum ratiocinationum regulis vitiosas de- « tegere non sit difficile ; verumtamen, cum fugiendo- « rum exempla altius animis inhaereant , quam eorum, « quae facienda sunt ; non inutile erit malarum ratio- « cinationum , quas sophismata , seu paralogismos vo- « cant, fontes , causasque aperire, quo facilius illae de- « vitari possint [1] ».

At non est haec, uti ante diximus, vera , germanaque notio syllogismi sophistici, seu sophismatis. Etenim sophisma est syllogismus , qui non quolibet , sed qui occulto laborat vitio , ita ut is , ad quem redarguendum conficitur , facile decipiatur. Quamobrem non omnes syllogismi vitiosi, παραλογισμοί , sed ii, in quibus vitium latet , sophismata dicenda sunt. Praeterea , syllogismi , in quibus vitium latet , dicuntur sophismata, si sint *topici*, seu *dialectici* , non vero, si sint *analytici*, seu *demonstrativi*. Vnde syllogismi , qui ex iis , quae videntur esse necessaria , et non sunt, procedunt , non dicuntur sophismata , sed ii solum , qui procedunt ex iis , quae videntur esse probabilia , et non sunt. Hinc Aristoteles observavit rationem , qua Hippocrates Chius ad circulum quadrandum iniit, etsi reapse circulum non quadraret, dicendam non esse sophisticam, quia ex neces-

[1]) Part. III, c. 19, p. 192, ed. cit.

sariis , seu ex principiis propriis geometriae proficiscitur [1], sed e contrario rationem, qua Bryso usus est, sophisticam esse , quia principiis οὐ κατὰ τὸ πρᾶγμα, *non secundum rem*, hoc est, quae non sunt propria geometriae, sed principiis, quae sunt communia cunctarum scientiarum , innititur [2], unde Brysonem aliquando *sophistam* vocavit [3].

Recentes Logici non solum in notione sophismatis , sed etiam in generibus eius enumerandis vehementer falsi sunt. Id ex eo factum est , quod principia, ex quibus divisiones sophismatum existunt, omnino falsa , ac absurda sectati sunt. Enimvero , Auctor *Artis cogitandi* , postquam novem sophismata , quae a nullo principio derivavit, explicuit [4], illorum usum in scientiis

---

[1]) *Anal. Prior.*, lib. II, c. 25, t. I, p. 260, ed. Waitz, et *Top.*, lib. IX, c. II, t. II, p. 258, ed. cit. Cf Brandis, *Schol.* ad 185 a, 16. De modo, quo Hippocrates circulum quadrandum censuit, videsis Albert. M., *Op. cit.*, lib. cit., tract. V, c. 7, et Blancanum e S. I., *Aristotelis loca mathematica coll. et expl.*, p. 44 sqq, Bononiae 1615.

[2]) *Anal. Post.*, lib. I, c. 9, p. 13, ed. cit., et *Top.*, lib. IX, c. II, t. II, p. 258, ed cit. Re vera, Bryso, descripto circulo inter duo quadrata , quadratum , quod inter illa duo medium esset, circulo esse aequale probavit hunc in modum: Ea, quae iisdem sunt aeque maiora, et minora, aequalia inter se sunt; sed circulus, et quadratum illud medium sunt iisdem quadratis extremis aeque maiora, ac minora; ergo aequalia inter se sunt. Iam liquet ea, quae Bryso, veluti principia huius argumentationis, sumpsit, observante Alberto M., esse *communia* et *logica*, non vero propria geometriae (*Op. cit.*, ibid.). Cf *Schol.* 306 b, 27 sqq, et *Paraphr. Sophist. Elench.*, p. 60, ed. Spengel, Monachii 1842, atque inter recentes Blancanum, *Op. cit.*, p. 70, Montucla, *Histoire des recherches sur la quadrature du cercle*, Paris 1754, et I. Ch. Heilbronner, *Historia matheseos universae*, p. 149, Lipsiae 1742. Sophisticam quoque argumentationem in circulo quadrando Antiphontem commisisse idem Aristoteles ostendit in *Physic.*, lib. I, c. 2; de quo vide Brandis, *Schol.*, p. 211 et 212, et modo laudatos historicos Heilbronner, *Op. cit.*, p. 150, et Montucla, *Op. cit.*, atque *Hist. des mathématiques*, p. 156, ed. 2, Paris an. VII.

[3]) *De Animalium historia*, lib. VI, c. 5, ed. Schneider, Lipsiae 1811. Inferius (lib. IX, c. 11) eum *rethorem* nuncupavit.

[4]) Part. III, n. 19, p. 192-211, ed. cit.

conquirendis situm esse dixit, atque adiecit: « longe « utilius erit ea generatim omnia pernoscere, quae ho- « mines praeiudiciis occaecant in rebus caeteris, iisque « praecipue, quae ad mores spectant, et quae praeter- « ea communi sermoni, colloquiisque materiam sub- « ministrant [1] ». Vnde varias cavillationum species ad haec omnia pertinentes protulit, ac explanavit [2]. Auctor *Institutionum Lugdun.* cuncta sophismata ad duo capita revocavit; unum eorum, quae ad *intellectum*, alterum eorum, quae ad *voluntatem* pertinent [3]. Corsinius vero fallaciis *intellectus*, et *voluntatis* recensendis haud contentus fuit, sed fallacias adiecit *vocum*, nempe quae ex ambiguis, obscurisque vocibus oriuntur, *formae*, seu quae contra leges syllogismi peccant, et *sensuum*, scilicet quae ex eo oriuntur, quod res aliter a sensibus concipiuntur, ac in se sunt [4]. Ant. Genuensis e cunctis sophismatis, quae Aristoteles admiserat, septem tantum recensuit, quin ullam septenarii numeri rationem redderet, iisque se marte suo alia sex additurum dixit, quorum quae a nonnullis Logicis post eum tradi solent, sunt *ad hominem*, *ad verecundiam*, atque *ad ignorantiam* [5]. Rosminius multa sophismata agnovit, eaque ad tria suprema genera revocavit; alia enim a vitio *materiae*, alia a vitio *formae*, alia denique *a fine*, quem disputans sibi proponit, derivanda putavit [6]. Quasdam alias sophismatum divisiones omittimus, quia illae, quas innuimus, satis, superque sunt, ut quantum in sophismatum generibus recensendis, non secus ac in illorum notione tradenda, peccatum a recentibus Logicis sit, ostendere possimus.

---

[1]) Part. cit., c. 20, p. 211.

[2]) Vid. totum caput XX, p. 211-242.

[3]) T. I, *Log.*, Dissert. III, c. 2, art. 5, p. 186-189, ed. cit.

[4]) *Log.*, Part. IV, c. 7-9, p. 260-288, ed. cit.

[5]) *La logica per gli giovanetti*, lib. IV, c. 5, p. 174-189, ed. 5, Napoli 1802.

[6]) *Log.*, lib. II, sez. 3, p. 211-225, ed. cit.

Atque in primis, Auctor *Artis cogitandi*, Antonius Genuensis, aliique multi, quos praeterimus, oppido falsi sunt, quia recensionem, divisionemque sophismatum a nullo principio derivarunt, sed arbitrio, marteque suo adornarunt. Ex hoc enim factum est, 1° ut causam reddere non possent, cur nec plura, nec pauciora, quam quae numerarunt, sophismata agnoscerent; 2° ut scientificam notitiam sophismatum haud traderent, quia scientia in cognitione causarum consistit. Iam haec, quemadmodum diximus, laus Aristotelis fuit, quod omnium cavillationum, quas Sophistae excogitaverant, principia, et fontes detexit, ac exposuit, atque hoc pacto illas ad quaedam suprema genera revocavit, adeo ut hanc partem Logicae non tam excoluisse, quam invenisse dicendus sit.

Praeterea Auctor *Instit. Lugd.*, Corsinius, et Rosminius, qui sophismata ex quibusdam principiis derivanda esse non sunt inficiati, in illis assignandis non parum errarunt. Et sane, omne sophisma, ipsis fatentibus, in quadam vitiosa argumentatione consistit, quia ipsum est argumentatio, quae vitio occulto laborat. Iam, si sophisma est vitiosa argumentatio, principium, ex quo divisio sophismatum accipitur, in ipsa argumentatione quaerendum est, quia argumentatio non alia ex causa dici potest vitiosa, quam quod aliquod vitium ipsi inest. Atqui *voluntas*, atque *intellectus*, quae Auctor *Instit. Lugd.* tanquam principia divisionis sophismatum agnovit, *sensus*, quem inter alia ipsis Corsinius adiecit, et *finis disputantis*, quem cum *forma*, et *materia* Rosminius assignavit, syllogismum haud ingrediuntur, sed extra ipsum vagantur. Ergo divisiones sophismatum, quas laudati Logici statuerunt, et propugnarunt, falsae, absurdaeque sunt. Contra ea, vitium in syllogismo, quemadmodum diximus, nonnisi vel voces, sive enunciationes, ex quibus efficitur, vel res, circa quas versatur, gignere possunt; quocirca non alia divisio sophismatum admittenda est, quam quae ab Aristotele, atque a Scholasticis constituta fuit, scilicet illorum, quae *in di-*

ctione, atque illorum, quae *extra dictionem* versantur.

Sed advertendum quoque est, si non principia interna, nempe elementa, quae syllogismum constituunt, sed principium efficiens, seu causa exterior, quae ipsum efficit, consideretur, vitia, quae in syllogismum irrepunt, nec *voluntati*, nec *sensui*, nec *fini disputantis* posse adscribi. Non quidem voluntati. Nam, cum alia facultas, fatentibus ipsis adversariis, sit intellectus, alia autem voluntas, actus unius cum actibus alterius confundi nequeunt. Atqui ratiocinatio est actus intelligendi, non vero volendi. Ergo vitia, quae in ratiocinationem irrepunt, intellectui, non vero voluntati adscribenda sunt. Certe, voluntas, uti alias videbimus, non raro in causa est, cur intellectus potius uno, quam alio modo, de rebus iudicet, et ratiocinetur; sed, quocumque modo voluntas ad actus intellectus concurrat, certum est intellectum, non vero voluntatem esse causam, quae illos exercet. Nos non latet Cartesio, eiusque discipulis illam sententiam placuisse, quod iudicium non intellectus, sed voluntatis opus sit; sed ipsi, quemadmodum in *Dynamilogia* ostendemus, quam longissime a vero aberrarunt. Nec sensui tribui possunt vitia, quae in syllogismum cadunt. Etenim, si negari non potest sensus, quoties rite non adhibentur, falsum renuntiare, seu res, aliter ac sunt, exhibere [1], ne illud quidem negari potest non ad ipsos, sed ad intellectum pertinere iudicia, et ratiocinationes, quae de sensuum testimoniis efformantur [2]. Non demum fini, quem disputans sibi proponit, vitia syllogismi tribui queunt; siquidem finis non est illud, quod argumentationem vitiat, sed illud, cuius assequendi gratia disputans argumentationem

[1]) « Secundum quod, s.Thomas ait, sensus disponitur, secundum « hoc dispositionem suam intellectui demonstrat; unde Augustinus « dicit,quod sensus non possunt omnino renuntiare,nisi affectionem « suam »; *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. I, a. 11 c.

[2]) Audiatur rursus sanctus Doctor: « Veritas, et falsitas praeci- « pue in iudicio animae existunt »; *Ibid.*, q. I, a. 10 c.

vitiosam efformat. Quocirca Rosminius principia, ex quibus distributio sophismatum in sua genera petenda est, cum metis, seu finibus, quos Sophistae sibi proponunt, et quorum tres praecipuos ante explicuimus, imprudens confudit. Nec aliqua sophismata *formae*, tanquam genus speciale sophismatum, agnoscenda sunt; si quidem cuncta genera sophismatum, uti ex disputatis luculenter perspicitur, aliquo vitio laborant, quod *formam* syllogismi corrumpit.

Expungenda porro sunt e numero sophismatum ea, quae *ad verecundiam*, *ad hominem*, atque *ad ignorantiam* Genuensis vocavit. Quod ad primum attinet, Genuensis sophisma *ad verecundiam* illud appellavit, quo falsa thesis auctoritate probatur illustrium virorum, a quibus sine verecundia dissentire non licet; at perperam. Nam, si argumentatio vitium aperte continet, ipsam, quantacumque sit auctoritas virorum, a quibus propugnatur, reiicere magna laus est, nedum sine verecundia reiici nequit, quia, uti s. Augustinus ait, « auctoritate « quidem decipi miserum est [1] ». Sin vitium in argumentatione latenter invenitur, eo minus pudere respondentem debet gravium virorum auctoritatem respuere, quippe quod, quoties vitium argumentationis non est manifestum, fieri certe potest ut nonnulli vel gravissimi Philosophi illud non advertant: unde huiusmodi argumentationes, licet eorum calculo comprobentur, explodere nemini verecundiae esse debet. Iam, quoniam nemini verecundiae esse debet thesim a gravibus Auctoribus assertam respuere, si argumentatio, qua ipsa propugnatur, aliquo vitio sive occulto, sive manifesto laborat, falsa argumentatio, quam disputans calculo sapientum comprobat, sophisma *ad verecundiam* dici non potest [2].

---

[1]) *De utilit. credendi*, c. 16, n. 34.

[2]) Apposite s. Augustinus: « Pudet imbecillitatis, cum rationi ro- « borandae hominum auctoritas quaeritur, cum ipsius rationis ac

Argumentatio autem *ad hominem* inter sophismata numerari non potest. Ipsa in eo consistit, quod disputans falsam propositionem in argumentatione assumit, quia adversarius illam pro vera habet, atque *ad hominem* vocatur, quia a propositione proficiscitur, quam adversarius concessit. S. Thomas ipsam appellavit demonstrationem *ad aliquem*, quia ad aliquem revincendum spectat, atque etiam ad *positionem*, quia alicui principio, quod, consentiente adversario, *positum* est, innititur [1]. Iam huiusmodi argumentatio interdum aliquid utilitatis habet: tantum abest, ut inter sophismata numeranda sit. Et sane, ipsa, si ad aliquam thesim probandam adhibeatur, falsa est, quia, cum ex falso principio vera conclusio deduci per se non possit, argumentatio aliquid concludere videtur, dum re ipsa nihil concludit. At, si ad revincendum protervum aliquem adversarium usurpetur, imbecilla quidem, sed non omnino expers roboris est, quippe quod, etsi propositio, a qua proficiscitur, sit falsa, tamen ab adversario, quocum pugnatur, veluti vera habetur. E contrario, sophisma est argumentatio, in qua disputans aliquod vitium occultat, ut adversarium imprudentem, si fieri potest, decipiat. Naturam huius argumentationis quam *ad hominem* appellant, ad unguem s. Augustinus expressit: « In falsis sententiis, connexio-
« nis veritas est isto modo : faciamus aliquem concessis-
« se, Si animal est cochlea, vocem habet; hoc concesso,
« cum probatum fuerit vocem cochleam non habere,
« quoniam consequenti ablato illud, quod praecedit,

« veritatis auctoritate, quae profecto est omni homine melior, nihil « deberet esse praestantius »; *De Music.*, lib. V, c. 5, n. 10.

[1]) « Dicitur, s. Thomas ait, simpliciter demonstratum ad eius dif-
« ferentiam, quod demonstratur in demonstratione, quae est ad a-
« liquem, et non simpliciter » (In lib. V *Met.*, lect. VI). Duplicis huius demonstrationis discrimen sanctus Doctor alibi exposuit his « verbis: Aliter argumentandum est ad eum qui simpliciter intendit « veritatem, quia ex veris oportet procedere: sed qui arguit ad posi-
« tionem, procedit ex datis »; In lib. I *De Anim.*, lect. VI.

« aufertur, concluditur, non esse animal cochleam. Quae « sententia falsa est, sed ex concesso falso vera est con- « clusionis connexio. Veritas itaque sententiae per seipsam « valet: veritas autem connexionis ex eius, cum quo a- « gitur, opinione, vel concessione consistit. Ideo autem « infertur vera connexione quod falsum est, ut eum, « cuius errorem corrigere volumus, poeniteat concessis- « se praecedentia, quorum consequentia videt esse re- « spuenda [1]».

Denique ne illud quidem sophisma admittendum est, quod *ad ignorantiam* vocant. Hoc nomine illa argumentatio designatur, qua disputans adversarium probationes suas admittere cogit, non aliam ob rationem, quam quod adversarius meliores afferre non potest. Verum, ista argumentatio eiusmodi est, ut neminem decipere possit; quisquis enim novit probationes disputantis non idcirco pro veris habendas esse, quod adversarius illis meliores concinnare non valet. Non est igitur sophisma dicendum, quia sophisma, ut saepe diximus, est argumentatio adeo concinnata, ut adversarium facile decipere possit [2].

Denique, ut alia praetereamus, Auctor *Artis cogitandi*, eiusque sectatores, et nuper Rosminius falsi quoque sunt, quod errores, qui ex obiectis specialium scientiarum in syllogismum irrepunt, ad specialia genera sophismatum revocarunt. Ita Auctor *Artis cogitandi* fallaciis, quas veluti cunctarum scientiarum communes consideravit, alias adiecit, quae ad ethicam maxime spectant; unde quaedam sophismata a *philautia*, sive *amore sui ipsius*, ab *utilitate*, ab *affectibus*, aliisque id genus ducta agnovit [3]. Rosminius vero, praeter alia, octo sophismatum genera recensuit, quae a *materia* syllogismi pe-

[1]) *De Doctr. christ.*, lib. II, c. 33, n. 51.

[2]) De hisce tribus, aliisque fallaciis, quas ceteris adiiciendas esse Genuensis voluit, consulendus est Rosellius, *Op. cit.*, *Log.*, Quaest. XXXI, art. 1, § 1225 sqq, ed. cit.

[3]) Vid. *Op. cit.*, loc. cit.

tuntur [1]. Vt unum horum, e. g., afferamus, ipse genus sophismatum agnovit, quae a *non intellecto infinito*, sive *absoluto* efficiuntur, atque ex sophismatis huiusce generis *anthropomorphismum*, *idololatriam*, *atheismum*, atque *ignavam rationem* originem duxisse dixit. Quorum quatuor sophismatum, si propriis vocibus ea donare collibuerit, primum *Anthropomorphia*, secundum *Idolatra*, tertium *Atheus*, et quartum *Piger*, eius iudicio, vocari possent [2].

Ast horum Logicorum error satis ex se manifestus est. Nam sophistices, non secus ac topices, et demonstrativae, obiectum non sunt, uti antea vidimus, singulae species entium, quae in natura existunt, sed est ens universe spectatum, seu ens, prout est ens [3]. Quocirca sophistices non est inquirere cunctas cavillationes, quae in singulis scientiis construi possunt, sed quasdam illarum species, ad quas revocari cavillationes propriae singularum scientiarum possunt. Quod quomodo fieri possit, haud difficile est intelligere. Nam, quemadmodum principia specialium scientiarum ad principia metaphysicae reducuntur, quia haec de ente in universum, illae de certis, definitisque speciebus entis tractant; ita fallaciae, quae in singulis specialibus scientiis gliscere possunt, eiusmodi esse debent, ut ad suprema genera fallaciarum, quae sophistica recenset, ac explicat, reducantur, quia sophistica, ut initio monuimus, perinde ac metaphysica, circa ens universe spectatum, licet aliter, ac ipsa, versatur. Ex quo patet verae sophistices, quae non spernenda pars logicae est, haud peritos sese praebuisse cum Auctorem *Artis cogitandi*, qui sophismata ethica, veluti genera sophismatum ab aequivocatione, a petitione principii, aliisque novem aristotelicis differentia, admisit, tum Rosminium, qui sophismata, quae ad materiam spectant, ab iis, quae propria formae sunt, discrevit. Certe, ut iam ostendimus, admittenda nobis sunt non

[1]) *Op. cit.*, loc. cit. — [2]) *Op. cit.*, ibid., art. 11, p. 212, et 213.
[3]) Cf p. 13.

modo sophismata, quae a voce, aut ab oratione oriuntur, sed etiam sophismata, quae ipsam materiam syllogismi a voce, aut ab oratione significatam spectant. Verum, haec materia non alia esse potest, quam quae obiectum logicae est, scilicet ens universe spectatum, proindeque nullum ens speciale, quod sit alicuius scientiae obiectum. Ita, quo res exemplo clarior fiat, petitio principii inter sophismata, quae materiam syllogismi spectant, numeratur, quippe quod illo disputans pro concesso, aut demonstrato sumit principium, quod nec adversarius concessit, nec ipse demonstravit. At, cum de ipso in logica disseritur, non significatur quidquam determinatum, quod disputans tanquam concessum, aut demonstratum sumit, sed quidquam universe spectatum, quodque idcirco diversum in diversis scientiis esse potest. Quocirca, cum in aliquo genere rerum disputans pro concesso aliquid sumit, quod ab adversario concessum non est, neque ab eo demonstratum, fallaciam committere dicitur, quae ad petitionem principii, velut singulare ad speciem, seu genus, cui subiicitur, pertinet.

Exempla vero, quae ad illorum sophismatum naturam illustrandam iam laudati Logici, aliique permulti recentes attulerunt, vel revocantur ad genera sophismatum, quae secundum Aristotelem explicuimus, vel non sunt sophismata, sed meri paralogismi, seu falsi syllogismi, aut longae demonstrationes, quae aliquo manifesto vitio laborant [1]. Et sane, quis non miretur Rosminium notionem sophismatis adeo pervertisse, ut *Anthropomorphiam*, *Idolatram*, ac *Atheum* veluti specialia sophismata spectaret? Quod ad *Rationem ignavam* spectat, hanc a Stoicis inter sophismata, quae ἄπορα, *in-*

---

[1]) « Inter multa vera, s. Thomas ait, quae demonstrantur, inveni« tur aliquando aliquid falsum, quod non demonstratur, sed aliqua « . . . sophistica ratione asseritur, quae interdum demonstratio re« putatur »; *Contr. Gent.*, lib. I, c. 4.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

explicabilia, vocabant [1], numeratum fuisse inter omnes constat. *Ignava ratio*, ἀργὸς λόγος, construebatur, aiente Tullio, hunc in modum : « Si fatum tibi est ex hoc « morbo non convalescere, sive medicum adhibueris, sive « non, convalesces: item, si fatum tibi est ex hoc morbo non convalescere, sive medicum adhibueris, sive « non, non convalesces, at alterutrum fatum est: medicum « ergo adhibere nihil attinet [2] ». Nomen habuit *Ignavae rationis*, quia per ipsam homines ignavi, et inertes fiunt. Nemo autem non videt hanc cavillationem *inexplicabilem* nonnisi iis posse videri, qui, Stoicorum exemplo, actiones cum divinas, tum humanas *fato*, sive indeclinabili necessitati subiiciunt [3]. Verum, quisquis, non dicam, Catholicus, sed rationis suae compos pro Fato Providentiam admittit, libertatemque humanarum actionum fatetur, miserrimum esse sophisma *Ignavam rationem* facile comperit [4].

---

[1]) Vid. p. 124, not. 5. — [2]) *De Fato*, c. 12.

[3]) Seneca fatum definivit: « necessitatem rerum omnium, actio- « numque, quam nulla vis rumpat » (*Quaestion. natural.*, lib. II, q. XXXVI, *Opp.* t. V, p. 227, ed. Ruhkopf, Aug. Taurin. 1831). Cicero ante ipsum dixerat fatum esse « ordinem, seriemque causa- « rum, cum causa causae nexa rem ex se gignit »; *De Divin.*, lib. I, c. 55. Cf s. August., *De Civit. Dei.*, lib. V, c. 8.

[4]) Huic sophismati cognata esse videntur alia duo, quorum unum *Rationem metentem*, λόγον θερίζοντα, sive una voce *Metentem*, aliud *Rationem dominantem*, λόγον κύριεύον, Graeci vocabant. Primum Ammonius (*In lib. Arist. De interp.*, sect. 2, c. 10) hoc modo profert: « Si « messurus es, non fortasse metes, fortasse non metes, sed metes omni- « no; contra si non es messurus, omnino non metes: alterutrum enim « necessario futurum est ». Vnde nihil de messibus laborandum esse Sophistae statuebant. Alterum, quod ab Arriano (*De Serm. Epict.*, lib. II, c. 19) refertur, circa possibilia versatur, isque tribus pronunciatis nititur: 1° *Omne praeteritum ex ipsa necessitate rei verum est;* 2° *Ei, quod fieri nequeat, id, quod fieri potest, non esse consequens;* 3° *Non posse id fieri, quod neque verum sit, neque verum futurum sit.* Ex his more dialectico connexis omnia ex necessitate fieri, fatumque unum in Deos, hominesque *dominari* concludebatur. Vid. de tribus hisce sophismatibus, seu potius tribus modis eiusdem sophismatis Iacob. Facciolati, *Acroases*, Acr. V, p. 55-68, ed. cit.

Atque haec de doctrina sophismatum exponenda censuimus. Quae neminem veluti inutilia reiecturum confidimus, si quidem, uti iam diximus, philosophi est omnes, quaecumque sint, vias indigitare, per quas errori in disputationibus locus dari potest. Lubet hanc tractationem claudere hoc praeclaro monito s. Augustini: « Error, quanta possumus cura, cavendus est non so-
« lum in maioribus, verum etiam in minoribus rebus . . .
« Vsque adeo rationalis natura refugit falsitatem, et,
« quantum potest, devitat errorem, ut falli nolint etiam
« quicumque amant fallere [1] ».

CAPVT SECVNDVM

De syllogismo dialectico, seu topico

INTRODVCTIO

Hactenus ex instituto syllogismi sophistici examine didicimus, quomodo a vitiis, quae in syllogismo latere possunt, cavendum nobis sit. In praesentia opus nobis est syllogismi dialectici tractationem aggredi, ut quibus mediis circa ea, quae in quaestionem adducuntur, probabile, vel verisimile expiscari nobis licet, perspiciamus. Sed in antecessum, unde vox *dialecticae* originem duxerit, quid illa voce ab antiquis designatum sit, et quae fortuna dialecticae cum in antiqua, tum in nova aetate fuerit, breviter edisserere iuvabit.

Dialectica ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι, *a colloquendo* derivata est [2], quippe quod, ut Buhleus inquit, « post Zenonem (in opere

---

[1]) *Enchir.*, c. 17.

[2]) S. Augustinus hanc vocem latine verti posse *disputatoriam* putavit. « Nomen quippe, ait, graecum est dialectica, quae, si usus « admitteret, fortasse latine disputatoria vocaretur; sicut grammati-« cam litteraturam latine, linguae utriusque doctissimi appellave-« runt »; *Contr. Crescon.*, lib. I, c. 14, n. 17. De vi huius vocis videre licet Patritium, *Discuss. Perip.*, t. II, lib. I, p. 181, Basileae 1581.

« deperdito Ἐριδες), et Parmenidem ex Elea res ad philo-
« sophiam pertinentes per colloquia, hoc est, per interro-
« gationes, et responsiones tractandi mos invaluit, a-
« deo ut ratiocinatio vocata fuerit interrogatio. Iuxta
« hanc methodum respondens tenebatur ad singulas e-
« nunciationes sententiam interponere, ut ex concessis,
« aut negatis argumentatio concluderetur [1] ». Hoc sane Buhleus, ut alios taceamus, a Laertio didicit, qui dialecticam definivit hoc modo: « Dialectica est disputandi ars,
« per quam aliquid aut probamus, aut improbamus, ex
« interrogatione itidem, et responsione disserentium [2] ». Auctor nominis fuit Dionysius Chartaginiensis; hic enim, eodem Laertio teste, primus omnium, Megaricos *Dialecticos* nominavit: « Quos, ait, ita primus Dionysius
« Carthaginiensis idcirco appellavit, quod interrogando,
« ac respondendo sermones, librosque componerent [3] ».

Deinde Socrates, quem a Zenone, Protagora, aliisque Dialecticis, et Sophistis methodum disserendi, τὸ εἶδος τῶν λόγων, accepisse Laertius, aliique veteres observarunt,

[1]) *De philosophorum graecorum ante Aristotelem de arte logica invenienda, et perficienda conaminibus*, Inter *Commentt. Societ. Gott.*, t. XI, p. 241, Gottingae 1791. Zenonem auctorem dialecticae fuisse testes sunt Aristoteles (*Topic.*, lib. IX, c. 10, t.II, p. 255, ed. Waitz), Laertius (lib. III, segm. 47), Sext. Empir. (*Advers. Math.*, lib. VII, segm. 193), et Suidas (*Lexic.*, v. *Zeno*). Cicero Xenophanem Parmenidi, et Zenoni praecessisse scripsit (*Acad.*, lib. II, c. 42, ed. cit.). Praeter Vossium (*Op. cit.*, lib. V, c. 8, § 2), et Gassendium (*Op. cit.* c. 1), legendus est Walchius, *Historia logicae*, lib. I, c. 2, § 4, in *Parergis Acad.*, p. 499-501, ed. cit.

[2]) Lib. III, segm. 48. Non inutile est pauca haec alia verba exscribere, quibus διάλογος, nempe *colloquium* ab eo definitur: « Est
« autem Dialogus ex interrogatione, et responsione compositus de ea
« re, quae philosophiam, vel reipublicae partes attingat, cum decenti,
« et congrua expressione personarum, quae assumuntur, accurata-
« que compositione verborum » (*ibid*). Quo autem modo disputatio per dialogum fieret, s. Augustinus exposuit his paucis: « Interrogando
« (*disputator*) eum, cum quo agit, cogit respondere quod verum
« est, et ex hoc ad aliud verum, quod quaerebatur, adducit, ubi ma-
« xime regnare dialectica dicitur »; *Contr. Cresc.*, lib. I, c. 16, n. 20.

[3]) Lib. II, segm. 106.

dialecticam, nempe artem disputandi per interrogationes, et responsiones plurimum promovit [1]. Ipse enim, ut ante dictum est [2], *inductione*, ac *ironia* fretus iuvenes ad ea, quae circa rem quaesitam magis, magisque ad verum accederent, hoc est, ad magis, magisque probabilia invenienda sensim, et gradatim manuducebat, donec ipsi veram, germanamque rei notionem sibi conficerent, eiusque scientiam assequerentur.

Sed Plato eius discipulus, aliam, ac Zeno, ceterique ante ipsum, notionem dialecticae constituit. Nam nomine dialecticae non designavit artem, quae de re quaesita in utramque partem disputat, et quid probabile in ea re est, detegit, sed illam, ut suo loco dicemus, methodum, per quam animus ex contemplatione suipsius, rerumque externarum, ἐξ ὑποθέσεως, ad ipsum principium supremum rerum et scientiae, αὐτὴν ἀρχὴν, sive ad *absolutum*, ἀνυπόθετον, sine ratiocinatione progreditur [3]. Hinc *ex dialectica* verum philosophum effici docuit [4], et philosophos *dialecticos* vocavit [5]. Nihilominus in eius dialogis, iisque praesertim, qui, ut diximus, *dialecticorum* nomine designari solent, non pauca, observantibus Van Heusdeo [6], aliisque [7], inveniuntur, quae *topicen*, seu dialecticam eo modo, quo primum a Zenone, dein ab Aristotele accepta est, illustrant.

Verum, a Platonis discipulis, qui *Academici* nuncupati fuere, *topice*, seu dialectica zenoniana longe exculta est. Nam, cum ipsi ex quibusdam pronuntiatis Platonis, ut suo loco dicemus [8], confecissent mentem humanam

[1]) Cons. Van Heusde, *Initia* etc. p. 141 sqq, ed. cit.

[2]) P. 31, et 32. Praeter scriptores ibi laudatos legesis Dan. Boëthium, *De philosophia Socratis*, Vpsalae 1788.

[3]) *De Republ.*, lib. VII, p. 515-533; cf *Phaedon.*, p. 101, et 175, ed. H. S.

[4]) *Sophist.*, p. 353, ed. cit.—[5]) *Euthyd.*, p. 290.

[6]) *Initia* etc., p. 250, 298 etc., et *Characterismi* etc., p. 164.

[7]) Vid. Bauhmauer, *De aristotelia vi* etc., c. 2, p. 48, ed. cit.

[8]) Cons. interea, si lubet, nostrum opus, *I principali sistemi* etc., c. I, § 2, p. 25, ed. 2ª, Napoli 1858.

in cognitione rerum citra probabilitatis fines non posse vagari, *topicen*, sive ut recentes loqui malunt, *logicam probabilium* excolere coacti sunt [1]. Hinc ab eis *disputatio in utramque partem*, ἡ εἰς ἑκάτερα ἐπιχείρησις [2], frequentata fuit, in qua Arcesilam [3], atque unum omnium maxime Carneadem [4] excelluisse inter omnes constat [5]. Contra ea, Stoici in studium *analyticae*, seu scientiae demonstrationis, quam *dialecticam* vocabant, artemque diiudicandi verum a falso definiebant, maxime incubuere. Id factitatum ab eis fuit, quia putabant sapienti, cum animo forti, immotoque esse debeat,

---

[1]) Disputandi ratio a Socrate, et Platone adeo provecta fuit, ut parentes Arcesilae, aliorumque Scepticorum Academiae ab antiquis haberentur, disputandique genus ab hisce Academicis adhibitum *Socraticum* vocaretur. « Arcesilas, Cicero ait, . . . primum ex variis Platonis libris, sermonibusque Socratis hoc maxime arripuit, « nihil esse certi, quod aut sensibus, aut animo percipi possit. . . , « primumque instituisse (quamquam id fuit Socraticum maxime) non « quid ipse sentiret, ostendere ; sed contra id, quod quisque se sen« tire dixisset, disputare »; *De Orat.*, lib. III, c. 18.

[2]) Cf Euseb., *Praep. Evang.*, lib. XIV, c. 7.

[3]) Cf Cic., *Acad.*, lib. I, c. 12, ed. Ernest., et Lact., *Instit. Div.*, lib. III, c. 4.

[4]) Cic., *De Orat.*, lib. II, c. 37, et lib. III, c. 18, ed. Olivetus. Carneades, cum, legationis peragendae causa, Romae moraretur, quadam die de iustitia copiose disseruit, audientibus summis oratoribus Galba, et Catone Censorio, sed postridie ea, quae pro iustitia dixerat, contrariis rationis momentis subvertit. Vnde Cato senatui persuasit, ut de re, quam petierant, decerneret, illosque ad suas scholas, atque ad graecorum filios educandos remitteret. Id narrant, praeter alios, Gellius, *N. A.*, lib. VII, c. 14, Plin., lib. VII, c. 30, Plut., *Cato maior*, et Lact., *Inst. Div.*, lib. V, c. 14. Cons. Levezow, *De Carneade, Diogene, et Critolao, et de causis neglecti studii philosophiae apud antiquiores Romanos*, Stetini 1776, et Dan. Boëthium, *Dissert. De philosophiae nomine apud veteres Romanos inviso*, Vpsalae 1790.

[5]) Cons. eruditissimum Can. Divionensem Foucher, *Dissert. de philosophia academica*, Parisiis 1692, et Gerlach, *Commentatio exhibens Academicorum iuniorum de probabilitate opiniones*, Gottingae 1815.

ab *opinione*, quae imbecillus assensus animi est [1], esse cavendum, et *scientiam*, quae firmum assensum continet, arripiendam [2]. Nemo tamen putet illos *topicen* a logica exterminasse; nam logicam in *dialecticam*, ac *topicam*, seu *rethoricam* diviserunt, sed illam accuratissime excoluerunt, hanc autem negligenter tractarunt. Audiatur M. Tullius: « Cum omnis ratio diligens duas « habeat partes; unam inveniendi, alteram iudicandi: « utriusque princeps, ut mihi videtur, Aristoteles fuit. « Stoici autem in altera elaboraverunt. Iudicandi enim « vias diligenter persecuti sunt, ea scientia, quam *Dia-* « *lecticen* appellant. Inveniendi vero artem, quae *To-* « *pice* dicitur, quaeque ad usum potior erat, et ordine « naturae certe prior, totam reliquerunt [3] ». Solam dialecticam ab eis inter virtutes numeratam esse Cato asseruit his verbis apud eumdem Ciceronem: « . . . al- « teram (*virtutem*), quod habeat rationem, ne cui fal- « so assentiamur, neve unquam captiosa probabilitate « fallamur, eaque, quae de bonis et malis diceremus, « ut tenere, tuerique possimus. Nam sine hac arte « quemvis arbitrantur a vero abduci, fallique posse. « Recte igitur, si omnibus in rebus temeritas, igno- « ratioque vitiosa est, ab his ea, quae tollit haec, vir- « tus nominata est [4] ».

Ast « utriusque (nempe *dialectices*, et *topices*), ut modo ex Tullio didicimus, « princeps Aristoteles fuit ». Re vera, hic, uti ab initio diximus, postquam scientiam

---

[1]) Cicero ait: « Opinationem . . . volunt (*Stoici*) esse imbecillam « assensionem »; *Qq. Tuscul.*, lib. IV, c. 7; atque alibi: « Opinio . . . « imbecilla »; *Acad.*, lib. I, c. 11. Cf Stob., *Eclog.* t. II, p. 230, ed. Heeren, et Plut., *De Stoic. repugn.*, c. 47. Sed de hac stoica doctrina alias. Legesis interea, si lubet, Ravaisson, *Essai sur la mèt. d' Arist.*, part. IV, c. 2, t. II, p. 124, et 125, Paris 1837.

[2]) Effigiem *sapientis* secundum Stoicos videre licet apud Bauhmauerum, *Veterum philosophorum, praecipue Stoicorum doctrina de morte voluntaria*, c. 2, p. 162 sqq, Traiecti ad Rhenum 1842.

[3]) *Topic.*, c. 2, ed. Olivet.

[4]) *De Finib. bonor. et malor.*, lib. III, c. 21, ed. Ernesti.

demonstrationis in *Analyticis Posterioribus* exposuit, de inventione in octo libris *Topicorum* copiosissime tractavit, eaque, quae a Platone, aliisque praecepta erant, collegit, in ordinem digessit, auxitque, ut formam scientiae acciperent. Quae cum comperta cuique sint, incredibile videtur Vicum nostrum, post alios aristotelicae philosophiae osores, et nuperum Van Heusdeum inter Socratem, Platonem, atque Aristotelem hac de re illud discrimen statuisse, quod Socrates viam ad veri inveniendi artem praeparavit, Plato autem artem veri inveniendi tradidit, Aristoteles denique artes verum iam inventum demonstrandi, probationesque sophisticas refellendi docuit [1]. Certe Vicum latere hoc non debuit, quod Tullius scripsit: « Disserendique ab iisdem (*a Peripateticis*) non « dialectice solum, sed etiam oratorie praecepta sunt data: ab Aristoteleque principe de singulis rebus in utramque partem dicendi exercitatio est instituta, ut « non contra omnia semper, sicut Arcesilas, diceret, et « tamen, ut in omnibus rebus quidquid ex utraque « parte dici posset, expromeret [2]. ».

Post Aristotelem inter Graecos commemorandi sunt

---

[1]) Vid. Vicum, *De antiquissima Ital. sapientia*, c. VI, § 4, *Opp.* t. I, p. 85, ed. Ferrari, Mediolani 1853, necnon *De nostri temporis studiorum ratione*, t. cit., p. II, et Van Heusde, *Initia* etc., p. 243, 246, 278, et 285.

[2]) *De Fin. bon., et mal.*, lib. V, c. 4, ed. cit. Cf Wyttenbach ad *Plat. Phaedonem*, p. 249, Lipsiae 1825. Cum modo laudatum, tum alia loca Ciceronis Van Heusde expendens iudicium, quod de logica Aristotelis in *Init. phil. plat.* tulerat, in suis *Characterismis* mutavit, atque Aristotelem non modo artis *syllogisticae*, sive demonstrativae, sed etiam *topicae* magistrum, atque auctorem praedicavit. Lubet pauca eius verba afferre: « Aristoteles vero, et Peripatetici « primi id arte perficere studuerunt. . . Et vero idem Cicero ab Ari« stotele maxime hanc didicisse artem videtur. Nam quod dicit, *Ari*« *stoteleo se more* dialogos scripsisse . . . . artem illam celebratis« simam in utramque partem disserendi intellexit, quam princeps « docuerat Aristoteles, ipse vero in libris *de Oratore*, *de Republica*, « *de Finibus*, aliis in dialogis usurpavit »; *Charact.*, p. 165, et 166, ed. cit.

Theophrastus [1] eius discipulus, et qui non brevi intervallo ab eo distat, Themistius [2]; hi enim theoriam *Topicorum*, quam Aristoteles tradiderat, non solum exponere, sed etiam ad breviorem, facilioremque formam revocare studuerunt. Interpretes Graeci, quantum scimus, in eo se continuere, ut theoriam aristotelicam explicarent, et tuerentur. Horum celeberrimus extitit Alexander Aphrod. [3], quem unum maxime omnium Arabes, et Scholastici secuti sunt. Inter latinos maxime nominandus est Tullius, qui post Theophrastum primus dialectices, sive topices explanator nobis occurrit. In longo fere ducentorum annorum intervallo, qui a Theophrasto ad Ciceronem fluxere, studium topices valde deferbuisse probabile est. Nam, praeterquam quod nulla eius monumenta ab antiquis commemorantur [4], idem Cicero ipsam aetate sua a Philosophis, *praeter admodum paucos*, ignorari dixit [5]. Id profecto accidit, quia Stoi-

---

[1]) Hic, teste Laertio, scripsit duos libros Τοπικῶν, *Topicorum*, alios duos Ἀνηγμένων τόπων, *Deductorum locorum*, atque unum *Ante topica*, Τὰ πρὸ τῶν τόπου (lib. V, segm. 42-49). At quoniam nullus horum ad nos pervenit, adeundus est Alex. Aphrod., qui eius theoriam exponit *In lib. I Top.*, c. 6, et passim.

[2]) Quae hic de *Topicis* scripsit, omnino perierunt: at summam suae doctrinae legere licet in secundo librorum, quos Boëtius *De differentiis topicis* exaravit, *Opp.* vol. I, p. 857 sqq, ed. cit. Cons. quoque Averroem, *In lib. I Top. Arist.*, Append. 1ª, ed. cit.

[3]) *Commentarius in VIII libros Topic.*, graece, ed. Ald., Venetiis 1524, et latine Guil. Dorotheus, Venetiis 1514. Patritius (*Discuss. Perip.*, t. I, lib. III, p. 33, ed. cit.), cui Brandisius (*Dissert. de Organo*, inter *Commentt. Acad. Berol.*, germ., 1833) adstipulatus est, contendit Alexandrum Aphrod. non esse auctorem *Commentarii in Topic.*, qui illius nomine circumfertur. At Fabricius (*Biblioth. Graec.*, lib. IV, c. 25), et, missis aliis, Buhleus (*Dissert. De librorum Arist. interpretibus graecis, eorumque commentariis*, *Opp. Arist.* vol. I, p. 288, Biponti 1791) Patritium refutarunt.

[4]) Omittendum tamen non est Laertium Stratoni duos tribuisse libros, qui ad topicen spectant, nempe Τόπων προοίμια, *Locorum prooemia*, et Περὶ τοῦ ὅρου, *De definitione*. Vid. lib. V, segm. 59.

[5]) « Ab ipsis philosophis, praeter admodum paucos, ignoratur »; *Top.*, c. 1.

ci, quorum secta longe, lateque propagata erat, topicam, uti antea diximus, pauci ducebant, totique in scientia demonstrationis excolenda erant: quapropter illos admodum paucos, quorum Cicero meminit, ad Scholam peripateticam pertinuisse putandum est. Certe, philosophiam aristoteleam longe ante Ciceronem a Romanis excultam esse ipsemet Cicero [1], et Plutarchus [2] locupletes testes sunt [3]. At vero, Cicero, quamvis se *Topica* Aristotelis explicaturum pollicitus sit, tamen ex illis in sua non derivavit, nisi pauca, eaque, quae magis ad rethoricam, quam ad dialecticam spectant; ex quo factum est, ut exinde topice potius in oratorum, quam in philosophorum usum excolerentur [4].

---

[1]) *Orator.*, c. 36-38; *De Oratore*, lib.I,c.22; *De Fin.bon.et mal.*, lib. IV, c. 26, et lib. V, c. 1; *De Offic.*, lib. I, c. 1.

[2]) Vid. *Cato maior*, et *Antonius*.

[3]) Cf, praeter Paganinum Gaudentium (*De philosophiae apud Romanos, ortu et progressu*, Pisis 1643), Ad. Stahr, *Aristoteles apud Romanos* (germ.), Lipsiae 1834.

[4]) Cicero, dum Velia in Graeciam proficisceretur, *Topica*, repetita memoria, conscripsit, idque eo consilio praestitisse dixit, ut Trebatium,familiarem suum,ad topicen Stagiritae intelligendam manuduceret (*Topic.*, c. 1). Ast eius Topica ab octo libris Topicorum Aristotelis,quae supersunt, adeo diversa sunt, ut illa non ab hisce, sed ab alio deperdito eiusdem Aristotelis opere ipsum derivasse nonnulli eruditi post Patritium (*Op. cit.*, t. I, lib. III, p. 22, et 23 ed. cit.) contendant. Certe, magnam partem operum Aristotelis deperditam esse luculento argumento sunt cum ipsius, et antiquorum testimonia, tum tres catologi operum eius,nobis noti. Quorum unus est Laertii (lib. V, segm. 22-28), qui illum a Philosophis Alexandrinis, in primis Hermippo, fortasse accepit (cf Stahr, *Aristotelia*, vol. II, p. 68 sqq), alter anonymus, apud Menagium ad Laertium (lib. V, segm. 35, t. II, p. 201 sqq, ed. cit.); tertius Arabum apud Casiri (*Bibl. Arab. Hisp.*, t. I, p. 307). Cons. Buhle (*De libris Aristotelis deperditis*, Inter *Commentt. Societ.Gotting.* t. XV), Sthar (*Op. cit.*, t. II, p. 68 sqq), et Saint-Hilaire (*Log. d' Aristote*, Part. I, c. 3, t. I, p. 25 sqq). Accedit, quod Clemens Alex. (*Strom.*, lib.V,c.9), Galenus (*Fragm.de subst.facul.natur.*, *Opp.* t. IV, p. 758, ed. Kühn), aliique post Ciceronem (*De Finib.*, lib. V, c. 5, et *Epp. ad Attic.*, lib. IV, Ep. 16),et Gell. (lib. XX,

Nihilominus non pauci, iique praesertim Philosophi, Doctoresque Catholici extitere, qui utilitatem dialecticae celebrarent, eamque vel integram tractarent, vel, prout eis occasio se offerebat, aliquam eius partem explicarent. Ne de iis dicamus, quae Clemens Alex., aliique Patres, ac in primis s. Augustinus huc illuc in libris suis explicarunt, Sever. Boëtius non solum octo libros Topicorum Aristotelis latine vertit [1], sed etiam sex libros *Comment. in Topica Ciceronis* [2], et quatuor libros *De differentiis topicis* [3], elucubravit. Boëtio adiiciendi sunt Cassiodorus, et s. Isidorus Hispalensis, quorum ille copiose in suo opere *De Artibus ac Disciplinis liberalium Litterarum* [4], hic breviter in suis *Etymologiarum* libris [5], de dialectica disseruerunt.

Mittimus Hermogenem, et qui eum fere secuti sunt, Theonem, aliosque non paucos labentis graecae litteraturae rethores. Hi enim in suis libris, quos *Progymnasmata* inscribebant, *locos communes* exponunt: sed praeterquam quod nihil novi exhibent, topicen ad rethoricae, non vero ad philosophiae usum tractant [6]. Qua-

---

c. 5), monuerunt operum Aristotelis alia fuisse ἐσωτερικὰ in discipulorum, ac alia ἐξωτερικὰ in vulgi usum conscripta, ut de multis rebus in uno limatius, in altero populariter disseruerit. Sed de hac adeo inter eruditos exagitata distributione scriptorum Aristotelis in ἐσωτερικὰ, vel ἀκροαματικὰ, et in ἐξωτερικὰ, vel ἐγκύκλια, cuius Clemens Alex. primus omnium meminit (*loc. cit.*), legi possunt inter recentes, Buhle, *Comm. De libris Arist. acroamaticis, et exotericis*, *Opp. Arist.*, t. I, p. 107-152, ed. cit., Sthar, *Aristotelia*, t. II, p. 239 sqq, Ritter, *Hist. de la phil. ancien.*, lib. IX, c. 1, t. III, p. 15 sqq, ed. cit., Baumhauer, *De aristotelia vi in Ciceronis scriptis*, c. 1, p. 6 sqq, ed. cit., aliisque multis omissis, Ravaisson, *Op. cit.*, t. I, p. 210 sqq.

[1]) *Opp.*, vol. I, p. 663 sqq, Basileae ex Officina Henricp. 1570.

[2]) *Opp.*, vol. cit., p. 857.—[3]) *Opp.*, vol. cit., p. 757.

[4]) *Dialectica*, *Opp. omnia*, t. II, p. 543 sqq, ed. Garet., Venetiis 1729.

[5]) Lib. II, c. 30, *Opp.*, t. I, ed. Faust. Arevalus, Romae 1798.

[6]) Vid. *Rethores Graeci*, edid. suis, aliorumque annottat. instr. Ch. Walz, Stutgartiae 1832-1836.

re ad mediae aetatis aristotelicos progressi commemoramus, Averroem inter Arabes, ac Albertum M. inter Scholasticos in *Topicis* Aristotelis interpretandis, explicandisque palmam omnibus praeripuisse [1]. At, si ab his fuse, subtiliterque topice tractata fuit, ceteros illam neglexisse putandum non est; cuius rei illud argumento esse debet, quod expositione topices aristotelicae, quemadmodum in *Introductione* [2] vidimus, nullo non tempore in Vniversitate Parisiensi praescripta fuit.

Verum, postquam Occamus, ut diximus [3], libros *Topicorum* e logica exterminavit, atque ad rethoricam amandavit, topica magis secundum Ciceronis, quam secundum Aristotelis doctrinam tradi coepta est. Huius rei testem Petrum Hispanum appellare satis est, quippe cuius *Summulae logicales* [4] in Scholis diu explicatae fuerunt. At topica Aristotelis e Scholis fere exulavit, adnitentibus Laur. Valla, Rud. Agricola, Lud. Vivesio, P. Ramo, aliisque, qui, uti alibi dictum est [5], potius litterarum humanarum, quam philosophiae, studio praestantes iniquo adversus Scholasticos, eorumque ducem Stagiritam odio exarserunt. Enimvero, Laur. Valla de *locis* acturus, se Quintiliani vestigia sectatum iri professus est [6], et re ipsa, quae Quintilianus, et Cicero de *locis* tradiderant, in compendium redegit [7]. Sed ipsum,

---

[1]) Averr., *Comment. in Top.*, vol. I, Venetiis 1540, et Alb. M., *Topicorum libri octo*, *Opp.* t. I, p. 658 sqq, ed. cit.

[2]) Pag. 116, not. 4. — [3]) P. 18, not. 1.

[4]) De multis huius operis editionibus legendus est Alois. Hain. *Repertorium bibliographicum*, Stutgartiae 1826-1838.

[5]) *Introd.*, p. 71, et 116, et *Log.* vol. I, p. 190.

[6]) *Dialectica*, lib. II, c. 20, p. 719, ed. cit. En elogium Quintiliani, quod ibi texuit: « De qua re cum nihil ego novi excogitari possim, ero nimirum praeceptis Quintiliani contentus. Cui vero tantum tribuo, ut is unus sit, cuius dictis aut addere quid, aut detrahere, aut ex his mutare vel minimum nec alios posse arbitror, et me id expertum saepe, nihil tamen potuisse profitear, parum dico ».

[7]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 20-24, p. 719-731.

paucis post annis, Rud. Agricola longe superavit. Qui quidem, postquam multos, eosque graves errores in topica Aristotelis adnotavit, dialecticam cum rethorica coniungendam esse decrevit, praeceptaque Ciceronis, et Themistii explanavit [1]. Eius theoria de *locis* una cum *Dialectica* longe, lateque pervagata est, eiusque studium, opera Ioan. Sturmii, in Vniversitate Parisiensi adeo auctum est, ut an. MDXXX Facultas Theologica Facultatem Artium reprehenderet, quod Agricolam Aristoteli anteferebat [2]. Lud. Vives scripsit Agricolam de vitiis topices aristotelicae iure questum esse, ratus eos, qui ipsam discunt, ne unius quidem argumenti inveniendi facultatem sibi comparare [3], et Ciceroni, etsi eius de Topicis liber non sit errorum expers, tamen magnam habendam esse gratiam, quod « ipse tum primum prope inventor ex- « cudit nobis partem Dialecticae utilissimam de in- « ventione, quod opus inutiliter ab Aristotele conge- « stum, Cicero ad utilitatem ingentem aptavit [4] ». Petr. Ramus doctrinam Vallae [5], Vivesii [6], et maxime Agricolae [7] amplexatus, tuitusque est. Ipse, postquam locos in artificiosos, ac inartificiosos divisit, ipsos accurate recensuit, atque, more rethorum, exempla a poetis, ac oratoribus mutuatus, illustrare studuit [8]. Nihilominus

---

[1]) *De inventione dialectica*, lib. I, c. 3, Coloniae 1527. De hoc Aristotelis adversario legesis T. P. Tresling, *Vita, et merita Rud. Agricolae*, Groningae 1830.

[2]) Vid. Du Bolay, *Op. cit.*, l. VI, p. 227, et 235, ed. cit., et Crevier, *Op. cit.*, t. V, p. 248, ed. cit.

[3]) *De causis corruptarum artium*, lib. III, p. 107, ed. cit.

[4]) *Ibid.*, p. 116.

[5]) Ramus Vallam citavit cum in aliis, tum in hisce libris, *Dialectique*, p. 99, et 100, Paris 1555, et *Collectaneae Praefationes, Epistolae, Orationes*, Praef. p. 174, Parisiis 1577.

[6]) Ramum scrinia Vivesii quoque compilasse P. Rapin non semel monuit, *Réflexions sur la logique*, § VII, et *Réflexions sur la philosophie*, § XXV in suo opere *Comparaison de Platon et d' Arist.*, t. II, Paris 1671.

[7]) Hunc Ramus egregie laudavit, in opere, *Scholae in liberales artes*, Praef., Basileae 1578.

[8]) Vid. *Schol. in lib. art.* col. 210, ed. cit., et *Dialectique*, p. 4

non defuere, interea temporis, qui libros *Topicorum* Aristotelis explicarent, ac tuerentur, atque inter hos Antecessores Academiae Venetae principem locum sibi vindicant [1].

Sed ad cartesianae philosophiae aetatem veniamus. Cartesius, qui logicam ad pauca, eaque levia praecepta redigere studuit [2], cum omnes logices aristotelicae partes, tum maxime topicen veluti inanem, et damnosam repudiavit. Inanem, quia « omnes rationes, et « obiectionum solutiones, quae, cum ex intima ipsius « difficultatis consideratione erui non possunt, ab ex- « terna locorum inspectione petuntur, fere semper sunt « futiles, et ineptae ». Damnosam, quia « iuvenes, dum « ei assuescunt, et ex opinione doctrinae, per ipsam « adquisita, superbiunt, rationem suam naturalem, quae « alioquin aetate posset maturescere, plane corrum- « punt [3] ». Huic loco alium addimus, ut quam falsam notionem dialecticae ipse sibi confecerit, clarius fiat. « Logica, ait, quae in scholis docetur, nonnisi dialecti- « ca quaedam est, quae modum docet ea, quae iam sci- « mus, aliis exponendi, vel etiam de iis, quae nesci- « mus, multum, et sine iudicio loquendi; quo pacto bo- « nam mentem magis corrumpit, quam auget [4] ». Cum

---

sqq. Cf Waddington, *Ramus, sa vie, ses écrits, et ses opinions*, Part. 2, c. 2, p. 369, et 370, et c. 3, p. 382-385, Paris 1855.

[1]) *Nova explanatio Topicorum in Acad. Venet.*, Venetiis 1559.

[2]) *De Methodo*, § 3, *Opp.* t. III, p. 14-18, Amstel. 1677. De hisce regulis legere iuvabit iudicium Walchii, *Historia logicae*, lib. II, c. 1, § 16, in *Parergis Acad.*, p. 643, ed. cit. Buddeus, qui Walchium secutus est, inquit: « Quemadmodum autem in istis regulis revera ni- « hil novi dixit; ita nec eas, nec reliqua, de quibus diximus logicae « cartesianae capita ad veritatem inveniendam sufficere, quaedam « etiam non sine cautione quadam admittenda esse manifestum est »; *Compend. hist. phil.*, c. VI, § 27, p. 474 sq, Halae Saxonum 1731.

[3]) *Epist. ad Voëtium*. *Opp.* t. IV, p. 27, Amstel. 1678.

[4]) *Epist. ad Princip. phil.*, *Interp. gallic.*, *Opp.* t. I, Amstel. 1677. Cartesium notionem dialecticae re ipsa ignorasse ex eo comprobatur, quod id, quod dialectica tractat, laudavit in *Resp. ad 2^as Obiectt.*, ubi inquit, « quamdiu dubitatur de hoc (*an verum proponatur*) me-

cartesiana philosophia brevi tempore longe pervagata fuisset, factum est, ut doctrinam locorum alii ad Oratorum usum dumtaxat accommodatam putarent, atque in logica omnino neglectam ad rethoricam amandarent, alii secundum *Topica* Tullii brevissime persequerentur. Satis est oculos coniicere in *Artem cogitandi*, quae praecipua logica Scholae Cartesianae est. Philosophi enim e Portu Regio, qui illius auctores sunt, perbrevi, falsaeque suae locorum recensioni non brevem orationem praemittunt, in qua, etsi fateantur sacram fuisse antiquis topicen, sive artem inveniendi, atque a Cicerone alteri parti logices, nempe iudicatrici praelatam; tamen ipsam nihil utilitatis ad scientiarum adquisitionem conferre contendunt. Prae multis in topicam conviciis seligamus haec: « Verum enimvero, hanc de ar-
« gumentorum inventione doctrinam inutilem esse ar-
« gumento certissimo est exiguus illius per tot saecula,
« quibus et inventa illa fuit, et in scholis tradita, u-
« sus. Quin etiam, si animus esset omnem, quem pos-
« sumus, ab illa fructum capiendi, dici non potest nos
« aliquid collecturos, quod revera esset alicuius utili-
« tatis, vel pretii. Nam per illam methodum non a-
« lia argumenta vel etiam quaeruntur, quam quae ge-
« neralia, communia, et aliena sunt, eorum instar, quae
« a Lullistis, ope tabularum, inveniuntur: tantum ab-
« est, ut haec copia prosit, ut nihil illa iudicandi vim
« corrumpat magis [1]: ». Exempla, ac convicia horum novatorum effecerunt ut vel ii ipsi, qui, secundum Aristotelis, et Scholasticorum placita, philosophiam tractare profitebantur, topicam vix, et perfunctorie attingerent, immo nonnulli etiam praetermitterent [2].

At non omnes, qui philosophiam aristotelico-schola-

« rito rationes in utramque partem expendi, ut quae firmiores sunt,
« cognoscatur »; *Opp.*, t. II, p. 84, Amstel. 1678.

[1]) Part. III, c. 17, p. 185. Vid. etiam p. 182-186, ed. cit.

[2]) Lubet duos tantum nominare, quorum libri manibus iuvenum teruntur, scilicet Goudinum, et Rosellium.

sticam vel omnino, vel ex parte deseruere, topicam veluti inutile repudiarunt. Inter hos commemorandi sunt in primis Fr. Baco, quem omnes recentes primum logices instauratorem immerito salutant, God. Guil. Leibnitius, ὁ πάνυ vir, et Ioan. Bapt. Vicus celeberrimus philosophiae cartesianae adversarius. Baco enim topices, quam secundum Stagiritam, aliosque antiquos *venationi* assimilavit [1], utilitatem multis verbis prosecutus est: tantum abest, ut illam susque deque haberet. Ipse duplici topica nobis opus esse scripsit; una *generali*, quae locos cunctis scientiis communes, altera *particulari*, quae locos singulis scientiis accommodatos exponat. Primam a Scholasticis optime tractatam, alteram ab omnibus fere neglectam dixit [2]. Leibnitius vero longam dissertationem

[1]) Vid. *De augm. scient.*, lib. V, c. 2, p. 272, et 273, ed. cit. ubi ait: « Literata experientia, sive *Venatio Panis* modo experimentandi tractat », et *De sapientia veterum*, c. IV, quod inscribitur *Pan, sive Natura*, Amstel. 1684, inter *Opp.* ed. cit. vol. V, p. 10-20. Pan, uti fabula narrat, inter venandum invenit Cererem, quae omnibus Diis latuerat. Recentes Baconem huius comparationis auctorem praedicant; sed immerito. Namque ante Baconem Brunus Nolanus in sua tractatiuncula, *De progressu et lampade venatoria logicorum* (Vitembergae 1587), veritatem campo assimilavit sylvis, specubusque referto, et turrim, sive subiectum veri, in medio sui habenti, ad quam per diversas vias theologi metaphysici, physici, ethici, dialectici, atque ipsi poetae, tanquam venatores accurrunt, secum ferentes *canes*, hoc est varia genera argumentorum, et *retia*, *speculas*, et *hastas*, nempe locos communes, qui syllogismo materiam suppeditant. Sed ne Bruno quidem haec laus tribuenda est. Namque huiusmodi comparatio apud non paucos cum profanos, tum ecclesiasticos scriptores invenitur Aristotelem secutos, qui pro voce ζητεῖν, *quaerere*, interdum vocem θηρεύειν, *venari*, adhibuit (*Anal. Post.*, lib. II, c. 13, t. II, p. 66, ed. Waitz). Instar omnium esse potest Clemens Alex., qui ait: « Quemadmodum ergo qui studio tenetur venationis, postquam quaesiit, investigavit, indagavit, canes qui cursu prosequerentur, emisit, feram capit; ita etiam apparet verum dulcedine quaesitum, et labore partum »; *Strom.*, lib. I, c. 2.

[2]) « Partem alteram, ait, Inventivae (nimirum *Topicam*) partimur in Generalem, et Particularem. Generalis illa est, quae in Dialectica diligenter et abunde tractata est, ut in eius explicatione morari non sit opus. Illud tamen obiter monendum videtur Topi-

De arte combinatoria exaravit, in qua Raymundi Lullii exemplum [1] imitatus nova *Artis meditandi, seu Logicae inventionis* semina sparsit [2]. In hac, quamvis novam viam ingressus sit, et potius Lullii, quam Stagiritae, operam continuare studuisset : tamen *profundissimi* Aristotelis, nec non recentium conatus in locis argumentorum inveniendis impense laudavit [3]. Denique Vicus, postquam, vestigiis Ciceronis insistens, logicam divisit in *inventricem*, et *iudicatricem*, primo sanxit illam, non minus ac istam, esse necessariam adquisitioni scientiarum, immo istam non posse sine illius praesidio quidquam proficere [4]; tum quoque conquestus est topicam magno

---

« cam istam non tam in Argumentationibus, ubi cum aliis manum « conserimus; verum et in meditationibus, cum quid nobiscum ipsi « commentamur, aut revolvimus, valere. Imo, neque solummodo in « hoc sitam esse, ut inde fiat suggestio, aut admonitio, quid affir- « mare, aut *asserere*; verum etiam quid *inquirere*, aut *interrogare* « debeamus. At prudens *interrogatio*, quasi dimidium scientiae « . . . . . At *Topica particularis* ad ea, quae dicimus, longe con- « fert magis, et pro re fructuosissima habenda est. Illius certe men- « tio levis a nonnullis Scriptoribus facta est, sed integre, et pro rei « dignitate minime tractata . . . nos sane *Topicam particularem*, « tanquam rem apprime utilem amplectimur, hoc est *locos inquisi-* « *tionis, et inventionis particularibus subiectis et scientiis appro-* « *priatos* »; *De augm.scient.*, lib. V, c. 3, p. 288, et 289, ed. cit.

[1]) Hic *Artem Magnam*, aliaque opera ad universalem quamdam topicam pertinentia scripsit, quae simul edita sunt cum Commentariis Agrippae, et Iordani Bruni, Argentorati 1598. Ad *Artis magnae* intelligentiam adiuvandam Ioan. Henr. Alstedius evulgavit hunc librum *Clavis artis Lullianae, et verae Logicae*, Argentorati 1609. Cf praeter alios multos, qui artem Lullianam vel propugnarunt, vel dumtaxat exposuerunt, Degerando, *Notices sur la vie, les ouvrages, et les sectateurs de Raymunde Lulle*, in *Mém. de l' Acad. des Inscript. et Bell. Lett.*, 1814-1819.

[2]) *De Arte Combinatoria*; *Opp.* ed. Erdmann, p. 6-44.—[3]) P. 26.

[4]) « Vtrique prave: neque enim inventio sine iudicio, neque iudi- « cium sine inventione certum esse potest. Etenim quonam pacto cla- « ra ac distincta mentis nostrae ideae veri regula sit, nisi ea, quae in « re insunt, et ad rem sunt affecta, cuncta perspexerit ? Et quanam « ratione quis certus sit omnia perspexisse, nisi per quaestiones o- « mnes, quae de re proposita constitui possunt, sit persecutus ? »; *De*

scientiarum, litterarumque incommodo posthabitam fuisse [1]; denique, si topica Aristotelis sapienter adhibeatur, nihil illa feracius ad inveniendum esse scripsit [2]. Ast horum, aliorumque perpaucorum monita, atque hortamenta adeo non valuerunt, ut animos Philosophorum ad topicam serio excolendam adducerent. Immo Heghelius, eiusque discipuli dialecticae aristotelicae, quae valde manca, et secundum topicam Ciceronis concinnata in scholis tradebatur, platonicam, quae vera metaphysica, sive ontologia est [3], substituerunt [4], eorumque vestigia in Italia Giobertius pressit [5].

In postremis hisce annis, si logica aristotelica a multis magna animorum contentione exposita, ac illustrata est, topica, ea, qua par erat, diligentia nondum tractata fuit. Re vera, in Germania Bieseus in longo opere, in quo philosophiam Aristotelis copiose exposuit, topicam

---

antiquissima Italorum sapientia, c. VII, § 4, *Opp. lat.* t. I, p. 83, Mediolani 1833. Cf *Risposta al Giornale de' Letterati d' Italia* (t. VIII, art. IX, Venezia 1711), *Opp. lat.*, t. I, p. 140 sq.

[1]) « Deinde sola hodie Critica celebratur, Topica nondum non praemissa, sed omnino posthabita. Incommode iterum: nam ut argumentorum inventio prior Natura est, quam de eorum veritate diiudicatio. Ita topica prior Critica debet esse doctrina. At enim eam nostri facessunt, et nullius usus esse putant »; *De studiorum ratione*, *Opp. lat.*, t. cit., p. 9.

[2]) « Itaque praedicamenta Aristotelis, et topica, si quis in iis quid novi invenire velit, inutilissima sunt. . . At si tanquam indices, et alphabeta habeantur quaerendorum de re proposita, ut eam plane perspectam habeamus, nihil ad inveniendum feracius: ut ex iisdem fontibus, ex quibus copiosi oratores, et observatores etiam maximi provenire possint »; *De antiq.* etc., c. et § citt., p. 84.

[3]) Dandinius, postquam discrimen inter dialecticam Platonis, ac Aristotelis exposuit, ita conclusit: « Quibus metaphysicam videtur « dialecticae nomine significasse Plato », idque auctoritate Plotini (*Enn.* VI, lib. IX), et Alcinoi *de doctr. Platon.*, c. 6, confirmavit (*De corpore animato*, lib. VII, *In lib. I De anim. Arist.* Comm. XX, col. 360-362). Consulendus quoque est Kuko, *Dialectica Platonis*, Berol. 1843. — [4]) *Encyclop. scien.* (germ.), Berolini 1830.

[5]) *Protologia*, Saggio III, n. VI, *Della Dialettica*, vol. I, p. 617 sqq; ed cit.

nec magno in pretio habuit, nec semper intellexit [1]. In Gallia Saint-Hilaire, qui non solum logicam Aristotelis tum commentariis [2], tum continua expositione [3] illustravit, sed etiam eius fata usque ad hanc aetatem enarravit [4], topicam, veluti mantissam analyticae, seu scientiae demonstrativae, spectavit [5], neque illius historiam iisdem, ac reliquarum partium logicae, copia, et diligentia persecutus est. In Italia Rosminius artem inveniendi commendavit; sed cum libros *Topicorum* ab antiquis exaratos non esse ad inveniendum opportunos existimasset [6], paucas, easque non magni momenti regulas praeceptis Aristotelis substituit [7].

Nisi quod iam nonnulla tentamina topices aristotelicae evulgari coepta sunt. Namque in eadem Germania Klein, Brandisii discipulus, fontes *Topicorum* Ciceronis investigaturus, quaedam capita topices aristoteliae explanavit [8], atque in eadem Gallia Thionville, rethoricae antecessor, *De locis communibus*, qui in *Topicorum* aristoteliorum libris traduntur, egregium libellum exaravit [9]. Nec tacendum est Waitzium *Topica* Aristotelis non minori, ac ceteras *Organi* partes, diligentia

---

[1]) *Philosophia Aristotelis* (germ.), vol. I, p. 617 sqq, Berol. 1833.

[2]) *La logique d' Arist.*, trad. etc., Paris 1844.

[3]) *De la logiq. d' Arist.*, Part. 2, t. I, p. 136-448, Paris 1838.

[4]) *De la logique* etc., Part. 3, sect. 2, et 3, t. II, p. 222-320.

[5]) *De la logique* etc., Part. 2, sect. 1, c. 5, t. I, p. 330, et 331.

[6]) *Logica*, lib. II, sez. IV, c. 3, art. 2, § 15, Scol., p. 318, ed. cit. Quo in loco asseruit libros *Topicorum*, quos antiqui reliquerunt, « esse potius tractatus eloquentiae, quam logicae », quippe quod magis tradunt, « quomodo veritates iam notae exponantur, ac evolvan- « tur, quam quomodo novae inveniantur ». Ast id, si de *Topicis* Ciceronis, aliorumque, qui eius vestigiis insiterunt, quodammodo verum est, certe in *Topica* Aristotelis, innumerosque illorum Commentarios minime quadrat, ut Rosminium id asseruisse fere incredibile sit.

[7]) *Op. cit.*, lib. et sez. citt., c. 3, p. 262, et art. 2, § 1-4, p. 314 sqq.

[8]) *Dissert. De fontibus Topicorum Ciceronis*, Bonnae 1844.

[9]) *De la théorie des lieux communs dans les Topiques d' Aristote, et des principales modifications, qu' elle a subies jusqu' à nos jours*, Paris 1838.

edidisse [1], multaque in suis commentariis observasse, quae theoriam *Locorum* mirifice illustrant [2].

Nos equidem vel hanc partem logices aristoteliae instaurandam, atque in nostrarum scholarum usum adhibendam esse arbitramur. Id nobis, praeter ipsam naturam topices, suadet gravissimorum Virorum auctoritas, qui, uti ante diximus, non modo vel topicam universam, vel, prout occasio se ipsis offerebat, aliquod caput eius exposuerunt, sed utilitatem magnopere commendarunt. Lubet aurea quaedam Cassiodori loca afferre, in quibus topicen aristoteliam non modo iis, qui probabilitate contenti esse debent, nempe oratoribus, aliisque humanorum studiorum cultoribus, sed etiam iis, qui necessaria argumenta expostulant, scilicet Philosophis utilem esse dixit. « Non modo igitur, ait, dialecticus, « atque orator, verum etiam demonstrator, ac verae ar- « gumentationis effector, habet quod ex propositis locis « possit sibi adsumere »; atque *ibid.*: « Nam quid dia- « lecticos, atque oratores locorum iuvat agnitio? Oratio- « ni per inventionem copiam praestant. Quid vero ne- « cessariorum doctrinam locorum philosophis tradit? « viam quodammodo veritatis illustrat. Quod magis « pervestiganda est, rimandaque ulterius disciplina ea, « quae cum cognitione percepta sit, usu atque exerci- « tatione firmanda. Magnum enim aliquid locorum con- « sideratio pollicetur, scilicet inveniendi vias [3] ». Alibi quos fructus ex *Topicis* Aristotelis carpere licet copiosissimos, diserte descripsit his verbis: « Hoc Aristoteles acer « ingenio, ut arbitror, aemulatus argumentorum saecula- « rium loca mirabili subtilitate collegit; ut sicut uni- « versus sermo litteris, ita et illa complexione omnis

[1]) *Aristotelis Organon graece*, novis codicum auxiliis adiutus recognovit, scholiis ineditis et commentario instruxit Theod. Waitz, t. II, p. 79-290, Berol. 1846.

[2]) T. II, p. 435-582.

[3]) *De Artibus ac Disciplinis liberalium Litterarum*, c. 3 *Dialectica*; *Opp.* ed. Garet. vol. II, p. 540, Venetiis 1729.

« humanitas prolata sententia clauderetur. Hinc Dialectici disputationes suas compendiosis collectionibus « arctaverunt: hinc Oratores velut quaedam flumina cucurrerunt ; hinc Poetae decoris floribus ambiuntur ; « hinc Historici; hinc Comici , Tragicique ditati sunt ; « ut pene ab humana lingua videatur exceptum, quod ab « hac fuerit humanitate divisum. Huic rei Topica nomen imposuit [1] ». Cassiodoro Isidorus Hispalensis adstipulatus fuit. Ipse enim non solum conclusiones syllogismorum dialecticorum ad verum inveniendum utiles esse dixit [2], sed quantum , quamque stupendum opus topica Aristotelis sit, praeclaris his verbis edisseruit: « Mirabile plane genus operis, in unum potuisse colligi « quidquid mobilitas ac varietas humanae mentis in « sensibus exquirendis per diversas causas poterat in« venire; conclusum liberum ac voluntarium intellectum. « Nam quocumque se verterit , quascumque cogitatio« nes intraverit, in aliquid eorum, quae praedicta sunt, « necesse est, cadat ingenium [3] ».

Quod si Topice haec omnia complectitur , nos , cum ipsam , veluti *vestibulum* , τὰ ἔξωθεν , quod ad theoriam demonstrationis , intimamque partem , τά ἔσωθεν , scientiae ducit , spectare debeamus [4], e *Topicis* Aristotelis , atque Graecorum , Latinorumque Commentariis ea tantum hauriemus , quorum cognitio ad consecutionem scientiae propius , quam cetera , pertinet , ac aetatis nostrae studiis magis accommodata est. His nonnulla ex

---

[1]) *Expositio in Psal.* CXLIV, *Opp.* t. II, p. 465, ed. cit.

[2]) « Quorum conclusio, ait, plurimum lectorem adiuvat ad veri« tatem inveniendam »; *Etymolog.*, lib. II, c.28, *Opp.*t. cit.,p. 107.

[3]) *Opp. cit.*, lib. cit., c. 30, n. 18, t. c., p. 116, ed. cit. Hunc locum ad verbum exscripsit e *Dialectica* Cassiodori, p. 552, ed. cit.

[4]) Vid. p. 13. Hi duo modi τά ἔξωθεν, et τά ἔσωθεν ab eodem Stagirita sumti sunt, qui in *Poetica* (c. 18, § 1, ed. Didot) primo externam partem, sive introductionem, altero partem internam tragoediae designavit ; de qua re cons. Ravaisson , *Op. cit.* , Part. III, lib. I, c. 1, p. 240-242. Clemens Alex. scripserat dialecticam pulsare τὴν θύραν τῆς ἀληθείας , *fores veritatis; Strom.* , lib. VIII, c 1.

aliis Aristotelis libris adiiciemus, quae et ipsa ad τὰ ἔξωθεν attinent, et ad quasdam controversias recentium dirimendas scitu valde utilia sunt. Illud quoque praemonemus, nos nonnisi topicam *generalem* exposituros esse, arbitramurque non alii topicae, quam generali, secus ac Baconi placuit, in logica locum dandum esse, quippe quod logica non ea, quae singulis scientiis acquirendis inserviunt, sed quae omnibus communia sunt, tradit. Quocirca ipsa, utpote logica generalis, locos inveniendi argumenta communes tantum exponit, ex quibus topicae particulares in singulis scientiis conficiendae sunt. Id s. Isidorum non effugit, quippe qui ait: « Memoriae quoque concedendum est, topicam oratoribus, dialecticis, poetis et iurisperitis communiter quidem argumenta praestare: sed quando aliquid specialiter probant, ad rethores, poetas, iurisperitosque pertinet: quando vero generaliter disputant, ad philosophos attinere manifestum est [1] ».

Nisi quod, antequam explicationi topices manum admoveamus, investigare nobis opus est, quid sit, quod ipsa ad scientiae adquisitionem conferat; haec enim, ut diximus, potissima causa est, propter quam Logicus topicam excolere debet. Mens humana ita natura sua comparata est, ut ad perfectam cognitionem, seu scientiam rerum nonnisi gradatim pervenire possit. Huius rei s. Thomas nobis manifestam suppeditat rationem, quae ita se habet: Quoniam mens nostra scientiam rerum non simplici intuitu, sed ope rationis a noto ad ignotum discurrentis apprehendit, necesse est, ut nos ad perfectam cognitionem, seu scientiam rerum assequendam veluti per quosdam gradus progrediamur. « Ad hominis naturam, ait sanctus Doctor, pertinet ratione uti ad veritatis investigationem. Rationis autem proprium est non statim apprehendere veritatem. Et ideo ad hominem pertinet paulatim in cognitione veritatis proficere [2] ». Quod cum

[1]) *Op. cit.*, lib. et c. citt., n. 17, p. 116.

[2]) *In lib. I Ethic.*, lect. II.

ita sit, inde patet nos, quoties investigationem rerum aggredimur, initio haud assequi certam illam, perfectamque cognitionem rerum, quae scientiam parit. Et sane, nos, ut inferius dicemus, perfectam, seu scientificam cognitionem alicuius rei adquirimus, cum proprias, et proximas causas, ex quibus ipsa res gignitur, cognoscimus, imperfectam vero, ac probabilem, cum rei dumtaxat causas remotas, et communes compertas habemus. Ast id, quod investigationem cuiuspiam rei aggredientibus principio nobis occurrit, procul dubio non est aliquid, quod proprias, et proximas, sed aliquid, quod communes, remotasque causas eius pandit; si quidem illud, quod in unaquaque re primo cognoscimus, non est, uti ex s. Thoma alias ostendemus, illud, quod intimam eius naturam constituit, sed illud, quod extrinsecus patet. Ergo nos, quoties investigationem alicuius rei aggredimur, initio non perfectam, sed imperfectam, hoc est, non certam, nempe *scientificam*, sed probabilem, scilicet *dialecticam* cognitionem habere possumus. Qua de re perfectam cognitionem, seu scientiam alicuius rei assequi volentes, quid probabile, et verisimile in ea nobis occurrit, initio inquiramus oportet. Iam hoc est opus proprium dialecticae; dialectica enim, cum rem quaesitam in utramque partem exagitet, probabiles rationes, quae hinc inde existunt, nanciscitur. Postquam probabiles rationes alicuius rei, ope dialecticae, nacti sumus, haud difficile nobis erit causas invenire, quae scientiam eiusdem rei nobis largiuntur [1]. Apposite s. Thomas: « Opinio ex syllogismo dialectico causata est « via ad scientiam, quae per demonstrationem acquiri« tur [2] ». Hanc doctrinam sanctus Doctor ab Aristotele hausit. Qui saepe asseruit disputationem de re proposita in

[1]) Cave tamen, ne existimes plures rationes probabiles posse scientiam gignere; si quidem rationes probabiles, qua propriae topices sunt, viam ad scientificam cognitionem rei assequendam parant, sed hanc, ut suo loco ostendemus, gignere nunquam possunt.

[2]) 3, q. IX, a. 3 ad 2. Cf p. 12, not. 2.

utramque partem eiusmodi esse, ut non modo probabilem cognitionem pariat, sed etiam ad certam cognitionem, seu scientiam adquirendam plurimum adiumenti afferat. « Ad scientias philosophicas, ait, (*utilis dialecti-*« *ca est*), quod cum in utramque partem disputare pos-« simus, facilius in singulis assequemur verum, et fal-« sum [1] »; atque inferius: « Ad cognitionem quoque, « et ad philosophicam prudentiam haud leve est instru-« mentum posse perspicere, et iam perspexisse, quid « ex utraque hypothesi eveniat; nam reliquum erit, ut « horum alterum recte eligatur [2] ». Quem locum Waitzius declaravit hoc modo: « Duplicem autem habet utilitatem qui in utramque partem disputare scit: « u-« nam, quod adversarium redarguere, eique quodcum-« que velit, extorquere possit, ut facili negotio eum con-« fundat, alteram, quod qui videat quid cuiusque pro-« positionis sit consequens, veritatem ipsam facilius co-« gnoscat: relictum est enim ad inveniendam veritatem, « ut e duabus propositionibus, quae inter se pugnent, « alteram recte eligat, aliam reiiciat [3] ». Idem nuperus Interpres in lib. 1 *Top.* haec scripserat: « . . . qui « investigare scit quod verisimile est, et veritatis spe-« ciem habet, idem etiam veritatem ipsam indagare « sciet »; atque ibidem: « . . . dialectices eae sunt partes, « ut et ipsum veritatis aditum patefaciat, et verae scien-« tiae viam muniat [4] ». Hac methodo in *Met.*, ne de aliis libris dicamus, Aristoteles usus, antequam de propositis quaestionibus sententiam suam proferret, adversa aliorum iudicia exposuit, exponendaque esse dixit, quia « melius se habere necesse est illum ad « iudicandum, qui tanquam adversarios omnes utrim-« que rationes oppositas audierit [5] », sive, ut h. l. Bo-

[1]) *Top.*, lib. I, c. 2, § 5.

[2]) *Top.*, lib. VIII, c. 12, § 2, ed. Didot, vel c. 14, ed. Waitz, t. II, p. 238. Cf Alb. M., *Top.*, lib. I, tract. I, c. 5.

[3]) T. II, p. 526, et 527.—[4]) C. 2, t. II, p. 440, et 441.

[5]) *Met.*, lib. II, c. 1, § 4, ed. Didot. Cf *De Coelo*, lib. I, c. 10.

nitzius explicuit, « iustius iudicabit, qui tanquam arbi-
« ter causae constitutus utramque partem audiverit cau-
« sam dicentem [1] ».

Praeterea, dialectica ad scientiae consecutionem utilis est, quia Philosophus, illius ope, principia, quae communia omnium scientiarum sunt, invenit, idoneusque ad illa adversus Scepticos tuenda efficitur. Ad huius rei intelligentiam praemonere iuvabit, quod principiorum, ex quibus scientia efficitur, alia sunt *communia*, ἀρχαὶ κοιναί, vel κοινὰ, alia autem *propria* uniuscuiusque scientiae, ἀρχαὶ ἴδιαι, vel ἴδια ἑκάστης ἐπιστήμης[2]. Communia, ut suo loco dicemus, ea sunt, quae ad nullum certum genus rerum spectant, sed ad cuncta genera accommodantur, et propria sunt ea, quae circa singula genera rerum versantur. Ita commune est illud principium: *Si ab aequalibus aequalia demas, residua erunt aequalia*, quia ad aequalitatem ab omni materia exemptam spectat; ast illo uti ad rem suam possunt cum Arithmeticus, tum Geometra, atque e communi proprium scientiae suae efficere. Arithmeticus enim inter demonstrandum utitur hoc principio: *Si ab aequalibus numeris aequales numeros demas, residui erunt aequales*, et Geometra hoc alio: *Si ab aequalibus lineis aequales lineas demas, lineae residuae erunt aequales*. Quorum principiorum primum est proprium arithmeticae, alterum geometriae, quippe quod illud circa quantitatem discretam, hoc autem circa quantitatem continuam versatur [3].

Iamvero, omissis principiis propriis, de quibus alias agemus, certo certius est inventionem principiorum com-

---

[1]) Arist. *Met.* etc., t. II, p. 133, ed. cit. Hanc ob causam s. Hieronymus in *Dialog.advers.Pelag.* se formam dialogi adhibuisse scripsit. « Hic liber, inquit, quem nunc cudere nitimur, Socraticorum « consuetudinem servabit, ut ex utraque parte, quid dici possit ex-« ponat, et magis perspicua veritas fiat, cum proposuerit unusquis-« que quod senserit »; Prooem.

[2]) *Anal. Post.*, lib. I, c. 10, p. 15, et c. 32, p. 47, ed. Waitz.

[3]) Cons. Arist., *Anal. Post.*, lib. I, c. 10, p. 15, ed. Waitz.

munium nulli speciali scientiae convenire, sed propriam esse dialecticae. Et sane, ipsa nulli speciali scientiae convenit. Primo quidem, quod, cum cuiuslibet scientiae sit proprium obiectum, extra quod vagari ipsi non licet, principia communia, quae circa nullum certum genus rerum versantur, nullius specialis scientiae obiectum esse queunt. Secundo, quod, cum proprium cuiusque scientiae sit certum genus rerum ex suis causis, principiisque cognoscere, nulla specialis scientia principia sive communia, sive propria invenire potest [1], quorum ope demonstrationes suas conficiat, sed principiis iam inventis, paratisque uti debet. Quod si inventionem principiorum communium nulli speciali scientiae convenire certum est, illud quoque certum est ipsam esse opus dialectices. Nam quisquis διαλεκτικῶς *dialectice* de rebus disserit, res non investigat ex causis uniuscuiusque illarum propriis, sed, de rebus in utramque partem disputando, communes ipsarum causas, sive principia expiscari studet, quibus cunctae speciales scientiae in suis demonstrationibus conficiendis adiuvantur. Hoc autem dialecticus consequitur, quia communes opiniones hominum expendit, et ab iis, quae ipsi concedunt, sensim progrediens, ad conclusiones pervenit. Praestat, ne B. Albertum [2], aliosque Scholasticos nominemus, audire duo nuperrimos interpretes Trendelenburgium, et Waitzium. « Dialectica, ille ait, ab iis proficiscens, quae in communi « hominum opinione versantur (τὰ ἔνδοξα), in utramque « partem disputat, et difficultates ita quasi exagitat, ut « verum indagetur; et ad artium principia patefiat accessus [3] ». Similiter Waitzius: « . . . unaquaeque disciplina, cum ex certis quibusdam principiis fluat, « haec ipsa principia, quae ut habeat, unde argumen-

---

[1]) Cf Arist., *Met.*, lib. II, c. 2, p. 41, ed. Bonitz, atque huius *Comm.*, p. 132, et 143, ed. cit.

[2]) *Top.*, lib. I, tract. I, c. 5.

[3]) *Elem. log.*, § 33, p. 104, ed. cit.

« tetur, ponere debet, demonstrare ipsa non valet [1]: quare iam dialecticae, quippe quae ex iis argumentetur, quae ab omnibus, aut certe a plerisque concedi soleant « (ἐξ ἐνδόξων), hoc munus delegandum est, ut de principiorum certitudine nobis persuadeat [2] ». Principia autem scientiarum, quae dialectica invenit, nonnisi communia esse posse manifesta res est; si quidem, cum dialectica, uti ab initio diximus, non circa aliquod speciale genus entis, sed circa ens communiter sumtum versetur [3], principia, quae ipsa, disputando in utramque partem, invenit, non propria alicuius scientiae, sed communia omnium scientiarum esse debent. Discrimen hac in re inter logicam *iudicatricem* nempe *demonstrativam*, et logicam *inventricem*, sive *inquisitivam*, nempe *dialecticam* s. Thomas luculenter exposuit hoc modo: « Iudicium debet sumi « ex principiis propriis rei; inquisitio autem fit etiam « per communia. Vnde . . . dialectica, quae est inquisitiva, procedit ex communibus; demonstrativa « autem, quae est iudicativa, procedit ex propriis [4] ». Quomodo autem singulae scientiae principia communia, quae dialectica illis suppeditat, in usum suum accommodent, iisque uti propriis utantur, alias inquiremus [5].

Nemo vero existimet haec duo secum pugnare, scilicet quod dialectica cognitionem probabilem gignit, simulque principia communia, sive axiomata invenit, quae et certa, et indemonstrabilia sunt. Nam principia com-

---

[1]) Hoc, de quo inferius agemus, s. Thomas advertit cum saepe, tum in hoc loco: « Scientiae non argumentantur ad sua principia « probanda, sed ex principiis argumentantur ad ostendendum alia « in ipsis scientiis »; I, q. I, a. 8 c.

[2]) *Op. cit.*, t. II, p. 442, et 443.

[3]) Apposite s. Thomas: « Vna est dialectica inquisitiva de omni« bus »; 1ª 2ae, q. LVII, a. 6 ad 3.

[4]) 2ª 2ae, q. LI, a. 4 ad 2.

[5]) « Quaelibet scientia, Bonitz ait, quae ad demonstrandum ei « sunt proposita, ita conficit, ut a suis proficiscatur principiis: com« munia cognoscendi principia omnes suum in usum convertunt »; *Comm. in Met.*, p. 142, et 143, ed. cit.

munia scientiarum procul dubio sunt enunciationes certae, et nullius demonstrationis indigae; at Philosophus, si illa in suis argumentationibus usurpet, cognitionem probabilem, nempe *opinionem*, non vero cognitionem firmam, et stabilem, seu *scientiam* inde sibi comparare potest. Quod probatur hoc brevi argumento: Nos tum aliquid vere scimus, ut inferius videbimus, cum illud ex causis, per quas efficitur, cognoscimus, quia hae causae dumtaxat intimam naturam rerum nobis pandunt [1]. Atqui nos aliquid ex causis, per quas efficitur, cognoscimus, si illud ex propriis, non vero ex communibus principiis perspicimus, quia, cum cuiuslibet rei causae propriae sint, dumtaxat principia propria causas continere possunt, ex quibus unaquaeque res efficitur [2]. Ergo nos tum aliquid vere scimus, cum illud *ex principiis eius propriis*, ἐκ τῶν ἑκάστου ἀρχῶν, cognoscimus [3]. Hinc philosophus, si argumentationes suas communibus principiis superstruat, non *scientiam*, sed *opinionem* rei assequitur. Ex quo intelligis, quamvis dialectica sit principiorum communium inventrix, ipsam tamen a probabilibus proficisci, atque ad probabile ducere, quippe quod sunt probabilia ea, quibus ad principia communia invenienda utimur, probabilesque sunt conclusiones, quas ex illis principiis elicimus.

Verum, nobis, ope dialecticae, licet non modo principia communia invenire, sed etiam ipsa adversus illos, a quibus denegantur, vel in dubitationem adducuntur, tueri. Nemo certe ignorat principia, sive axiomata communia

---

[1]) « Dicendum quod demonstratio, quae facit scientiam de re, sumitur ex causis proximis rei »; *In lib. I Sent.*, Dist.XLV, q. I, a. 3 ad 5.

[2]) « Proprie illa scientia est particularis, quae est per medium particulare a re acceptum »; *Ibid.*, Dist. XXXV, q. I, a. 5 ad 2.

[3]) « . . . manifestum est, quod unumquodque demonstrari non possit, nisi ex suis principiis »; *Anal. Post.*, lib. I, c. 9, § 1, ed. Didot. « Iudicium de unaquaque re, inquit s. Thomas, fit per propria principia eius »; 1ª 2ae, q. LVII, a. 6 ad 3.

demonstratione non indigere, quia, advertente s. Thoma [1], eiusmodi sunt, ut, intellectis terminis, ipsorum veritas per se patescat. At, quandoquidem nullo non tempore defuere, quos ipsorum veritatem ex se manifestam inficiari, vel in dubium vocare non puduit, hanc quodammodo probare oportet, vel saltem iuvat. Huiusmodi autem probatio naturam verae, germanaeque demonstrationis induere nequit, quia axiomata communia, cum sint per se evidentia, ex principiis, quae priora eis sunt, deduci non possunt; id quod, uti alias dicemus, est proprium demonstrationis stricte sumtae. Reliquum igitur est, ut veritas communium axiomatum ex eis, quae omnes concedunt, aliisque id genus probabilibus argumentis probetur. Hoc autem genus probationis maxime ad dialecticam spectat, quia dialectica, cum ad nullum certum genus rerum coarctetur, de quavis re libere disputare potest, ob idque argumenta verisimilia, et probabilia ad rem evincendam venari. Itaque studium topices vel ex hoc capite utile philosophiae est, quod veritatem axiomatum communium contra Scepticos quodammodo probat [2].

ARTICVLVS PRIMVS

De distinctione, et numero quaestionum

Quandoquidem topice de rebus in utramque partem disputat, ut verum inveniat [3], et verum inveniri non

---

[1]) I, q. XVII, a. 3 ad 2.

[2]) Neminem illud moveat, quod a s. Thoma, aliisque Scholasticis traditum est, *metaphysicam*, quam recentes *Ontologiam* vocant, principia communia demonstrare. Nam metaphysica non probat principia communia demonstratione *directa*, hoc enim, ut modo innuimus, haud possibile est, sed demonstratione *indirecta*, seu quae ad absurdum ducit. Cf s. Thomam, *In lib. V Met.*, lect. IV, et I, q. I, a. 8.

[3]) Et sane, disputatio, monente s. Augustino, fit, ut verum invenia-

potest, nisi quaeratur [1], topicen tractare aggredientibus principio investigandum nobis est, ad quot, et quaenam genera omnes quaestiones revocentur, quae de rebus institui possunt. Et iure quidem optimo; nam si topice est vestibulum, τὰ ἔξωθεν, scientiae, seu philosophiae in universum sumtae, tractatus de distinctione, et numero quaestionum vestibulum, sive initium topices esse debet. Huius rei ratio, ni fallimur, haec est: Initium philosophiae, ἀρχὴ φιλοσοφίας, uti ex Platone, ac Aristotele diximus [2], est *admirari*, θαυμάζειν. Iamvero admiratio, uti ad hanc rem Albertus M. advertit, ad *quaestionem*, πρόβλημα, ducit. Ipsa enim, uti ante dictum quoque est, in animo eius exurgit, qui, cum in aliquod phoenomenum incidit, causam eius ignorare agnoscit [3]. Atqui, quoniam homo res *scire* natura sua desiderat, et scientia in cognitione causarum consistit, inde fit, ut homo ad causas phaenomenorum, quas ignorare perspicit, *quaerendas* naturaliter feratur. *Admirationem* igitur *quaestio* naturaliter consequitur. Quare quisquis naturam scientiae, modosque, quibus ipsa acquiritur, nosse velit, a recensendis quaestionum generibus ordiatur necesse est. En pauca verba laudati Doctoris:

---

tur, et a falso discriminetur.« Qui disputat, ipse ait, verum discer« nit a falso »; *Cont. Crescon.*, lib. I, c. 15, n. 19; atque alibi: « Veritas disputatione requiritur »; *Quaest. in Heptateuch.*, lib. I, Prooem.

[1]) « Eadem enim, ait Themistius, quaerendi et inveniendi discri« mina sunt, quia quaestio omnis inventionis gratia initur »; *Paraphr. in Poster. Aristot.*, p. 17, Venetiis 1570. Clemens Alex. clare innuit, quomodo nec inventio sine quaestione, nec quaestio sine ignoratione existere queat. « Iis, ait, qui sic pulsant, aperitur, ut « opinor, id, quod quaeritur . . . Non enim fieri quidem potest, ut « quis inveniat, non autem quaerat . . . . Sed eius quidem est inve« nire qui quaesierit: quaerere autem eius, qui prius existimaverit « se nescire »; *Strom.*, lib. VIII, c. 1.

[2]) *Introd.*, p. 19, et 20.

[3]) *Introd. cit.*, ibid. Apposite s. Thomas: « Ad admirationem duo « concurrunt, quorum unum est, quod causa illius, quod admiramur, « sit occulta »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VI, a. 2 c.

« . . . quaestio fit ex admiratione, et ideo excitat ad « inquirendam causam in eo quod demonstrabile est, « ideo conveniens est incipere a quaestione, ex qua in- « cipit philosophari omnis recte inquirens per philoso- « phiam [1] ».

Iamvero « quaesita, uti ab Aristotele, qui diligenter « hac de re disseruit, observatum fuit, tot sunt nume- « ro, quot sunt ea, quae scimus [2] ». Etenim « scientia, « monente in h. l. s. Thoma, est cognitio per demon- « strationem acquisita. Eorum autem oportet per de- « monstrationem cognitionem acquirere, quae ante fue- « rint ignota, et de his quaestionem facimus, quae i- « gnoramus. Haec igitur, et tot sunt illa, quae quaeri- « mus, quae cum invenerimus, dicimur scire [3] ». Hinc *quaestionem*, et *conclusionem* non *re*, sed *ratione* differre post Cassiodorum [4], idem s. Thomas [5], aliique Scholastici sapienter tradiderunt. Iuvat id explicare luculentis hisce Balforei verbis : « Non enim, inquit, aliam ob « causam quaerimus, quam ut sciamus; imo vero quod « quaeritur, et quod postea per demonstrationem sci- « tur, hoc est, πρόβλημα, καὶ συμπέρασμα, sive quaestio, et « conclusio, re ipsa et subiecto idem sunt : sola ratio- « ne, et modo differunt. Vt an luna deficiat ? tam quae- « stio est, quam demonstrationis conclusio. Nam quan- « do quaero an luna deficiat ? et id mihi demonstrari « postulo, quaestio est : sed cum demonstratur, lunam « deficere, conclusio est [6] ».

---

[1]) *Anal. Post.*, lib. II, tract. I, c. 1.

[2]) *Anal. Post.*, lib. II, c. 1, § 1, ed. Didot.

[3]) *In Anal. Poster.* lib. II, lect.I. Cf Albertum M., *Op. cit.*, lib.II, tract. I, c. 1, et Scotum, *Quaestt. in lib.II Post.Anal.*, q.I ad 1, n.3.

[4]) « Enuntiatio quippe, ait, sive sui tantum causa dicitur, sive « ad alios adfertur ad probandum, propositio: cum de ipsa [quae- « ritur, quaestio: si ipsa est approbata, conclusio. Idem igitur pro- « positio, quaestio, et conclusio, sed differunt modo »; *Op.cit.*, c.3, *Dialect.*, t. II, p. 540. — [5]) Vid. huius locum cit. p. 61, not [1]).

[6]) *Ad lib. II De demonstratione*, c.1, *Op. cit.*, p. 637. Cf vol. II, p. 236.

Ea vero, quae de rebus quaeri possunt, ab Aristotele, eiusque cum antiquae, tum mediae aetatis Interpretibus ad quatuor genera iure, meritoque revocata sunt. Nos enim de re quaerere possumus 1° *an sit*, εἰ ἔστι, nempe *existentiam*; 2° *quid sit*, τὸ τί ἐστιν, scilicet *essentiam*; 3° *qualis sit*, τὸ ὅτι, sive *quale quid sit*, τὸ ὁμοῖον τί ἐστιν, nempe *qualitatem*, quae rei inhaeret, sed rei essentiam non efficit; 4° *cur. sit*, vel *unde sit*, τὸ διότι, nempe *finem*, propter quem, et *causam*, ex qua res effecta est [1]. Quaternarii huius numeri ratio adeo manifesta est, ut demonstratione non indigeat. Nam, si nos lateat, an sit res, de qua disputatio instituitur, liquet necessario quaerendum nobis esse, *an sit;* nam disputare de re, de qua, utrum ipsa sit, necne, ignoratur, ridiculum est, nedum supervacaneum. Quod si rem esse nobis vel ab initio innotescit, vel vestigando compertum est, non plura tribus circa eam quaeri a nobis possunt. Si enim rem ipsam in se spectamus, duo in ea nobis expendenda sese offerunt, eaque sunt *essentia*, atque ea, quae ipsi quidem inhaerent, sed ipsam non efficiunt, scilicet *accidentia*, sive affectiones eius; non aliud enim in qualibet re invenitur, aut inveniri potest, quam essentia, atque id, quod essentiae addi intelligitur. Hinc de re in se spectata duo tantum quaeri possunt, scilicet τί ἐστι, *quid sit*, et τὸ ὅτι, *qualis sit*. Sin rem ad causas, ex quibus pendet, relatam consideremus, non aliud investigari de ipsa a nobis potest, nisi ex qua causa, et ob quem finem effecta sit; si quidem quidquid existit, ex aliquibus principiis

[1]) Vid. Arist., *Anal. Poster.*, lib. II, c. 1, t. II, p. 49, et 50, ed. Waitz, et quod hic in *loc. cit.* advertit, t. cit., p. 379, et 380. Trendelenburgius monuit vocem διότι non modo *cur*, nempe finem, sed etiam *unde*, hoc est, causam effectricem significare. « Διότι, ait, si « in hoc usu latine reddi solet *cur*, in angustias cogitur. Neque e- « nim solum, ut e positis Aristotelis exemplis apparet, agendi spe- « ctat consilium, et finem, in quo quidem *cur* versatur, sed etiam « causam, ea qua tanquam efficiente res nascitur, ita ut duplicem « vim complectatur, nec minus *unde*, quam *cur* intelligi debeat »; *Elem. Log.*, § 15, p. 77, ed. cit.

constituitur, atque a causa, a qua producitur, ad aliquem finem destinatur. Quocirca de re ad causas suas relata dumtaxat haec duo quaerere licet, nempe *unde*, et *cur* sit, atque haec duo, uti vidimus, unica quaestione διότι continentur. Ex quibus intelligis, quemadmodum non plura, quam quatuor, sunt genera eorum, quae de rebus *sciri* possunt, scilicet *existentia*, *essentia*, *qualitas*, et *causa*, vel *finis*, ita nec plura, nec pauciora, quam quatuor modo enumerata, esse posse genera quaestionum, quae de rebus institui possunt.

Nisi quod, cum nos ex Aristotele asserimus quaesita esse numero paria scitis, haud nobis volumus non plura quaeri posse, quam quae sciantur. Primo enim, cum quaestio de aliqua re instituitur, ignoratur, utrum, necne illa res sciri possit, neque id ante innotescere potest, quam quaestio soluta est. Secundo, omnes norunt multa a nobis sciri, quae nunquam quaesita fuere, immo quae absurdum foret quaerere, cuiusmodi sunt prima principia cognitionis, quae omnibus comperta sunt, multaque e contrario quaesita fuisse, quae solvi non potuerunt. Postremi huius generis sollemne exemplum est τετραγωνισμὸς, nempe *quadratura circuli*; hanc enim multi ab Hyppocrate Chio, Brysone, et Antiphonte, qui ante Aristotelem floruere [1], usque ad postremam aetatem quaesiverunt, neque adhuc solutio quaesiti inventa est, quin immo, uti inter omnes geometras convenit, inveniri non potest. Illud dumtaxat nobis volumus, quidquid de rebus sciri a nobis potest, ad aliquam illarum quatuor quaestionum in universum revocari, ita ut doctrina Aristotelis de numero quaternario quaestionum, quemadmodum Zabarella monuit, « de modis quaerendi, et sciendi generaliter ac- « ceptis », non vero « de ipsis rebus, quae sciri ac « quaeri possunt », intelligenda sit [2]. Vnde Scotus pro-

---

[1]) Vid. p. 130, not. 2.

[2]) *De speciebus demonstrationis liber*, c. 2, *Opp. Log.*, p. 242, Tarvisii 1604.

positionem de numero quaestionum statuit hoc modo : « Quaestiones acceptae in generali sunt aequales numero « his, quae vere scimus in generali ; et sic est proposi- « tio vera [1] ».

Recentes Logici , illi , inquimus , qui contemta, aut reiecta philosophiae peripatetica , e Cartesii schola percrebuere , hanc controversiam de numero quaestionum , perinde ac multa alia ad topicen pertinentia, haud tractarunt. Sed aliter res visa est Vico nostro , quippe qui non semel monuit neminem posse rem aliquam penitus cognoscere , nisi omnes quaestiones , quae ipsam spectant, instituat, et solvat. Ait enim , uti ante vidimus: « quanam ratione quis certus sit omnia perspexissé , « nisi per quaestiones omnes, quae de re proposita in- « stitui possunt, sit persecutus ? [2] » Et paulo post, quantum *critica* , sive logica iudicatrix hac parte topices egeat clare innuit : « At si critica face locos topicae « omnes perlustret , tunc certus erit se rem clare , et « distincte nosse; quia per omnes quaestiones , quae de « re proposita institui possunt , rem versavit [3] ». Sed notatu dignum est illum quaestiones a categoriis derivasse, proindeque non quatuor, sed categoriis numero pares quaestiones admisisse. Haec opinio Vici quamdam speciem veritatis prae se ferre videtur; si quidem de qualibet re, uti alibi diximus [4], quaeri potest , *quid sit*, *quanta sit*, *qualis sit*, aliaque , quibus denarius numerus categoriarum absolvitur. Ast ipsa iam ab Alberto M., post nonnullos antiquos Interpretes, explosa fuit hoc fere modo: Quaesita , et scita , si circa res vel in se spectatas , vel ad conceptus mentis nostrae relatas versentur , multo plura esse possunt illis quatuor , quae explicuimus , quippe quod multo plures sunt res, quae quaeri, et sciri a nobis possunt , pluresque etiam sunt supremi conceptus

---

[1]) *Op. cit.* , q. I, n. 3.
[2]) *De antiq. Ital. sap.* , c. VII, § 4, p. 83.
[3]) *Op. cit.* , p. 83, et 84. — [4]) Vol. I, p. 436-437.

rerum, quos efformare nobis licet. At vero, si quaesita, et scita considerentur *secundum formam*, hoc est, secundum diversos modos, quibus res quaeri, et sciri possunt, ipsa non sunt plura illis quatuor, quae recensuimus. Namque, ut modo ostendimus, quidquid de aliqua re sciri potest, ad unum illorum quatuor necessario revocatur, et, quoniam quidquid scire de rebus possibile est, quaeri de ipsis potest, consequens est, quidquid de rebus quaeri potest, ad unum illorum quatuor, quae diximus, quoque revocari. Vnde genera quaestionum non plura, quam illa quatuor sunt, nempe 1° *an sit*, 2° *quid sit*, 3° *quale quid sit*, 4° *unde et cur sit* [1]. Ex hac theoria haud difficulter intelligitur longe a vero abesse principium, ex quo Vicus partitionem quaestionum deducendam esse censuit. Et sane, possunt quidem de rebus ea quaeri, quae decem categoriis continentur; verum decem istae quaestiones spectant ad diversos supremos conceptus rerum, quos intellectus sibi efformat, sed non denotant diversos modos, quibus res quaeri, et sciri possunt. At, cum in logica de numero quaestionum disseritur, certe non agitur de singulis quaestionibus, quae circa res institui possunt, sed de diversis modis, secundum quos res sciri, et quaeri possunt. Quocirca numerus quaestionum numero categoriarum, ut Vicus voluit, respondere haud debet. Hoc planius nobis fiet, si mente reputaverimus omnia, quae de rebus secundum decem categorias quaeruntur, posse facile revocari ad aliquod illorum quatuor generum, quae Aristoteles explicuit. Vt nonnullum exemplum ab eodem Alberto M. mutuemur, nemo non videt quaestiones de quantitate, et qualitate ad quaestionem τὸ ὅτι reduci, quia per illas quaeritur, utrum aliquid alicui insit, hoc est, utrum aliquid sit *tale*, nempe *quantum*, aut *quale*, necne [2].

---

[1]) *Op. cit.*, lib. II, tract. I, c. 1.

[2]) « Per quale autem, vel quantum quaestio reducitur ad quaestio-

Quandoquidem quot, et quaenam sunt genera quaestionum novimus, opus nobis est inquirere 1° quonam ordine illis utendum nobis sit; 2° quibus vinculis inter se contineantur; 3° quomodo ad scientiae adquisitionem nos ducant.

A primo capite exordientes praemonendum esse ducimus, cum quaestio de aliqua re instituitur, ipsam, uti Aristoteles advertit, posse quaeri vel *simpliciter*, ἁπλῶς, vel *ex parte*, ἐπὶ μέρους [1]. Res quaeritur *simpliciter*, cum quaeritur, *an sit*, quia, cum quaeritur existentia rei, res universa quaeritur. Res vero quaeritur *ex parte*, cum quaeritur *qualis sit*, quia, cum quaeritur, num rei aliquid insit, res non quaeritur *omnino*, sed *secundum aliquid*, quod ipsi inest. Hunc locum Stagiritae Waitzius luculenter exposuit his paucis: « Si quae« ratur τὸ ὅτι, quaeri dicit (*Aristoteles*) τὸ ἐπὶ μέρους, quia « non de re universa, h. e., non de existentia rei quae« stio sit, sed de aliqua parte eorum quae cum ea coniun« cta sint: si vero quaeritur τὸ εἰ ἔστιν, res universa (ἁπλῶς) « in dubium vocatur [2] ». S. Thomas vero theoriam Aristotelis declaravit hoc exemplo : . . . « quia est, et si « est, differunt sicut in parte, et simpliciter. Cum e« nim quaerimus, utrum luna deficit, aut utrum au« getur, est quaestio in parte. In huiusmodi enim quae« stione quaerimus, si luna est aliquid, puta si defi« ciens, aut aucta, vel non. Sed cum quaerimus, an « luna sit, sive an non sit, est quaestio de esse simpli« citer [3] ». Quoniam autem essentia rem perficit, et tum causa, tum finis ad effectionem rei concurrunt, quaestionem de essentia, perinde ac quaestionem de existentia, circa universam rem, et quaestionem de causa, vel

---

« nem quia, quae quaerit indiffinite utrum hoc insit illi »; *Op. cit.*, lib. et tract. citt., c. 2.

[1]) *Anal. Post.*, lib. II, c. I, § 3, et c. 2, § 1, ed. Didot.

[2]) *Op. cit.*, t. II, p. 281.

[3]) *In lib. II Anal. Post.*, lect. I. Cf Albert. M., *Op. cit.*, lib. et tract. citt., c. 3.

fine, perinde ac quaestionem de qualitate, circa partem rei versari nemo certe est, qui non videat [1]. Apposite Trendelenburgius: « Aut universa res in quaestionem « vocatur, quo pertinet εἰ ἔστι, τί ἐστι, aut, re ipsa po- « sita, actiones et effectus explorantur, quo pertinet « ὅτι, διότι [2] ». Quin vero res non modo ex parte, sed etiam quandoque universa quaerenda sit, nemini dubium esse potest, quippe quod latere nos potest non solum *cur*, et *unde* res sit, sed etiam *quid* sit, immo etiam, an *sit*.

Iamvero, si ipsa existentia rei, de qua agitur, nos lateat, quaestio, εἰ ἔστι, *an sit*, in primis ponenda nobis est. Nam, cum id, quod non est, nec ullam essentiam, nec ullam causam habere queat, profecto non licet nobis inquirere, *quid*, aut *qualis* res sit, aut *cur*, et *unde* sit, nisi ipsam *esse* cognoscamus. Quare quaestioni, *an sit*, seu de existentia rei nulla alia quaestio praecedere potest. Nihilominus, monente eodem Aristotele [3], innotescat nobis necesse est, quid nomine rei quaesitae intelligatur; planum enim quoque est non posse ullam quaestionem, quaecumque ea sit, instituī, nisi voces, quibus significatur, probe compertae nobis sint. Audiatur s. Thomas in h. l. Stagiritae: « . . . . antequam sciatur de aliquo *an sit*, non pot- « est sciri proprie de eo quid sit. Non entium enim « non sunt definitiones. Vnde quaestio an est, prae- « cedit quaestionem quid est. Sed non potest ostendi « de aliquo an sit, nisi prius intelligatur, quid signi- « ficatur per nomen [4] ». Hinc « quaestio si est, ut

---

[1]) Hinc Albertus M.: « Et sicut in quaestione propter quid perfi- « citur scientia quaestionis quia: sic in scientia quaestionis quid est, « perficitur scientia quaestionis si est, vel an est »; *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 2.

[2]) *Elem. Log.*, § 15, p. 77, ed. cit.

[3]) *Anal. Post.*, lib. I, c. I, § 4, ed. Didot.

[4]) *In lib. I Anal. Poster.*, lect. 2. Hoc ipsum s. Augustinus, ni fallimur, innuit in his duobus locis: « Qui non videt quaestionem, « quae proponitur, quomodo intelligit quod exponitur? »; *In Ioan.*

« Scotus scite monuit, aliquid praesupponit. Non prae-
« supponit tamen *quid est rei*, sed quid est, quod signi-
« ficatur per nomen; *quid* enim *rei* praesupponit *si est* [1] ».

Quoties est vel per se notum, vel inquisitione patefactum rem esse, oportet instituere quaestionem τὸ τί ἐστι, scilicet de essentia rei. Nam, quandoquidem res per quidditatem, sive essentiam suam id, quod est, efficitur, consequens est ad scientiam rei adquirendam omnino expostulari, ut essentiam eius cognoscamus. Indubium est hanc alteram quaestionem *quid sit* priori *an sit* statim succedere, propterea quod, uti Albertus M. advertit, postquam novimus aliquam rem esse, naturali desiderio trahimur ad cognoscendum quid ipsa sit [2]. Itaque sapienter s. Thomas: « Quod quid est sequitur quae-
« stionem an est [3] », itemque Henricus Gandavensis: « co-
« gnito de re an sit, statim habet locum in eadem quae-

Evang. c. VII, tract. XXIX, n. 3: « Nonnulla pars inventionis est « nosse quid quaeras » ; *Quaestiones in Heptateuchum*, lib. I, Prooem.

[1]) *Op. cit.*, q. II, n. 3. Haec verba Scoti explicant illum locum s. Thomae: « Quod quid est, est principium demonstrandi an est sim-
« pliciter, et quia est »; *In lib. III Sent.*, Dist. XXIV, q.I, a. 1, *sol.* 2 ad 2. S. Bonaventura hanc rem, fortasse enucleatius, quam s. Thomas, Scotus, ceterique exposuit, ut eius verba praetereunda nobis haud sint. « Dicendum, ait, quod quid aliquando quaerit essentiam,
« supposito quid est quod per nomen dicitur, ut quid est homo, et
« quod respondetur ad hanc quaestionem indicat substantiam pure,
« et essentiam. . . . Aliquando, supposita voce indeterminata, quae-
« rit quid per nomen dicitur, sicut si dicatur, Brunellus currit, et
« quaeratur, quid Brunellus, utrum scilicet homo, vel asinus. Ali-
« quando supposita quidditate, et significatione, quaerit de eo, re-
« spectu cuius dicitur nomen dependens, ut si dicatur, albi currunt,
« et si quaeratur, quid albi? potest responderi, homines, vel asini »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXV, a. 1, q. I *ad arg.*

[2]) « Scientes autem esse quod est, quaerimus quid est, hoc est, quid-
« ditatem ipsius per diffinitionem »; *Op. cit.*, lib. et tract. citt., c. 1.

[3]) I, q. II, a. 2 ad 2. Adverte tamen cum eodem Aquinate, « quod
« *quid* non solum quaerit de essentia, sed quandoque etiam de sup-
« posito, ut, Quid natat in mari? piscis. Et sic ad *quid* respondendum
« est per nomen persona »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. IX, a. 4 ad 1.

« stio quid sit, quaestio enim quid sit, secundum Phi-
« losophum, supponit quaestionem an est [1] ».

Sin rem esse patescat, sed dubitetur, num aliquid ipsi insit, locus erit quaestioni τὸ ὅτι, nempe *qualis res sit*, sive, ut Scholastici aiebant, quaestioni *quia est*. Hac quaestione, uti patet, quaeritur, utrum, necne aliquod praedicatum subiecto insit. « Exemplum autem,
« Albertus M. ait, quaestionis quia est . . . est quando
« quaerimus, ut utrum sol deficit, aut non: tunc enim
« quaerimus, an tale praedicatum insit tali subiecto [2] ».
Haec tertia quaestio a secunda differt, quia in qualibet re, praeter illud, quod essentiam eius efficit, quodque quaeritur quaestione *quid sit*, alia inveniuntur, quae ei adiiciuntur, ac inhaerent; haec autem sunt, quae ad quaestionem τὸ ὅτι spectant. Praeterea quaestio τὸ ὅτι, si ordo naturae spectetur, posterior est quaestione τὸ τί ἐστιν; quippe quod rem primo per essentiam constitui, dein ipsi iam per essentiam constitutae alia adiici intelligimus; at, si ordo cognitionis consideretur, illa huic antecedere potest, quia, cum non raro, uti alias ostendemus, essentiam non cognoscamus, nisi per suas proprietates, quaestionem τὸ τί ἐστι, quae post quaestionem εἰ ἔστι instituitur, resolvere non possumus, nisi antea quaestionem τὸ ὅτι resolverimus.

Denique quaestioni τὸ ὅτι subnectitur quaestio διότι, sive *unde*, vel *cur*; si quidem, propter illam, quam diximus, *admirationem*, τὸ θαυμάζειν, cum aliquid rei inesse cognoscimus, *unde*, et *cur* ipsi insit, detegere volumus. B. Albertus explicuit hoc modo: « Cum autem sciamus
« ipsum quia, tunc statim, ut dicit Avicenna, agonia-
« mur, et admiramur quae sit causa, quod tale praedica-
« tum tali inest subiecto, et ex illa admiratione, agonia,
« sive suspensione ad causam, ipsum quaerimus propter
« quid est, hoc est, propter quam causam tale prae-

[1]) *Summa*, art. XXIII, q. I, n. 6.
[2]) *Op. cit.*, ibid.

« dicatum inest subiecto : sicut scientes , quia deficit « sol, vel quia movetur, et tremit terra, quaerimus propter « quid deficit sol, et propter quid tremit, vel movetur « terra [1] ».

Ex quibus omnibus perspicitur, si rem cum esse, tum hoc , aut illo modo esse experientia compertum nobis sit , locum relinqui duabus quaestionibus , scilicet *quid res sit*, et *cur* , aut *unde sit* ; sin nobis notum quidem sit rem esse , sed lateat , hocne , an illo modo sit, locum ante duas iam dictas dandum esse quaestioni *qualis res sit* ; sin demum ne illud quidem cognoscamus rem esse, oportere, ut cunctae quatuor quaestiones instituantur [2].

Operae pretium est hanc theoriam de ordine , quo quaestiones instituendae sunt, claudere hoc loco Clementis Alex.: « De quavis ergo re quaesita si quis recte « tractare velit, non ad aliud principium, quod sit ma- « gis extra controversiam potius deducet orationem, quam « ad id quod quicumque sunt eiusdem gentis , et ser- « monis, ex appellatione fatentur significari. Deinde ab « eo progrediendo , necesse est quaerere , existat necne « id quod oratione significatur. Deinde, si esse fuerit « ostensum , accurate quaerendum est , qualis sit eius « natura, et num ordinem datum superet [3] ».

Quod si quatuor quaestiones secum invicem conferamus , nonnulla exinde perspiciemus , quae plurimum momenti ad scientiae adeptionem habent.

Primum est , quod quaestiones *an res sit* , et *quid*

---

[1]) *Ibid.* Advertant iuvenes voces graecas *agoniamur*, et *agonia*, quas B. Albertus adhibuit , esse ad hanc rem valde opportunas, ἀγωνία enim latine idem valet, ac *sollicitudo* , atque ἀγωνιάω idem ac *vehementer*, *et cum anxietate quadam desidero*.

[2]) Cf e nuperis Trendelenburg , *Elem. Log.*, § 15, 16, 60, et 61, p.77-79, et 140-141; Saint-Hilaire, *Logique d' Arist.*, trad. etc., *Derniers Analytiques*, lib. II, c. I, t. III, p. 189-192; Waitz, *Op. cit.*, t. 2, p. 380, et 381.

[3]) *Strom.* lib. VIII, c. 2.

res sit, pertinent ad subiectum [1], et quaestiones *qualis res sit*, et *cur*, aut *unde sit*, ad praedicatum; illis enim quaeritur existentia, aut essentia subiecti, de quo agitur, his vero, num aliquid de subiecto praedicari possit, vel qua de causa, aut quem ob finem de subiecto praedicetur. Vnde si res a suis affectionibus seiuncta spectetur, duae quaestiones de ipsa institui possunt, eaeque sunt, *an sit*, et *quid sit*; sin res ad suas affectiones relata consideretur, duae aliae, nempe *qualis sit*, et *unde*, vel *cur sit*. E.g., de anima humana in se spectata quaeri potest, utrum re vera sit, an nulla sit, si negetur ipsam esse, quemadmodum ab iis negatur, qui ipsam ab organica corporis structura non distinguunt, et quid sit, puta *corporea*, an *incorporea*, si concedatur, aut probatum sit ipsam esse. Quod si quis scire velit, num sit immortalis, animamque idcirco relatam ad immortalitatem consideret, quaerere debet, utrum anima sit immortalis, an mortalis, et postquam invenit ipsam esse immortalem, inquirere potest, quid sit, ex quo immortalis efficitur, et ob quem finem immortalis effecta est, sive *unde*, et *cur* sit immortalis.

Ex his autem primo intelligitur quaestiones, quae ad subiectum pertinent, esse *simplices*, et quaestiones, quae ad praedicatum pertinent, esse *compositas*. Re vera, quaestiones *an sit*, et *quid sit* sunt quaestiones simplices, quia circa aliquid versantur, quod unum est cum subiecto, scilicet circa existentiam, atque essentiam, quae subiectum constituunt. E. g., hae duae quaestiones, *an homo sit*, et *an homo sit animal rationale* sunt simplices, quia in prima *esse* non est aliud, quam illud, quo homo est in *actu*, atque in secunda *animal* et *rationale* essentiam hominis constituunt. Quaestiones autem *qualis res sit*, et *unde*, aut *cur sit* sunt compositae, « quia videlicet, « uti ait s. Thomas, quaestio est de compositione duo-

[1]) « . . . est, ait Henricus Gandav., duplex praecognitio circa sub« iectum scientiae, an sit, et quid sit »; *Op. cit.*, art. XXI, n. 10.

« rum [1] », nempe alicuius affectionis cum subiecto, cui affectio inhaeret, puta *an anima sit immortalis*, vel alicuius causae sive internae, sive externae subiecti cum eodem subiecto, puta *quid sit in anima, ex quo ipsa immortalis efficitur*, vel *cuius gratia immortalis a Deo effecta est* [2]. Secundo, illud intelligitur, ad substantiam pertinere duas quaestiones, *an sit*, et *quid sit*, ad accidens autem omnes quatuor, sed duas praesertim, scilicet *quale quid sit*, et *cur*, aut *unde sit*. Id cl. Dandinius probavit hoc modo: « Quae cum ita sint, duae « tantum in substantia quaestiones locum habent, an « sit, et quid sit. Cum enim alteri non insit, quaeri « de illa non potest, qualis sit, et cur sit, quoniam « haec inhaerentiam supponunt, quae substantia non « est. . . At vero in accidente omnes quatuor quaestio- « nes esse possunt. Si enim accidens consideretur per « se, quaeri potest an sit et quid sit, ut autem subie- « cto inest, quod sit, seu quale sit, et cur sit. . . « Duae praesertim in accidentibus spectantur quaestiones

---

[1]) *In lib. II Anal. Post.*, lect. I.

[2]) Vid., praeter s. Thomam (*loc. cit.*), B. Albert. M. (*Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 2), et Henric. Gandav. (*Op. cit.*, art. XXIV, q. III, n. II). Quo huius distinctionis ratio perspiciatur, advertendum est cum eodem s. Thoma, omni quaestione enunciationem contineri. Nam, « cum scientia non sit, nisi veri, verum autem significatur solum per « enunciationem, oportet solam enunciationem esse scibilem, et per « consequens quaeribilem ». Atqui, « enunciatio, sanctus Doctor « subdit, dupliciter formatur. Vno quidem modo ex nomine, et verbo, « ut cum dicitur, homo est. Alio modo, quando aliquid tertium adia- « cet, ut cum dicitur, homo est albus » (*Op. cit.*, ibid.). Duplex igitur quaestio distinguenda est, scilicet una, cui respondet enuntiatio simplex, puta *homo est*, altera autem, cui respondet enuntiatio a Scholasticis appellata *de tertio adiacente*, scilicet in qua praeter *subiectum*, ac *esse*, quod copula continet, invenitur tertium, quod adiici subiecto intelligitur, puta *homo est albus*. S. Thomas in hoc loco duas quaestiones *an sit*, et *quale sit* dumtaxat nominat, quia, ut mox dicemus, quaestiones *an sit*, et *quid sit*, necnon quaestiones *quale sit*, atque *unde*, aut *cur sit* sibi invicem respondent.

« quod, et cur. Etenim an sit, et quid sit, magis eo-
« rum videntur propriae, quae nec insunt alteri, nec
« essentiae suae, aut existentiae causam habent [1] ».

Alterum est, quod quaestiones *an sit*, et *quid sit*, necnon quaestiones *quale quid sit*, et *unde*, aut *cur sit* sibi invicem respondent. Duae priores sibi invicem respondent, quia quaestione *quid sit* quaeritur aliquid, ex quo cognitio illius, quod quaesitum est quaestione *an sit*, scilicet τοῦ *esse* rei, perficitur. Praestat id evincere hac Henrici Gandav., brevi, solidaque argumentatione: Quandoquidem res vere, et determinate cognoscitur, non cum cognoscitur tantum ipsius existentia, sed cum cognoscitur quoque ipsius natura, sive essentia, liquet quaestione *an sit* quaeri confusam, ac indeterminatam cognitionem rei, et quaestione *quid sit* distinctam, et determinatam. Atqui cognitio rei confusa, atque indeterminata est imperfecta, et cognitio rei distincta, et determinata est perfecta. Ergo quaestione *quid sit* quaeritur aliquid, ex quo illud perficitur, quod quaestione *an sit* quaesitum est. Inde perspicis duas hasce quaestiones ita secum connecti, ut prima sit principium secundae, et secunda sit perfectio primae [2]. Quod

[1]) *De corpore animato*, *In lib. I De anim.* Com. XIX, col.357,et 358, ed. cit.

[2]) « De eodem enim sunt si est, et quid est, ad modum quo idem « significant nomen, et definitiva ratio (*sive definitio*, *quae expli-* « *cat quid sit illud*, *quod per nomen significatur*) . . . est enim « istud si est, aliqua portio eius quod quid est, quia est indetermi- « nata cognitio generis, et naturae rei, nec tamen cadit sub eo, « quod est, quid est, quod distinguitur contra si est. Hoc enim quid « est, est quaestio de natura rei determinata,vel secundum genus, et « hoc quo ad incompletam cognitionem eius, quod quid est, vel « secundum definitivam rationem, et hoc quo ad completam cogni- « tionem eius quod quid est, in qua etiam cognoscendo quod quid « est, complete cognoscitur si est, quod est quaestio de natura rei « omnino indeterminata, etiam secundum genus generalissimum. « Vnde sicut imperfecta, et determinata cognitio est principium co- « gnitionis perfectae, et determinatae, sic cognitio ex quaestione si « est, est principium cognitionis ex quaestione quid est, et e conver-

ad duas posteriores spectat, res per se manifesta est. Nam quaestione *unde*, et *cur sit*, illud quaeritur, ex quo intelligitur, unde, et cur aliquid alicui insit. Atqui quaestione *qualis res sit*, quaeritur utrum, necne aliquid alicui insit. Ergo quaestio *unde*, et *cur sit* quaestioni *qualis res sit* respondet. Cum is inter priores, et posteriores quaestiones nexus existat, inde patet, quare, postquam novimus, *an res sit*, quaeramus, *quid ipsa sit*, et postquam novimus, *qualis ipsa sit*, quaeramus *cur*, et *unde sit* [1].

Tertium est, quod quaestiones *an res sit*, et *qualis sit*, et quaestiones *quid sit*, et *unde*, et *cur sit* ad unicam quaestionem revocantur. Enimvero, quod ad quaestiones *an res sit*, et *qualis sit* attinet, manifestum ex se est ambas ad unicam quaestionem redire, quae existentiam rei spectat; ipsae enim nonnisi ex hoc differunt, quod prior existentiam rei *simpliciter*, ἁπλῶς, posterior autem *ex parte*, ἐπὶ μέρους, spectat. « Et sic, ait « Albertus M., quaestio *quia*, et quaestio *an est*, sive « si est, in idem quaesitum referuntur non differens « substantia vel subiecto, sed differens secundum esse « tantum, quod scilicet quaesitum partitum quaeritur « per quaestionem quia. Simpliciter et non partitum « quaeritur per quaestionem si est. Istae ergo duae quae« stiones sunt circa idem quaesitum [2] ». Quod ad quaestiones *quid res sit*, et *quare*, vel *unde sit* attinet, res quoque manifesta est. Etenim nos, ut saepe innuimus

« so sicut, habita perfecta et determinata quaestione, perficitur quid« quid erat imperfectum in cognitione indeterminata, sic, habita co« gnitione perfecta ex quaestione quid est, habetur perfecta cogni« tio eius, quod quaerit quaestio si est. . . et sic perfecta ratio co« gnitionis ipsius si est, est cognitio eius quod est quid est »; *Op. cit.*, art. XXIV, q. III, n. 9, cf *ibid.*, q. VI, n. 8.

[1]) Vide id, quod superius diximus (p. 175, et 176). Apposite s. Thomas: « cognito quia est, quaerimus propter quid est, aut cognito si « est, quaerimus quid est »; *In lib. II Poster. Anal.*, lect. I. Consulere iuvat Dandinium, *Op. cit.*, *Comment.* cit., col. 358.

[2]) *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 3.

tum vere cognoscimus de aliqua re, *quid sit*, cum cognoscimus causas, ex quibus ipsa efficitur, simulque cognoscimus ipsam non ab aliis, quam ab illis causis posse effici [1]. Iam, quisquis novit, *quid res sit*, nempe essentiam, sive *quidditatem* rei, causas, ex quibus res efficitur, nullo negotio inveniet; si quidem ipsi essentiam rei evolventi causae, ex quibus res fit, procul dubio occurrent. « Ita quidem fit, Trendelenburgius ait, « ut, postquam quid sit res, accurate cognoveris, rei « causa semet ipsam aperiet [2] ». Vicissim, quisquis novit *unde*, et *cur res sit*, inde nullo negotio perspiciet *quid res sit*, quippe quod cognoscens causas, propter quas res est, simul cognoscit id, quod res est, nempe essentiam rei. Apposite Gastmannus : « Qui autem « rei causam, sive τὸ διότι novit, is simul quid sit res « (τί ἐστι) vere scire dicendus est »; atque, allato loco Aristotelis, quem iam exscripsimus, subdit : « Quod « quomodo intelligendum sit, exemplis, quibus ipse « Aristoteles utitur, illustremus. Si quis sensuum perceptionibus edoctus lunam deficere, huius rei experientiam tenet, quid sit lunae defectus, nescit, quamdiu causa ignota est. Hac autem, quae est terrae intercessio, explorata, rei notio emergit, ita ut lunae « defectus sit luminis privatio terrae intercessione facta [3] ». S. Thomas, duas quaestiones τὸ τί ἐστι, et διότι ad unicam redire declaraturus, idem exemplum exposuit;

---

[1]) « Scire autem arbitramur, inquit Aristoteles, unumquodque simpliciter . . . , quando arbitramur nos cognoscere et causam, per « quam res est, quod ea huius causa sit, nec contingere, ut hoc aliter sese habeat »; *Anal. Post.*, c. 2, § 1, ed. Didot.

[2]) *Elem. log.*, § 60, p. 140, ed. cit. Locum Aristotelis, quem Trendelenburgius ibidem explicat, ita incipit: « In omnibus enim his manifestum est idem esse τὸ quid res sit, et quare sit »; *Anal. Post.*, lib. II, c. 2, § 3, ed. Didot. Alter locus, quem ex *Ethic. ad Nicom.* (lib. I, c. 4, § 7, ed. cit.) citat, ad hanc rem non omnino facit; si quidem in illo non de nexu inter τὸ τί ἐστι, et τὸ διότι, sed de nexu inter τὸ ὅτι, et τὸ διότι agitur.

[3]) *Op. cit.*, c. 2, p. 86, et 87.

ait enim « . . . idem est quid est, et propter quid. Et « hoc manifestat (*Arist.*) primo in defectu lunae. Si e- « nim quaeratur quid est defectus lunae ? respondetur « quod est privatio luminis a luna propter terram, quae « obiicitur inter ipsam, et solem. Et hoc idem respon- « detur, si quaeretur propter quid luna deficit. Dicit e- « nim quod luna deficit propter defectum luminis ex op- « positione terrae. . . . Sic ergo quid est, et quaestio « propter quid redeunt in idem subiectum, quamvis « differant ratione [1] ».

Quandoquidem quatuor genera quaestionum, quae explicuimus, adeo cognata sibi sunt, aliaque cum aliis facile commiscentur, factum est, ut deinceps a Philosophis pauciora numerarentur. Lubet prae reliquis nominare Clementem Alex., et s. Augustinum. Quorum ille tria genera quaestionum dumtaxat numeravit, eaque duobus diversis modis, scilicet « an sit, quid sit, quid ei « accidat: aut sic etiam, an sit, quid sit, propter quid « sit [2] »; hic vero asseruit vulgatum aetate sua esse ternarium numerum quaestionum, in quo quaestio *propter quid* omittitur. « Cum audio, inquit, tria genera esse « quaestionum, an sit, quid sit, quale sit etc. [3] ». Scholastici ex iis, quae de convenientia quaestionum diximus, cunctas quaestiones ad duas revocari facile confecerunt. Sit omnium instar Albertus M., qui ait: « Omnes ergo « quaestiones reducuntur ad duas, quae sunt, si est, et « quid est »; et paulo inferius: « Ex quo igitur, si est, « et quia est quaestiones ad idem quaesitum, et quid, et « propter quid est ad idem referuntur, tunc quaestiones « quatuor reducuntur in duo quaesita [4] ».

---

[1]) *In lib. II Anal. Post.*, lect. I. Cf Alb. M., *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 3.

[2]) *Strom.*, lib. VIII, c. 6. In prima divisione, uti ex se manifestum est, omisit quaestionem *propter quid*, in secunda autem quaestionem *qualis res est*.

[3]) *Confess.* lib. X, c. 10, n. 17. Cf *Lib. de div. Qq. LXXXIII*, q. 18. — [4]) *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 3.

Denique illud notatu dignum est, quod quaestiones *an res sit*, et *qualis sit* ἐμπειρίαν, sive *experientiam*, et quaestiones *quid sit*, et *cur*, aut *unde sit* ἐπιστήμην, *scientiam*, efficiunt, et, quoniam experientia via est ad rerum scientiam, duas priores quaestiones circa illa versari, quae viam ad scientiam rerum parant. Enimvero, si unas disciplinas mathematicas spectaveris, procul dubio in his experientia opus non est ad scientiae effectionem, quippe quod, cum intellectus obiectum illarum non accipiat extrinsecus, sed intrinsecus invenit, in ipsis εἰ ἔστι, *an sit*, et τὶ ἐστιν, itemque τὸ ὅτι, *quale quid est*, et τὸ διότι, *unde sit*, ei simul occurrunt [1]. Et sane, cum in illis scientiis intellectus rem, quam inquirit, in se ipsa inveniat, necessario efficitur, ut, dum *rem esse* cognoscit, simul cognoscat, *quid* ipsa *sit*, atque ad demonstrandum *unde*, aut *cur* res sit, *medium*, nempe *qualis res sit* in se ipsa, non vero extra se sumat. Vnde intellectus in scientiis mathematicis simul cognoscit rem esse, et quid res est, simulque etiam cognoscit, qualis res est, et unde, aut cur est [2]. Ast in ceteris disciplinis, quarum obiectum intellectus non invenit in se, sed extrinsecus accipit, quaeque idcirco *obiectivae*, seu *reales* vocantur, rei existentia, εἰ ἔστι, eiusque essentia, τὶ ἐστιν, itemque affectiones rei, τὸ ὅτι, et unde affectiones insint rei, τὸ διότι, menti nostrae non simul, sed unum post aliud occurrunt. Nam, quoniam in hisce scientiis obiectum non invenitur in ipsa mente, sed huic extrinsecus obvenit, efficitur, ut nos primo cognoscamus rem esse, εἰ ἔστι, deinde quid res sit, τὶ ἐστιν, eodem-

---

[1]) « In paucis, Trendelenburgius ait, τὸ διότι, et τὸ ὅτι simul apparent, quod tum demum evenire potest, cum mens, veluti in mathematicis construendi facultatem, causam ita possidet ut secum rem ipsam gignat. Quoniam vero τό διότι in eo cernitur, quod τὸ τί ἐστι plane evolvitur, fieri non potest, ut τό διότι intelligatur, τὸ ὅτι dubitetur »; *Elem. log.*, § 61, p. 140, ed. cit.

[2]) « In scientiis mathematicis, s. Thomas ait, non demonstratur « aliquid per causam agentem »; I, q. XLIV, a. 1 ad 3.

que ordine primum τὸ ὅτι, sive *affectiones* rei, deinde τὸ διότι, nempe *ex quibus causis* res oritur. Et sane, cum res externae menti nostrae obiiciuntur, ad quaerendum quid ipsae sint, naturaliter trahimur, et, postquam affectiones eius, quasi faciem externam, contemplati sumus, harum cognitione ad causas rei perscrutandas, uti alias ostendemus, impellimur, atque adiuvamur [1].

Ex quibus omnibus patescit quaestiones in scientiis, quae circa naturas rerum versantur, hunc inter se ordinem tenere, ut τὸ ὅτι initium, seu fundamentum scientiae sit, το διότι fastigium [2]. Namque in huiusmodi scientiis quaestioni εἰ ἔστι, *an sit*, locus non datur, quia existentia obiecti per se manifesta est, et quaestio, τί ἐστιν, *quid sit*, quaestione τὸ ὅτι, ut ante innuimus, solvitur. Hinc Aristoteles in universum statuit principium omnis scientiae esse *quale quid est*, ἀρχὴ τὸ ὅτι. « Principium « enim, ait, omnis huiusce operae in illo est, quod « vocamus τὸ ὅτι : et hoc si satis perspicuum, tum alte- « rum quod est τὸ διότι, non magnopere desiderabitur : « et is, qui τὸ ὅτι habet, aut iam tenet principia, aut « ea facile percipere poterit [3] ».

Haec Aristotelis doctrina, ut scite Trendelenburgius advertit, ex historia scientiarum mirifice comprobatur. « Disciplinis enim, ipse ait, postquam in rebus, qua- « les sunt, explorandis saecula consumserunt, sero de- « mum contingere solet, ut causas quasi aenigmatis exi-

---

[1]) Ex his facile potest intelligi praeclarus hic locus s. Thomae: « Quandoque habemus *quia* in nostra cognitione, et quaerimus ad- « huc *propter quid*; quandoque autem simul manifesta sunt nobis « utraque. Tertium autem impossibile est, ut scilicet prius cognoscat « aliquis de aliqua re *propter quid*, quam *quia*. Et similiter est de « eo quod quid erat esse, quia aliquando scimus rem esse, nec tamen « perfecte scimus quid sit; aliquando autem simul scimus utrumque. « Sed tertium est impossibile, ut scilicet sciamus quid est, ignoran- « tes si est »; *In lib. II Post. Analyt.*, lect. VII.

[2]) « In plerisque, Trendelenburgius ait, τὸ ὅτι certae viae, qua « ad τὸ διότι perveniatur, principium ».

[3]) *Ethic. Nicom.* lib. I, c. 4, § 7, ed. Didot.

« tum inveniant. Ex artibus, quaecumque sunt, exem-
« plum facile petes. Grammatica in formis dignoscen-
« dis, et regulis observandis multum operae ponit, dum
« postremo formarum causas ex linguis comparandis,
« regularum rationes ex enunciationis natura coniicere
« audeat. Astronomia per multa saecula in motus specie
« occupata ab hac ipsa specie ad veros motus, tamquam
« ad speciei causas, a variis motibus ad unam vim mo-
« ventem progressa est [1] ».

Aristoteles hanc quaestionum instituendarum rationem, quam in *Organo* tradidit, in suis libris constanter sectatus est. In ipsis enim prius *facta*, quae circa rem quaesitam ei occurrebant, τὸ ὅτι, exposuit, deinde *factorum* rationes, causasque, τὸ διότι, investigavit. Primum, ut mox videbimus, *historiam*, alterum *scientiam* vocavit [2]. Cuius rei luculentum exemplum, ne de cunctis dicamus, petere licet ex libro *De incessu animalium*, in quo duo, quae diximus, aperte ab se discriminavit, ut in vestibulo τὸ ὅτι ex historia referret, deinde τὸ διότι quaereret. Revera, in primo capite huius libri, postquam *facta* innuit, quorum causas investigare aggressurus erat, ita conclusit: « De omnibus sane his, et quaecumque alia
« istis sunt cognata, perscrutandae sunt causae: contin-
« gere enim ea hoc modo, ex naturae palam est investi-
« gatione (δῆλον ἐκ τῆς ἱστορίας τῆς φυσικῆς); quam ob cau-
« sam (διότι) vero contingant, nunc est investigandum [3] ».

Quaestionum theoria in universum explicata, investigandum nobis est, quonam modo quaestiones in topica instituantur. Quod facile perspicere nobis licebit, si mente recoluerimus ad dialecticam non spectare, ut certam, fir-

---

[1]) *Op. cit.*, § 16, p. 78, et 79.

[2]) Ex quo vides Wolfium ab Aristotele mutuatum esse illam partitionem cognitionis in *hystoricam*, et *scientificam*, quarum illa complectitur *facta*, haec rationes *factorum* (*Log.*, Discurs. praelim., c. I), atque longe ante Wolfium Clementem Alex. in *Strom.* lib. VI, c. I.

[3]) Cf *Hist. Animal.*, lib. I, c. 6, § 4, ed. Didot.

namque, sed ut probabilem rerum cognitionem assequatur. Et sane, si dialectica ad probabilem, non vero ad certam cognitionem rerum spectat, consequens est quaestiones τί ἐστιν, *quid sit*, et τὸ διότι, *unde*, aut *cur sit* ad ipsam proprie non pertinere: namque hae, cum circa essentiam, causasque rei versentur, propriae sunt demonstrationis, seu scientiae. Restat igitur, ut, quando rem esse innotescit, quaestio propria topices sit τὸ ὅτι, *qualis* res *sit*; hac enim non quaeritur, *quid*, aut *qua ex causa*, vel *fine* res sit, sed num *aliquid rei insit*. Quare nos Boëtio assentimur, qui post Themistium, aliosque antiquos statuit hoc pronuntiatum capitale topices: « In omni. . . « Dialectica quaestione praedicativa dubitatur, an ei quod « subiectum est, id quod praedicatur inhaereat [1] ».

Iamvero aliquid alicui, uti ab eodem Boëtio observatum est, quatuor modis inesse potest. Namque id, de quo, num alicui insit, quaeritur, primo aliquid esse potest, quod quidem ad essentiam subiecti pertinet, sed latius, quam subiectum, patet, quia, cum non constituat totam essentiam subiecti, non solum huic, sed etiam aliis convenire potest. Puta, si quis quaerat, *utrum*, *necne homo sit animal*; nam notio *animalis* est essentialis notionis hominis; at praeter notionem *hominis*, notionem *belluae* complectitur, ut non solum de homine, sed etiam de bellua quaeri possit, *sit ne animal*, *an non*. Iam, quoties id, quod quaeritur, huiusmodi se habet, quaestio est de *genere*. Etenim, ut loco suo ostensum est [2], genus de rebus sibi subiectis *secundum essentiam*, οὐσιωδῶς, praedicatur, et, quoniam in plures species dividitur, de quolibet subiecto ita praedicatur, ut de aliis etiam praedicari possit.

Praeterea id, de quo quaeritur, num alicui insit, potest ita subiecto inesse, ut totam eius essentiam constituat; unde non modo ad essentiam subiecti pertinet, sed etiam non alii subiecto, quam illi, de quo quaeri-

[1]) *De diff. top.*, lib. I, p. 858, ed. cit.—[2]) Vol. I, p. 240.

tur, convenire potest. Huiusmodi est haec quaestio: *utrum necne homo sit animal rationale*; haec enim duo *animal*, et *rationale* non solum ad essentiam hominis pertinent, sed ipsam ita perficiunt, ut non alii subiecto, quam homini, conveniant. Altera haec quaestio est de *definitione*, quia definitio, uti alias videbimus, essentiam rei denotat, cumque id, quod definit, nempe ὁριζόμενον, *definitum*, adaequet, non potest alii subiecto convenire, nisi illi, cuius definitio quaeritur.

Tum, id, quod de re quaeritur, potest ei ita inesse, ut, etsi ad eius essentiam non spectet, de nulla tamen alia re praedicari possit. Exemplum huius quaestionis illud afferri solet, *num homo sit capax ridendi*, sive, ut Scholae aiunt, sit *animal risibile*, quia *risibilitas* non pertinet ad essentiam hominis, sed ab ea ita dimanat, cum eaque ita connectitur, ut belluae inesse repugnet. Haec tertia quaestio circa *proprium* versatur, quia proprium, quemadmodum diximus [1], cum ab essentia rei necessario promanet, essentiam rei non ingreditur, sive, uti recentes loqui solent, notionem rei non constituit, sed illi, praetereaque nulli convenit.

Tum denique aliquid quaeri de re potest, quod nec ad rei essentiam pertinet, nec ipsi tantum inest. Puta, si quaeratur, *utrum*, *necne homo sit albus*, quia esse album ad hominis essentiam non pertinet, eique non est proprium, sed cum bellua, planta, et minerale commune. Haec quarta quaestio de *accidente* est, quia, uti vidimus [2], id, quod neque essentiam rei ingreditur, neque illius ita proprium est, ut de nulla alia re praedicari queat, *accidens* vocatur [3].

---

[1]) Vol. I, p. 338-343. — [2]) Vol. cit. p. 351 et 352.

[3]) Lubet haec verba Boëtii exscribere: « Cum aliquid alicui inesse « proponitur, id aut maius, erit eo, de quo praedicatur, eique substan- « tialiter inesse contenditur. Aut maius quidem eo erit, sed non de « substantia ipsius praedicabitur: aut erit ei aequale, et in substan- « tia praedicabitur: aut ei erit aequale, sed minime eius substantiam « continebit. . . Sed si tale est, quod in quaestione proponitur, ut

Non plures his quatuor quaestionibus dialecticis posse institui certo certius est. Nam, quoniam quaestio dialectica illuc spectat, ut inveniatur, utrum, necne aliquid alicui insit, sive, quod idem valet, de aliquo praedicari possit, consequitur, observante Alberto M., tot genera quaestionum dialecticarum admittenda esse, quot sunt modi secundum quos aliquid alicui, sive de aliquo praedicari potest [1]. Iamvero, aliquid alicui, uti ex dictis facile perspicere licet, non potest inesse, nisi quatuor modis, nempe vel ut *genus*, γένος, vel ut *definitio*, ὅρος, vel ut *proprium*, ἴδιον, vel ut *accidens*, συμβεβηκός. Id Aristoteles, quem Albertus M., aliique Scholastici secuti sunt, luculenter probavit cum inductione, tum syllogismo. Inductione quidem, quia quamcumque quaestionem quispiam instituerit, id, de quo quaeritur, an subiecto insit, vel a genere, vel a definitione, vel a proprio, vel

---

« subiecto sit maius, et de subiecti substantia praedicetur, erit ge-
« nus. Omne enim genus est maius eo, de quo praedicatur, et de sub-
« stantia eius dicitur, ut animal hominis. At si maius quidem fuerit,
« sed de substantia eius non praedicetur, erit accidens : ut album
« homini. Quod si aequale quidem sit, sed substantiale, subiecti erit
« definitio, ut animal rationale mortale, homini: hoc namque con-
« vertitur, et subiecti ratione, id est, hominis substantiam monstrat.
« Quod si aequale quidem sit, sed a ratione substantiae seiunctum,
« erit proprium : ut risibile homini. Itaque dialecticae simplices
« quaestiones aut de genere, aut de accidente, aut de diffinitione,
« aut de proprio fiunt »; *Op. cit.*, lib. I, p. 859, et 860. Cf Albert. M., *Topicorum* lib. I, tract. II, c. 1.

[1]) « . . . ideo dicimus, B. Doctor inquit, esse quatuor praedicata:
« quoniam ab his ut inhaerentibus subiectis fiunt et propositiones, et
« problemata. Subiectum enim unum est, et non diversificatum, quia
« species. Praedicata autem secundum se inhaerentiam dicentia sunt
« plura: et ideo penes modum inhaerendi, quo praedicatum est in
« subiecto, multiplicari necesse est et propositiones et problemata »
(*Op. cit.*, ibid.). B. Doctor hoc in loco, secundum Stagiritam (*Top.* lib. I, c. 4, p. 82, ed. cit.), coniungit *propositiones*, προτάσεις, et *quaestiones*, προβλήματα, quia non differunt, nisi *modo*, τῷ τρόπῳ. Nam quaestio utramque partem contradictionis interrogat; e. g. estne homo docilis, an non? Propositio autem alterutrum; puta *estne homo docilis?* Cf B. Doctorem, *Op cit.*, tract. III, c. 1 et 2.

ab accidente sumtum esse comperiet. Syllogismo autem, quia quidquid in aliquo subiecto inhaeret, vel inhaerere potest, aut est eiusmodi, ut cum subiecto reciprocetur, aut eiusmodi, ut non reciprocetur. Iam, si reciprocetur, certe aut reciprocatur, quia explicat, quid res sit, sive totam essentiam rei, aut reciprocatur, quia aliquid explicat, quod quidem ad essentiam rei non pertinet, sed ita cum ipsa coniungitur, ut de nullo alio subiecto praedicari queat. Si primum, quaestio erit de *definitione*, sin alterum, de *proprio*. Quod si attributum non reciprocetur cum subiecto, id ex horum alterutro evenire potest, scilicet vel quod ad essentiam pertinet, sed ipsam totam non explicat, vel quod extra essentiam est. Si illud, quaestio erit de *genere*; sin alterum, de *accidente*. Itaque concludendum est, quidquid in dialecticis quaestionibus subiecto attribuitur, id ipsi attribui vel ut *genus*, vel ut *definitionem*, vel ut *proprium*, vel ut *accidens*[1].

Nemini aut negotium facessat, quod *differentia*, et *species* in numero quaestionum haud ponuntur, cum aliquid quaeri possit, ut *differentia*, puta utrum, necne homo ratione polleat? necnon ut *species*, e. g., num bucephalus sit bellua? Sed antiqui Interpretes, et Scholastici observarunt Aristotelem, uti ex quibusdam eius verbis satis intelligitur, quaestiones de differentia, et de specie omisisse, quippe quod illae ex ea parte, quatenus ad topicen pertinent, consideratae ad aliquam illarum quatuor, quas recensuimus, facile revocantur. Nam differentia, si consideretur prout constituit speciem, ad quaestionem de genere reducitur, quia ipsa, ex eo quod speciem constituit, non secus ac genus, de pluribus praedicatur; e. g., *an Socrates sit ratione praeditus*? non solum enim Socrati, sed etiam unicuique homini conve-

---

[1]) Arist., *Op. cit.*, lib. cit., c. 6, t. II, p. 84, et 85, ed. Waitz. Cf Boët., *De diff. top.*, lib. I, p. 860, et 861, ed. cit., et Albert. M., *Op. cit.*, lib. cit., tract. II, c. 8.

nit esse ratione praeditum, quod speciem hominis constituit, atque a specie belluina distinguit. Sin spectetur prout genus in plures species dividit, quaestio de differentia, si qua daretur, foret quaestio de specie; puta *utrum homo sit rationalis, an irrationalis*. At quaestio de specie vel nulla est, vel ad quaestionem de genere revocatur, quippe quod species in quaestionibus dialecticis est subiectum, nempe illud, de quo quaeritur, num aliquid ipsi insit, non vero praedicatum, nempe illud, de quo quaeritur, num alicui insit. Et sane, philosophus stulte quaereret, *utrum, necne Socrates sit homo*, vel *num bucephalus sit bellua*, sed sapienter quaerit, *num homo sit libertate praeditus*, aut *ridendi capax*. Quod si species in aliqua quaestione veluti attributum ponatur, quaestio de specie ad quaestionem de genere reducitur, quia in ea species latior iis est, quibus attribuitur.

Ad quatuor quaestiones dialecticas, quas explicuimus, non secus ac de quaestionibus in universum spectatis vidimus, omnes quaestiones revocantur, quae ad categorias spectant. Hoc Albertus M., secundum Stagiritam [1], brevi argumento probavit, quod ita se habet: Categoriae, uti diximus, sunt notiones supremae, quae de rebus praedicari possunt. Iamvero, quocumque modo aliquid de aliquo praedicetur, certe praedicari de eo debet 1° vel ita ut cum eo reciprocetur, vel ita ut cum eo non reciprocetur, 2° vel secundum essentiam, vel non secundum essentiam, 3° vel secundum se totum, vel secundum partem sui. Atqui, si res ita se habet, consequens est, quocumque modo aliquid de aliquo praedicetur, oportere de ipso praedicari vel ut *genus*, vel ut *definitionem*, vel ut *proprium*, vel ut *accidens*. Nam, si superius de inferiori, eiusdem generis praedicetur, puta *animal* de *homine*, certe attributum de subiecto secundum essentiam huius, sed non totam praedicatur, proindeque non praedicatur ita ut cum subiecto reciprocetur; un-

[1]) *Op.* et lib. citt., c. 9, p. 87, ed. Waitz.

de quaestio erit de *genere*. Si quid de se ipso praedicetur, puta *animal rationale* de *homine*, attributum de subiecto praedicatur secundum totam eius essentiam, atque idcirco ita, ut cum ipso reciprocetur: quare quaestio erit de *definitione*. Si quid autem de re alius generis praedicetur, hoc de ipsa praedicari debet vel uti qualitas speciei, vel uti qualitas individui. Si primum, quaestio erit de *proprio*, quia attributum cum subiecto reciprocatur, sed non ex eo quod totam essentiam subiecti denotat, sed ex eo quod affectionem denotat, quae eius propria est; sin alterum, quaestio erit de *accidente*, quia praedicatum non reciprocatur cum subiecto, nec ad eius essentiam pertinet. Omnes igitur quaestiones, quae ad categorias spectant, sunt vel quaestiones *generis* vel *definitionis*, vel *proprii* vel *accidentis* [1]. Ex qua argumentatione B. Doctoris rursus patescit falsum esse nostrum Vicum, quod numerum praecipuarum, et generalium quaestionum, quae circa res institui possunt, e numero categoriarum repetivit. Nam cunctae quaestiones, quae per categorias instituuntur, uti ex dictis patet, non solum in universum ad quatuor genera suprema quaestionum, nempe, *an sit*, *quid sit*, *quale quid sit*, et *cur*, vel *unde sit*, sed etiam speciatim ad quatuor quaestiones dialecticas de *genere*, de *definitione*, de *proprio*, et de *accidente* revocantur.

Illud notatu dignum est quatuor quaestiones, quas Scholastici ex Aristotelis doctrina explicuerunt, non esse intelligendas, quasi quidquid topice, διαλεκτικῶς, quaeritur sub nominibus *generis*, *definitionis*, *proprii*, ac *accidentis* quaeratur necesse est. Rud. Agricola [2], et nonnulli alii recensentes theoriam aristotelicam quaestionum dialecticarum hoc modo intellexerunt, atque idcirco ipsam, tanquam inanem, et ridiculam, reiecerunt. Verum, hosce eruditos latere non debuisset hanc praeposteram interpretationem ab ipso Aristotele praeoccupatam fuis-

[1]) Cf Albert. M., *Op. cit.*, lib. et tract. citt., c. 9.
[2]) *De invent. Dial*, lib. I, c. 3, ed. cit.

se, atque ab eius Interpretibus, et Scholasticis omnino propulsatam. Aristoteles quidem, postquam quatuor esse genera quaestionum edisseruit, illico subdit: « Nemo « autem nos dicere existimet, quodvis horum per se « dictum propositionem, aut problema esse, sed ex his « et problemata, et propositiones enasci [1] ». Hanc vero ob causam Alexander Aphrod., qui, ut diximus, omnium graecorum interpretum princeps iure existimatur, quaestiones ita instituit, ut nullam illarum vocum mentionem faceret. Ipse advertit cum quaeritur, e. g., *utrum, necne tempus sit motus coeli*, esse quaestionem definitionis, licet non quaeratur, *sitne motus coeli definitio temporis, an non* [2]. Qua de re Ioachimus Perionius in *Dialectica*, quam adversus P. Ramum scripsit, merito Agricolam reprehendit his verbis: « Non enim verum est, « quod Aristoteli obiiciunt, his quatuor quaestionum « generibus tantum quaeri, proposito aliquo genere, sit« ne rei, de qua quaeritur, genus? aut proposita defi« nitione aliqua, sitne rei propositae definitio? aut pro« prio proposito, sitne rei propositae proprium: aut ac« cidente, sitne accidens? sed hoc vult Aristoteles, quid« quid ad disserendum proponitur, id eiusmodi esse, « ut horum aliquo quatuor comprehendatur [3] ».

Restat, ut ea, quae topice, διαλεκτικῶς, quaerere nobis licet, innuamus; haec enim non modo ab Aristotele, eiusque Interpretibus, sed etiam a nonnullis Scriptoribus Ecclesiasticis commemorata invenimus. Quaestiones, quas Aristoteles, ubi hac de re ex industria locutus est, instituere vetuit, si probe expendantur, ad quatuor genera revocari possunt, scilicet ad quaestiones *impias*, *manifestas sensui*, *nimium faciles*, aut *nimium difficiles*. Primo impias, puta *utrum Deus sit colendus*, aut *parentes diligendi*, *necne*, quippe quod qui

[1]) *Op. cit.*, lib. I, c. 3, § 3, ed. Didot.
[2]) *Explanatio in octo libros Top.*, lib. I, fol. 11 *recto*, Venet. 1554.
[3]) *De Dialectica*, lib. I, Parisiis 1554.

haec in dubitationem adducunt, magis poena sunt coercendi, quam argumentis refutandi. Tum sensui obvias, puta si cum Anaxagora quaeratur, *sitne nix alba*, *an non*; namque quisquis dubitat de his sensu carere dicendus est. Tum denique nimis faciles, aut nimis difficiles, quia nimia facilitas omnem locum dubitationi eripit, et nimia difficultas exercitationem, quae, uti ante diximus, immane quantum utilitatis ad scientiam confert, insuavem ac infructuosam reddit [1]. Alio in loco idem Stagirita monuit in quaestionem non esse vocanda nec ea, quae nemini probantur, puta *an aqua sit calida*, nec ea, quae omnibus, vel plerisque manifesta sunt, puta *utrum nix sit alba*, *necne* [2].

Clemens Alex. his, quae Aristoteles enumeravit, alia adiecit. Inter quae primo occurrunt, ἀντιστρέφοντα, sive, ut hoc verbum a latinis, teste Gellio, vertebatur, *reciproca* [3]. « Id autem vitium, subdit idem Gellius, « accidit hoc modo. Cum argumentum propositum re- « ferri contra, convertique in eum potest a quo dictum « est; et utrumque pariter valet [4] ». Quare in quaestionem, Clemente auctore, adducere non oportet ea, quae eiusmodi sunt, ut contra alterutram partem asserentes converti possint [5]. Secundo, ea indicantur,

---

[1]) *Op. cit.*, lib. I, c. 11, p. 90, ed. Waitz.

[2]) *Ibid.*, c. 10, p. 87, ed. cit. — [3]) *N. A.*, lib. V, c. 10, ed. cit.

[4]) *Ibid.*; cf lib. IX, c. 16, ed. cit.

[5]) Huius exemplum a lite peti potest, quae inter Protagoram, eiusque discipulum Euathlum, ut apud laudatum Gellium legitur, exarsit. Euathlus enim cum suo magistro decem millia pactus est, sed hac lege, ut dimidium huius pecuniae statim daret, reliquum daturus quo primo die causam apud iudices orasset, et vicisset. At, cum diu causas non reciperet, et facere id videretur, ne reliquum mercedis daret, Protagoras eum in iudicium rapuit. Iam, « cum ad iu- « dices, coniiciendae, consistendaeque causae gratia, venissent, tum « Protagoras sic exorsus est: Disce, inquit, stultissime adolescens, « utroque id modo fore, ut reddas quod peto, sive contra te pronuncia- « tum erit, sive pro te. Nam, si contra te lis data erit, merces mihi « ex sententia debebitur, quia ego vicero: sin vero secundum te

quorum ex alterutra parte argumentum ἀναντιῤῥητον καὶ ἄλυτον, sive contra quod nihil dici, et quod solvi non potest [1]. Audire praestat ipsum Clementem : « Scimus « autem, quod neque ea utique quaeruntur, quae sunt « manifesta ; ut, exempli causa, an sit dies, cum est « dies : neque quae sunt incerta, et numquam fieri « possunt manifesta, ut illud, sint ne stellae pares, an « impares : sed neque ea, quae convertuntur : ea vero « convertuntur, quae ab iis qui adversantur in disse- « rendo, ex aequo dici possunt ; ut illud, an sit ani- « mal, quod est in utero, an non animal. Quartus mo- « dus est, quando ex alterutra horum parte producitur « argumentum contra quod dici, et quod solvi non pot- « est. . . Rursus ex quaestionibus, aliae quidem sensu « indigent: ut si quis quaerat, an ignis sit calidus, aut

---

« iudicatum erit, merces mihi ex pacto debebitur, quia tu vice- « ris. Ad ea respondit Euathlus: Potui, inquit, huic tuae tam an- « cipiti captioni isse obviam, si verba non ipse facerem, atque alio « patrono uterer. Sed maius mihi in ista victoria prolubium est, cum « te non in causa tantum, sed in argumento quoque isto vinco. Di- « sce igitur quoque, magister sapientissime, utroque modo fore, « uti non reddam quod petis: sive contra me pronunciatum erit, sive « pro me. Nam si iudices pro causa mea senserint, nihil tibi ex sen- « tentia debebitur; quia ego vicero. Sin contra me pronunciaverint, « nihil tibi ex pacto debebo, quia non vicero ». Subdit Gellius: « Tum « iudices dubiosum, hoc inexplicabileque esse quod utrimque dice- « batur, rati, ne sententia sua, utramque in partem dicta esset, ipsa « sese rescinderet, rem iniudicatam reliquerunt «; *Op. cit.*, lib. V, c. 10. Cf Laert. lib. IX, segm. 56; Sext. Emp., *Advers. Math.*, lib. II, sect. 97, et Apuleium, *Floridorum* lib. IV, *Opp.* t. II, p. 37, et 38, Basileae 1597. Suidas idem refert de Corace, et Lisia, nihilque aliud iudices pronunciasse ait, nisi κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν, *mali corvi malum ovum*. Vid. de his Cresollium, *Theatr. Sophist.*, lib. II, c. 6, ed. cit.

[1]) Clemens huius quaestionis exemplum attulit, si quis quidquam quaerat, quod doctrinae a Deo revelatae contradicit. Id enim, quod ex Revelatione Divina constat, huiusmodi est, ut nullam contradictionem, proindeque nullam solutionem admittere queat. « Quis est « ergo, Clemens ait, adeo impius, et a Deo alienus, ut Deo non cre- « dat, et probationes a Deo postulet, tanquam ab hominibus ? » *Strom.*, lib. V, c. 1.

« nix alba : aliquae vero admonitione, et increpatione, « ut ait Aristoteles : ut illa interrogatio, an oporteat « honorare parentes. Sunt etiam quaedam dignae, quae « puniantur; cuiusmodi est quaerere probationes, an sit « Providentia [1] ». Qua de re prae oculis habendum est illud, quod s. Thomas edixit : « Quaestiones intantum « sunt amandae, inquantum ducunt ad veritatem per « hoc quod oportet, quod omnes unum dicant. Quae- « stiones autem stultae non ducunt ad veritatem, sed ad « litem, quae est vitanda [2] ».

Haec exposuisse certe supervacaneum non fuit, ut iuvenes discerent multa a recentibus Pyrrhoniis, ac Incredulis negata, vel in dubitationem adducta fuisse, de quibus, ne exercitationis quidem causa, disputandum esse non solum Scriptores ecclesiastici, sed politiores quoque Philosophi gentiles decreverunt. Sed de natura, et numero quaestionum cum generalium, tum dialecticarum satis; ad cetera pergamus.

ARTICVLVS SECVNDVS

Ad disputationes de usu dubitationis, ac historiae in scientiis Introductio

Qui aliquid inquirit, profecto de eo, quod inquirit, dubitat. « Et sane, dubitatio, uti ab Alberto M. defini- « ta fuit, interminatus motus rationis est super utram- « que partem rationis [3] », propterea quod « nos, eodem « Doctore aiente, dubitationem pro interminato motu « ratiocinationis accipimus in praemissis, quando ratio « ante consensum modo viam habet ad unum, modo « ad alterum [4] ». Atqui mentem eius, qui quaestionem instituit, adeo comparatam esse oportet, ut inter am-

[1]) *Ibid.*—[2]) *In c. 2 Epist. II ad Tim.*, lect. III.

[3]) *Metaphysicorum* lib. III, tract. I, c. 1.

[4]) *Ibid.* Cf s. Thom. In *lib. III Sent.*, Dist. XVII, q. I, a. 4 *sol.*, et s. Bonavent., In *lib. III Sent.*, Dist. XVII, dub. 3.

bas partes contradictionis vacillet, quia quaestio, cum utramque partem contradictionis complectatur, institui non potest, nisi ab eo, qui neutri parti adhaeret, hoc est, ab eo, qui non habet unam partem pro vera, alteram pro falsa. Ergo qui de aliqua re quaestionem instituit, de eo, quod quaerit, dubitat. Quocirca quaestio, πρόβλημα, dubitationem ἀπόρημα sequitur, eamque necessario expostulat [1]. Hanc rem Scotus subtiliter explicuit, ubi, quid sit propositio *scibilis*, definire studuit. Lubet praeclarum eius locum exscribere, qui ita se habet: « . . . . propositio scibilis non est per se nota in veritate, nec in falsitate; quia *propositio scibilis est illa*, « *cuius scientia acquiritur de novo per causam;* sed talis « non est per se nota in veritate, quia sic eius scientia « non acquireretur de novo, nec per se nota in falsitate, « quia de non ente non est scientia; propositio ergo « scibilis non est per se nota, nec est simpliciter ignota, « sicut impossibilia, de quibus non potest esse scientia; « ergo propositio scibilis talis est, de qua scientia adquiri « potest post dubitationem, ita quod ipsa prius sit du- « bitata, et postea per principia nota fiat scita [2]». Hinc ad quaestionem constituendam illud in primis expostulari dixit, « quod id, de quo quaeritur, sit dubitabile, « quantum est de se [3]».

Quod cum ita se habeat, liquet disputationem de numero, et natura quaestionum ad disputationem de usu dubitationis in scientiis natura sua nos ducit. Verum, quandoquidem in dubitationem, ut inferius dicemus, nec ea, quae propria perspicuitate fulgent, nec ea, quae a Philosophis perducta sunt ad certitudinem scientiae, revocare oportet, manifestum est neminem posse recte, utiliterque dubitare, εὐπορεῖν, sive ἀπορεῖν καλῶς, in ulla scientia, nisi opiniones illorum, qui ei in eadem scientia

[1]) Vnde s. Thomas advertit eum, qui dubitat, eo spectare, ut dubitationem excludat. « Exclusio dubitationis, inquit, est finis, qui « intenditur ab inquirente »; *In lib. III Met.*, lect. I.

[2]) *Quaestiones in lib. II Post. Anal. Aristotelis*, q. I, n. 2.

[3]) *Op. cit.*, q. II, n. 2; cf q. I, n. 3.

excolenda praecesserunt, antea expenderit. Hunc nexum historiae cum dubitatione satis, ni fallimur, Aristoteles significavit in initio libri secundi *Metaph.*, ubi ait: « Ad « illam, quae quaeritur, scientiam necesse est in pri- « mis nos percurrere, de quibus primo dubitandum est. « Haec autem sunt et quaecumque de eis aliter quidam « existimarunt, et si quid ultra haec praetermissum sit [1] ». Ex quo intelligis, postquam de necessitate, modoque dubitationis disseruerimus, necesse fore, ut utilitatem historiae opinionum in scientiis vindicemus. Itaque duas disputationes hic instituamus oportet. Quarum prima est, num initium cuiuslibet scientiae a dubitatione ducendum sit, et, si rem ita se habere compertum fuerit, quomodo dubitatio sit adhibenda; altera autem est, utrum iuvet, necne ad quampiam scientiam facilius, penitiusque addiscendam historiam nosse opinionum, quae ab eius cultoribus iam propositae, propugnataeque sunt. Has autem duas disputationes ad dialecticam pertinere perspicuum per se est; si quidem qui de rebus in utramque partem disputare aggreditur, atque hanc ob causam opiniones eorum, qui ante eum de eadem re disseruerunt, expendit, ex hoc tantum rem ipsam per causas non probat, sed viam ad causas inveniendas sibi parat. Hoc, ut Ravaissonum [2], Rassowium [3], Gastmannum [4], aliosque [5] praetereamus,

[1]) C. I, § 1, ed. Didot; cf *De Coel.*, lib. I, c. 10, § 1, ed. cit., et *de Anim.*, lib. I, cap. 2, p. 6, ed. Trendelenburg. Legantur praeterea Scholasticis Albertus M., *Met.*, lib. III, tract. 1, c. 1, et s. Thomas, In *lib. III Met.*, lect. I.

[2]) Hic cum historiam, tum dubitationem ad τὰ ἔξωθεν, vestibulum scientiae, pertinere dixit; *Op. cit.*, part. III, lib. I, c. I, t. I, p. 240-242.

[3]) « Itaque, inquit, in multis quaestionibus Aristoteles ita procedit, « ut rem, de qua agere instituit, antequam exponat, in dubium vocet, « qua in re proprium dialecticae munus cernitur. Neque quidquam « plus valet, ut instituta quaestio acuatur, et ut finis, ad quem per- « gere debeat, clarius patescat »; *Op. cit.*, part. I, c. 1, p. 8.

[4]) « *Op. cit.*, c. 3, p. 112-118. « Qua in re agenda, concludit, id « quod etiam locis allatis saepius significatur, proprium cernitur « dialecticae munus »; p. 117.

[5]) Vid. Carol. Heyder, *Critica expositio, et Comparatio Dialecti-*

Trendelenburgius scite adnotavit. Hic locum Stagiritae explanans, in quo dubitatio *syllogismus dialecticus contradictionis* dicitur, scribit: « Omnis Aristotelis institutio « ab ἀπορίαις proficisci solet, h. e. a difficultatum in u- « tramque partem quaestione. Quae quidem fit dialecti- « ce; ea enim, quae de re proposita vulgo statuuntur, « (τὰ ἔνδοξα), ita exagitantur, et quasi excutiuntur, ut « difficultates appareant, quae in repugnantia sive re- « rum, sive notionum cernuntur. Quare ἀπόρημα, dubita- « tio, est dialectica in contrariam partem (ἀντιφάσεως) ar- « gumentatione confirmata; efficitur autem, cum pari « utrimque rationum pondere mentis iudicium suspen- « sum teneatur, incerta animi fluctuatio (ἀπορία) [4]». De historia autem innixus duobus locis ex *Hist. anim.* [2], et *De incess. anim.* [3] advertit ipsam ad quaestionem τὸ ὅτι, *qualis res sit*, pertinere, quae, uti iam vidimus, est *dialectica*. « Est enim, subdit, ἱστορίας proprium τὸ ὅτι, « quod postquam constat, rationes quaeruntur (τὸ διότι)... « Ita τὸ ὅτι scientiae fundamentum est, τὸ διότι fastigium [4]».

ARTICVLVS TERTIVS

De usu dubitationis in scientiis

A dubitationis doctrina ordiamur. Illos, qui principio philosophati sunt, a dubitatione initium duxisse Aristoteles locuples testis est. Ipse enim scriptum reliquit sapientes vel ab antiquissimis temporibus *admirantes* [5], hoc est, causas rerum scire cupientes, principio de paucioribus cognitu obviis, tum de maioribus, et occultio-

---

cae Aristotelicae, et Hegelianae (germ)., p. 346, Erlang. 1845; Bonitz. *Op. cit.*, t.II, p. 136, et Bonghi, *Op. cit.*, Proem., p. LXIX.

[1]) *Elem. Log.*, § 33, p. 105, et 106, ed. cit.

[2]) Lib. I, c. 6, § 4, ed. Didot. —[3]) C. I, ed. Didot.

[4]) *Op. cit.*, § 16, p. 78.

[5]) Vide de significatione huius vocis apud Platonem, et Aristotelem id, quod diximus *Introduct.*, p. 13.

ribus dubitasse [1]. Quem locum s. Thomas explicans inquit: « Illi, qui primo philosophati sunt, et qui nunc « philosophantur, incipiunt philosophari propter admira- « tionem alicuius causae, aliter tamen a principio, « et modo; quia a principio admirabantur dubitabilia « pauciora, quae magis erant in promptu, ut earum « causae cognoscerentur; postea ex cognitione manife- « storum ad inquisitionem occultorum paulatim proce- « dentes, incoeperunt dubitare de maioribus, et occul- « tioribus [2] ».

Ratio dubitandi vel ab antiquissimis philosophis veluti incunabulum scientiae et commendata, et usurpata fuit. Primus obviam nobis fit Heraclitus: hic enim, teste Laërtio [3], « cum esset iuvenis, nihil se dicebat scire: « ubi vero ad virilitatis annos evaserat, nihil ignorare ». Quibus sane verbis, ni fallimur, significatum voluit se principio de omnibus dubitare instituisse, tum vero dubitationes, alias post alias, expellendo, eo tandem devenisse, ut de nulla re amplius dubitaret. Socrates, quem verae, germanaeque philosophiae parentem veteres salutarunt, rationem dubitandi constanter adhibuit, adeoque promovit, ut *peritus de omni re dubitandi*, δεινὸς ἀπορῆσαι περὶ παντός, ab Eusebio nuncupatus fuerit [4]. Hoc, praeter ea, quae ex Platonis dialogis adducturi sumus, vel ex eo tantum argui potest, quod ipse palam profitebatur « scire se nihil praeter hoc ipsum, quod nihil sciret [5] »;

[1]) *Met.*, lib. I, c. 2, t. I, p. 7, et 8, ed. Bonitz.

[2]) *In lib. I Met.*, lect. III. Ad quam rem s. Augustinus advertit admirationem, prout cognitio rerum progreditur, gradatim minui. « Quae licet, inquit, multi stupeant, ab inquisitoribus huius saeculi « comprehensa sunt, et progressu generationum quo saepius repeti- « ta, et a pluribus cognita, eo minus mira sunt »; *De Trin.*, lib. III, c. 2, n. 7.

[3]) Lib. IX, segm. 5.—[4]) *Praep. evang.*, lib. IX, c. 1.

[5]) Lib. II, segm. 32; cf Plat. *Apolog. Socratis*, c. 8, p. 72, ed. Forster, Oxonii 1752. Legendus est Abr. Grave, *Specimina philosophiae veteris, in qua novae quaedam ostenduntur*, lib. I, c. 2, p. 8 sqq, Franequerae Frisiorum 1673.

hoc enim pronuntiato certe haud volebat Scepticis favere, qui verum frustra quaeri contendebant, sed verum quaerentibus praecipere, ut de re, quam quaerebant, dubitarent.

Sed audiamus Platonem, quin in *Menone* suam, et praeceptoris sui sententiam hac de re luculentissime aperuit. Et sane, in hoc dialogo, cum Socrates Menonem continuis dubitationibus vexaret, Meno in haec verba erupit: « Audieram quidem, Socrates, antequam te « alloquerer, morem esse tuum nihil aliud, quam dubitare, et aliis scrupulos dubitationis iniicere; et nunc « quidem, ut mihi videris, me prestigiis, et veneficiis, « incantationibus perturbas, adeo ut ambiguitatis sim « plenus ». Cui Socrates: « Neque expeditus ipse, ceteros titubare compello: sed maxime omnium dubitans ego, dubitare alios quoque facio ». Hanc autem dubitationem se instituisse, ut notionem virtutis inveniret, professus est; illico enim adiecit: « verumtamen una tecum rem discutere hanc institui, quidve « sit virtus, investigare ». Pergit dubitationem esse initium scientiae, quippe quod animus dubitationibus vexatus videt se id ignorare, quod nosse antea rebatur, indeque ad eius causas investigandas trahitur. « *Socr.* Cum « ergo, ait, ambigere ipsum compulerim . . . . num « aliquid obfuit? *Men.* Non, ut mihi videtur. *Socr.* « Operae pretium itaque, ut videtur, fecimus ad inveniendam veritatem. Nunc enim ipse, utpote ignorantiae suae conscius, libenter et sponte perquireret . . . « Num censes ipsum unquam dedisse operam, ut id « vel inveniret, vel disceret, quod cum ignoraret, nosse « rebatur, priusquam in hanc ambiguitatem incideret, « qua et suam ignorantiam deprehendit, et scientiam « appetere coepit? » Luculenter quoque edixit illam inductionem, quam frequenter adhibebat, quaeque ab eius nomine *Socratica* nuncupatur [1], in prudenti usu du-

[1] Vid. t. II, p. 294.

bitationis fundari. « Considera itaque, ex hac ambigui-
« tate, quod iste una mecum investigans, nihil me
« docente, sed potius interrogante, reperiet [1] ».

Aristoteles autem non modo methodum dubitandi adhibuit, sed eius quoque theoriam data opera tradidit. Enimvero, ipse aperte docuit dubitationem solutioni omnis quaestionis praeire oportere, quia haud possibile est unam partem quaestionis ante asserere, quam exsoluta sint, quae pro alia pugnare videntur, hoc est, quam de utraque parte contradictionis dubitatum sit: « Est autem
« operae pretium aliquid facultatis habere (εὐπορῆσαι) vo-
« lentibus (sive, ut Gastmannus interpretatur [2], iis, qui
« facilem, expeditamque viam habere cupiunt), bene du-
« bitare (διαπορῆσαι καλῶς). Nam posterior facultas solutio
« eorum est, quae ante dubitata fuerunt: solvere autem
« non est cum modus ignoretur. Sed intellectus haesitatio
« manifestum hoc de re facit [3] ». Quam legem methodi, omissis Alberti M. [4], s. Thomae [5], et Scoti [6] commentariis, lubet exponere his paucis verbis Bonitzii: « . . . ad
« inveniendam rei alicuius veritatem cognovisse primum
« oportet, quae possint de ea re dubitari, eaque in utram-
« que partem disputasse; difficultates enim, quae ipsi in-
« sunt rei, is demum et expediet recte, et num expe-
« dierit, cognoscet, qui ipsas cognoverit difficultates: et
« iustius iudicabit qui tanquam arbiter causae consti-
« tutus utramque partem audiverit causam dicentem [7] ».
Aristoteles viam, quam ingrediendam aliis proposuit, ipse quoque in libris suis constanter ingressus est. Hoc, quod a Trendelenburgio, Bonitzio, Gastmanno, Rittero, Rassowio, Zellero, Waitzio, aliisque nuperrimis observatum est [8],

---

[1]) *Opp.* t. IV, p. 348, et 349, ed. Biponti.
[2]) *Op. cit.*, c. 3, p. 112.—[3]) *Met.*, lib. II, c. 1, § 2, ed. Didot.
[4]) Albert. M., *Met.*, lib. III, tract. 1, c. 1.
[5]) S. Thom., In *lib. III Met.*, lect. I.
[6]) In *Met.* lib. III, *Summae* I, c. 1.—[7]) *Op. cit.*, t. II, p. 135, et 136.
[8]) Vid. Trendelenburg, Bonitz, Gastmann, et Rassow in II. quae

s. Thomas in loc. cit. *Metaph.* iam adverterat, ubi scribit: « . . . consuetudo Aristotelis fuit fere in omnibus libris suis, ut inquisitioni veritatis, vel determinationi praemitteret dubitationes emergentes [1] ». Vt id nonnullis exemplis comprobemus, ipse in *Anal. Poster.* inquit: « Quomodo autem quaestio, quid sit, monstretur, et quis sit modus demonstrationis, et quid sit definitio, et quorum, dicamus, disquirentes (διαπορήσαντες, *dubitantes*) primum de ipsis [2] ». In lib. I *de Anim.* de iis, quae circa animum statuere debebat, in primis sibi ambigendum esse (διαπορουντας) dixit [3]. Idem in IV *Physic.* regessit: « His, quae dicta sunt, consequens est, ut agatur de tempore; primum autem e re erit de eo dubitare (διαπορῆσαι) etiam per rationes exotericas, utrum sit in numero entium, an non entium [4] ». Eamdem methodum sectatus est in lib. I *De Coelo*, in quo opiniones contrarias ceterorum se expositurum dixit, quia « demonstrationes contrariorum . . dubitationes (ἀπορίαι) de contrariis sunt [5] ».

Clemens Alex., quemadmodum in doctrina circa quaestionum numerum, ita in hac de dubitatione vestigia Stagiritae pressit, quippe qui luculenter docuit demonstrationem, antequam ex praemissis deducatur, esse dubitationem. « Similiter autem, ait, demonstrationem quoque omnes fatebuntur homines rationi esse consentaneam (εὐλογον), quae iis, de quibus dubitabatur, (ἐκποριζοντα) ex iis, quae sunt certa, et extra controversiam, facit fidem [6] ». Idem sensit, inculcavitque A-

---

citavimus p. 198, et 199, necnon Ritter, *Histoire de la phil. ancien.*, lib. IX, c. 2, t. III, p. 37, ed. cit.; Zeller, *Phil. graec.* (germ.), t. II, p. 384, Tubingae 1844-1846, et Waitz, t. II, p. 381, et 382.

[1]) *Op. cit.*, ibid.

[2]) Lib. II, c. 3, § 1, ed. Didot. De vocibus διαπορῆσαι, et διαπορεῖν videsis Waitz in lib. I, t. II, p. 382; Bonitz, *Op. cit.*, p. 136, et 137, et Ravaisson, *Op. cit.* part. III, lib. I, t. I, p. 240 sqq.

[3]) C. 2, p. 6, ed. Trendelenburg.—[4]) C. 10, § 1, ed. Didot.

[5]) C. 10, § 1, ed. cit.—[6]) *Strom.* lib. VIII, c. 3.

thenagoras. Hic enim duplex genus *sermonum*, λόγων, seu disputationum distinxit; unum *pro veritate*, ὑπὲρ τῆς ἀληθείας, nempe quod ad incredulos revincendos spectat, alterum *de veritate*, περὶ τῆς ἀληθείας, nempe quod ad veritatem demonstrandam instituitur, docuitque, ut paulo post videbimus, secundum primo quidem praestare, sed primum esse secundo utilius, eique praemittendum, quia disputatio pro veritate omnem dubitationem ab animo propulsans animum ipsum ad sermonem de veritate, hoc est, ad demonstrationem veritatis excipiendam praeparat [1]. Nec aliud s. Augustino, aliisque Patribus, quorum loca inferius exscribemus, visum fuit.

Eamdem methodum cum Arabibus, tum Scholasticis probatam esse, ab eisque in suis disputationibus firmiter adhibitam ii tantum ignorare possunt, qui illorum volumina numquam prae manibus habuerunt. Cum horum loca partim allata a nobis sint, partim mox afferenda, satis est in praesentia commemorare dissertationem, quam Heereboordus, ut paulo post dicemus, ad dubitationis cartesianae defensionem scripsit. In hac enim cl. Auctor doctrinam, et exempla Alexandri Aphrod., Averrohis, s. Thomae, et Scoti inter antiquos, et mediae aetatis, et Du-Vallii, Scayni, et Fonsecae inter recentes in iis, quos in *Met. Arist.* adornarunt, *Commentariis* adduxit. Ad calcem exemplum multorum recentiorum attulit, qui, ducibus s. Thoma, et Scoto, omnes suas disquisitiones a solutione dubitationum auspicantur. Inter cetera ait: « . . . consueta Thomae agendi ratio est: *videtur quod* « *non*, antequam accedat ad suum: *Sed dicendum*. Con- « sueta Scoto in quaestionibus physicis, et in aliis a- « gendi ratio est: *Arguitur quod non*, antequam ad « suum: *Ponuntur conclusiones*. Videatur modus proce- « dendi Dominico de Flandria, . . . et ne longus sim, « omnibus Aristotelicis usitatus, qui solum hanc prius du-

---

[1]) *De resurrectione mortuorum*, c. 1; cf c. 11.

« bitandi viam ingressi sunt, ut ad veritatis penetralia « intrarent, lectoremque introducerent [1] ».

Dubitationem in vestibulo scientiae veluti opportunam ad Aristotelis auctoritatem infringendam Iord. Brunus, aliique novatores valde commendarunt: quasi Aristoteles, eiusque discipuli illam neutiquam inculcassent, ac adhibuissent. Brunus exclamabat: « Dubitemus, inquam, du- « bitemus interim quoad liberius ac sincerius causam « agere liceat [2] ». « Non prius, alibi inquit, de altera « contradictionis parte definiat, quam altercantes au- « dierit. . . . De singulis dubitare, et controversas ra- « tiones audire non inutile [3] ». Dubitandum autem ideo esse dixit, ut « primum fundamina falsi prima tol- « lantur [4] ». Thomas Campanella, post Brunum, praeceptum dubitandi adeo porrexit, ut effraenus Scepticus interdum esse videretur. Decrevit enim, si dubitationi locus in cunctis scientiis dari debet, in metaphysica, utpote quae materiam cunctis scientiis communem pertractat, dubitandum esse de ipsis factis internis, immo de ipsis nominibus. « Metaphysicus, subdit, qui communem « cunctis scientiis philosophiam tractat, nihil praesens « ponit, sed omnia dubitando perquirit, nec enim prae- « supponet se esse veluti sibimet ipsi apparet, nec di- « cet se esse vivum, aut mortuum, sed dubitabit; nec « eorum, quae dicuntur, aliquid absque probatione as- « seret, nec nomina ipsa putabit dicere, quod dicunt, « sed investigabit, puta utrum homo dici debeat ho- « mo, et coelum coelum, et Deus Deus, et substantia « substantia [5] ».

---

[1]) *Disputationes selectae*, Disp. XLIII, ad *Aristotelis lib. I Met.* περὶ ἀπορίας καὶ εὐπορίας inter *Meletemata philosophica*, vol. II, p. 322-327, Neomagi 1664. Cf Abr. Grave, *Op. cit.*, lib. II, c. 12, p. 138.— [2]) *Opp. lat.*, ed. Gröfrer, p. 93.—[3]) *Ibid.*, p. 135 sqq.

[4]) *De triplici minimo, et mensura*, Francofurti, 1591. Cf Bartholmèss, *Jourd. Bruno*, part. I, lib. III, n. 3, t. I, p. 93 sqq, et part. II, lib. III, n. 3, p. 263 sqq, ed. cit.

[5]) *De libris propriis, et recta ratione studendi*, p. 53, Parisiis 1642.

Fr. Baco, etsi operam destruendae logices aristotelicae ab istis, aliisque recentibus inceptam prosecutus esset, tamen utilitates dubitationis valde inculcavit, atque e re esse censuit *Kalendarium Dubitationum*, sive problematum conficere [1]. Ipse, praeter alia, hoc scripsit: « Alius « error est impatientia dubitandi, et coeca festinatio de- « cernendi absque debita, et adulta suspensione iudicii... « in contemplationibus, si quis a certis ordiatur, in « dubia desinet; sin e dubiis incipiat, eaque aliquan- « diu patienter toleret, in certis exitum reperiet [2] ». Hanc autem rationem dubitandi non esse pyrrhonianam monuit his paucis: « Item vero Iudicii suspensionem « non est quod exhorreat quispiam in Doctrina, quae « non simpliciter nihil sciri posse, sed nihil, nisi certo « ordine, et certa via, sciri posse asserit: atque interea « tamen certos Certitudinis gradus constituit: donec « mens in Causarum explicatione consistat [3] ».

Sed ad Cartesium properemus, cuius sententiam diligenter exponere opus nobis est, quia de ratione dubitandi quam ipse docuit, adhibuitque, nullo non tempore certatum est, atque adhuc certatur. Cartesius studium philosophiae aggressus iudicavit in philosophia ad suam usque aetatem « nihil reperiri, de quo in utramque « partem non disputatur, hoc est, quod non sit dubium, « et incertum », et « quoad ceteras scientias, quoniam

---

[1]) « Quare, ait, *Kalendarium Dubitationum*, sive *Problematum* « in natura et desiderari assero, et suscipi probo» (*De augm. scient.*, lib. III, c. 4, *Opp.* t. I, p. 189, et 190, ed. cit.). Huic primo Kalendario aliud falsorum addendum censuit; subdit enim: « Huic Kalen- « dario aliud addi cuperem non minus utile. Cum enim in omni inqui- « sitione inveniantur haec tria *perspicue vera*, *dubia*, et *perspicue* « *falsa*, utilissimum foret Kalendario dubiorum *Kalendarium fal-* « *sitatum*, et verborum popularium, vel in historia naturali, vel in « dogmatibus grassantium adiungere, ne illae amplius scientiis mole- « stae essent ».

[2]) *De augm. scient.*, lib. I, qui nullis capitibus constat, p. 45, ed. cit.

[3]) *N. O.*, *Distrib. operis*, *Opp.* t. II, p. 16, ed. cit. Cf *ibid.*, part. II, *Aphor.* XXXVII.

« a philosophia principia sua mutuantur, nihil illas valde « solidum, et firmum tam instabilibus fundamentis su- « perstruere potuisse [1] ». Iamvero, huic malo remedium afferre volens ab initio instituit omnia, quae ante didicerat, pro dubiis, immo pro falsis habere, ut facultatem falsa a veris internoscendi sibi compararet. Quocirca non modo res extra se positas, sed etiam demonstrationes mathematicas, et principia, quae nota per se esse antea putaverat, in dubium revocavit, permotus tum experientia, quia homines in his saepe falluntur, tum hoc rationis momento, quod Deus, utpote omnipotens, mentem humanam ita comparare potuit, ut saepe fallatur, aut alius sit minus potens, quam ipse, auctor naturae humanae, qui tales homines finxit. Ex quibus conclusit: « Sic autem « reiicientes illa omnia, de quibus possumus dubitare, ac « etiam falsa esse fingentes, facile quidem supponimus « nullum esse Deum, nullum coelum, nulla corpora; nos- « que etiam ipsos non habere manus, nec pedes, nec « denique ullum corpus [2] ». Vnum dumtaxat nancisci sibi visus est, de quo dubitare non posset, scilicet *se esse*, atque illud pro principio, et fundamento universae philosophiae sumpsit. Vnde post verba, quae modo exscripsimus, illico subdit: « non ideo tamen nos, qui « talia cogitamus, nihil esse: repugnat enim, ne pute- « mus, id, quod cogitat, non existere. Ac proinde haec « cogitatio: *ego cogito*, *ergo sum* est omnium prima, « et certissima, quae cuilibet ordine philosophanti oc- « currat [3] ».

In hac doctrina Cartesii diiudicanda Philosophi in duas sententias scissi sunt, quae secum adversis frontibus pugnant. Alii enim illam pyrrhonismi, aut atheismi, aut simul utriusque accusarunt; alii autem ipsam

---

[1]) *De methodo*, § 2, *Opp.* t. III, p. 9, Amstelodami 1677.

[2]) *Principia philosophiae*, pars I, *Opp.* t. I, p. 1, et 2, ed. cit. cf *De methodo*, § 4, *Opp.* t. cit., p. 20 sqq.

[3]) *Princip. phil.* ibid.

philosophiae progressui, religionisque studio favere arbitrati sunt.

Adversarios suae dubitationis Cartesius habuit in primis Petr. Gassendium, P. Bourdinum e S. I., aliosque, a quibus iudicium *Meditationum* suarum nondum editarum acceperat [1]; deinde in Vniversitate Vltraiectina Gisbertum Voëtium [2], et Regium [3]; in Groningensi Mart. Schoockium [4]; in Leidensi Reuium, Triglandium, aliosque, quos praeterimus [5]; Lovanii totam Vniversitatem [6];

---

[1]) Horum obiectiones Cartesius una cum suis Responsionibus evulgavit ad calcem *Meditationum*, *Opp.* t. II, p. 47-168, Amstel. 1678.

[2]) Hic Schoockium discipulum suum impulit, ut contra Cartesium librum scriberet, cui hanc adlevit epigraphen: *Philosophia Cartesiana, seu admiranda methodus novae philosophiae Ren. Cartesii*, Groningae 1643. Contra hunc librum Cartesius epistolam misit ad Voëtium, quem esse verum illius auctorem noverat, hoc titulo: *Epistola Ren. Descartes ad celebr. virum D. Gisbert. Voëtium, in qua examinantur duo libri nuper pro Voëtio Vltraiecti simul editi, unus pro Confraternitate Mariana, alter de Philosophia Cartesiana*; extat in *Opp. Phil.* t. I, p. 307 sqq, Francofurti ad Moenum 1692.

[3]) Hic principio fautor philosophiae cartesianae fuit, deinde ipsam impugnavit cum in aliis libris, tum in hoc: *Explication de l' esprit humain, ou de l' âme raisonnable, ou l' on montre ce qu' elle est, et ce qu' elle peut être*, Vltraiecti ad Rhenum 1647. Cartesius huic operi brevem responsionem opposuit, quam ita inscripsit: *Notae in programma quoddam sub finem anni 1647 in Belgio editum* cum hoc titulo: *Explicatio mentis humanae* etc., *Opp.* t. II, p. 171 sqq, Amstel. 1678.

[4]) In opere iam citato (not. 2), quod, hortante, et suggerente Voëtio, exaravit.

[5]) Hi, in primisque Reuius, tum thesibus, quas publice defendendas curarunt, tum editis libris placita philosophiae cartesianae vehementer impugnarunt. Vid. Bruckerum, *Hist. crit. phil.*, Period. III, pars II, lib. I, c. 7, § 25, t. IV, part. alt. p. 240, ed. cit., et Bouillier, *Histoire de la phil. cartes.*, c. XII, t. I, p. 248, et 254, not. 3, Paris 1854.

[6]) Haec philosophiam cartesianam, hortante Nuntio Apostolico, damnavit an. 1662. Vid. Pemplius ad calcem Operis, *Fundamentum medicinae*, Lovanii 1654, et Cousin, *Mém. de la persécution du Car-*

in Anglia Cudwortum [1], Morum [2], et Parkerum [3], atque e S. I. P. Harduinum [4]; quamplurimos in ipsa Gallia, uti P. Vincentium [5], et PP. Lagrangeum [6]; et Danielem [7] e S. I. Huetium, Episc. Abrincensem [8]: ipsumque Molie-reum, Gassendii discipulum, qui dubitationem cartesianam populo in scenis deridendam praebuit [9]; in Italia demum,

---

tésianisme en France; Fragm. phil., Oeuvr. ser. 3ª, t. III, p. 4, et 5, Paris 1847.

[1]) *Systema intellectuale*, etc., c. V, sect. I, § 94, et 95, p. 881-884, Ienae 1773.

[2]) *Enchiridium metaphysicum, sive de rebus incorporeis*, Lond. 1671, et inter *Opp. phil.*, t. I, p. 133 sqq, Lond. 1679. Hunc librum evulgavit, postquam fatis Cartesius cessit; nam, dum Cartesius vixit, huius philosophiam adversus Parkerum, aliosque Anglos defenderat, in multis libris, et maxime in his: *Epistolae quatuor ad Renatum Descartes cum responsis clarissimi philosophi ad duas priores*, *Opp.* t. II, Londini 1679, atque *Epistola ad V.C., quae apologiam complectitur pro Cartesio*, Londini 1664, et *Opp.* t. II, ed. cit.

[3]) *Disputationes de Deo, et Providentia Divina*, Disp. VI, sect. I, p. 489 sqq, Lond. 1678.

[4]) Vid. *Athei Detecti*, p. 236, *Opera varia*, Amstelodami 1733.

[5]) *Discussio peripatetica, in qua philosophiae cartesianae principia per singula fere capita, seu articulos dilucide examinantur*, Tolosae 1677.

[6]) *Les principes de la philosophie contre les nouveaux Philosophes Descartes, Rohault, Regius, Gassendi, le P. Maignan*, Paris 1675.

[7]) *Voyage du monde de Descartes*, Paris 1691, et latine, *Iter per mundum Cartesii*, Amstelod. 1694.

[8]) *Censura philosophiae cartesianae*, ed. 4ª, Parisiis 1694. Hanc refellere conati sunt Regius, cum adhuc cartesianus esset, *Réponse au livre, qui a pour titre*, Censura philosophiae cartesianae, Paris 1691, Ioan. Heberhardus Schwelingius, *Exercitationes cathedrariae in P. D. Huetii censuram philosophiae cartesianae*, Bremae 1690, And. Petermannus, *Philosophiae cartesianae adversus censuram. P. D. Huetii vindicatio*, Lipsiae 1690, et, ceteirs missis, Ioan. Schotanus, *Exetaxis censurae, qua P. D. Huetius Philosophiam Cartesianam inique vexavit*, Franequerae 1691, Volderus, *Thèses contre la censure de Huet*, Amsterdam 1695.

[9]) Praesertim in comoedia, *Le mariage forcé*, in qua Marphurius dubitationem cartesianam cachinnis auditorum exponit.

praeter alios, Vicum, qui stylum in Cartesium saepe acuit [1].

Bellum adversus cartesianam dubitationem postremis hisce temporibus a Lamennaisio, aliisque instauratum fuit, qui scholam, quam *theologicam* vocant, a Bonaldo [2], et Demaistreo [3] inceptam exaggerarunt, et corruperunt. Lamennaisius, antequam ab Ecclesia catholica deficeret, in Cartesium vehementer insurrexit. et prae aliis hoc scripsit : « Cartesius, cum suam ratio-« nem dubitandi deserere volens pronuntiavit illud: *Co-« gito, ergo sum*, immensum abyssum supergressus est, « primumque lapidem aedificii, quod extollere volebat, in « aëre collocavit [4] ». Lamennaisio utrumque, ut aiunt, pollicem presserunt in eadem Gallia Bonnettyus [5], aliique Traditionalistae, atque in Italia Ioach. Ventura [6],

---

[1]) Hic illud pronuntiatum Cartesii, *Cogito, ergo sum* irridens, dixit ipsum adeo vulgare esse, ut ne Plautinum quidem Sosiam latuerit. Hic enim in *Amphitruone*, cum a Mercurio, qui eius figuram sumpserat, se distinguere nesciret, tandem vidit dubitare non posse, quin sit, ob hoc pronuntiatum cartesiano simile: *Sed cum cogito equidem, certo idem sum, qui semper fui.* « Et vero, Vicus ait, Plau-« tinus Sosia, non aliter ac a genio fallaci Cartesii, aut a somnio « divinitus immisso Stoici, a Mercurio, qui ipsius imaginem sumpse-« rat, in dubium de se ipso adductus, an sit, ad idem instar medita-« bundus huic primo vero acquiescit »; *De antiq. Ital. sap.*, c. 1, § 2, *Opp. lat.* t. I, p. 57, ed. cit. Cf *Risposta al* Giornale de' Letterati (t. V, art. VI, Venezia 1711), *Opp. lat.*, t. cit., p. 97.

[2]) *Recherches phil. sur les premiers objets des connaissances morales*, t. I, p. 106, Paris 1818.

[3]) *Examen de la philosophie de Bacon*, c. I, t. I, p. 10, ed. cit.

[4]) *Essai sur l'indifference en matière de religion*, c. 13, p. 17, Paris 1820.

[5]) Videsis eius Ephem., *Annales de phil. chrètien.*, passim.

[6]) *De methodo philosophandi*, Dissert. Praelim., art. V, § 22, p. 57 et 58, § 25, p. 67 et 68, Romae 1828. Hinc Christ. Bartholmèss merito asseruit eum esse discipulum Lamennaisii, a quo vir *excellens*, atque *ingenii operosi, foecundi, ac subtilis* vocatur (*Affaires de Rome*, p. 97 et 98, Paris 1836, et cum Huetio multiplici ex capite consentire. Vid. eius opus, *Huet, ou le Scepticisme théologique*, n. X, p. 205-207, Paris 1850.

qui, cum vim, auctoritatemque rationis individuae valde minuant [1], Cartesium vehementer vexant, quod a dubitatione in philosophia proficiscendum esse statuit. Traditionalistis adiungendus est Royer Collard. Hic, post Reidium [2], cuius philosophiam in Galliam transtulit, duplicem scepticismum Cartesio exprobravit, scilicet « primo *vulgarem*, seu erroribus innixum, in « quos facultates nostrae labuntur, deinde *superiorem* a « genio quodam maligno profectum, quae inventio « propria Cartesii est, simulque machina omnium te- « terrima, quibus veritas cognitionis humanae expu- « gnata est [3] ». Sed hac nostra aetate fortasse nemo vehementius, quam Giobertius, dubitationem cartesianam impugnavit, et quae ab illa in philosophiam promanant incommoda, ostendit [4].

Quae ab hisce Philosophis contra dubitationem cartesianam obiecta sunt, revocari ad haec possunt. Primo, dubitatio, quam cuilibet philosophari volenti necessariam esse Cartesius edixit, haud possibilis est, tum quod nobis non est datum omnium anteceptarum opinionum pro lubitu oblivisci, tum quod fieri non potest, ut de iis, quae per se nota sunt, dubitemus. Secundo, ipsa ad scepticismum ducit. Qui enim semel omnia pro falsis habuit, nequit ullam de rebus quaestionem instituere, cum abnorme sit quaerere, num sint vera ea, quae falsa esse constat; itemque qui semel omnia in dubium revocavit, scientiam assequi nequit, quia ei, qui de omnibus dubitat, nihil in promptu est, cuius ope dubitationem egredi, atque ad alicuius rei certitudinem pervenire potest. Tertio, dubitatio cartesiana a-

---

[1]) Vid. *Introd.*, p. 140.

[2]) *Essai sur les facult. intel.*, Ess. II, c.8, *Oeuvr.*, t. III, p.152-154, ed. cit.

[3]) *Critique de Descartes*, *Fragm. hist.*, ad calc. *Opp.* Reidii, t. III, p. 362.

[4]) *Introd. alla Filos.*, lib.I, c.3, t. I,p.259,et 325-331,et not.19, t. cit., p. 449-468, Brusselle 1840.

theismum continet; nam, praeterquam quod scepticismus est purus, putusque atheismus, Cartesius quemquam vere, et utiliter philosophari volentem, uti de reliquis omnibus, ita de existentia Dei dubitare iussit.

Verum, si dubitatio, quam Cartesius commendavit, a tot, tantisque viris impugnata fuit, alii neque ingenio neque numero impares illam non solum a foedis notis scepticismi, et atheismi vindicarunt, sed etiam ad scientiarum, et religionis studium valde proficere contenderunt. Inter aequales, vel quasi aequales, praeter illos, quos censuram philosophiae cartesianae data opera confutasse vidimus [1], nominasse satis sit Adrian. Heerboordum [2], Christoph. Wittichium [3], Ioan. Raevium [4], Claubergium [5], in primisque, aliis multis, omissis, Ruardum Andala [6]. Deinceps, dum de multis iisque capitalibus cartesianae philosophiae placitis fautores inter, et adversarios eius nullo non tempore disputatum fuit, controversia de methodo dubitandi sensim deferbuit, tandemque fere cessavit, adeo ut a plerisque, non modo protestantibus, sed etiam catholicis, in Institutiones philosophiae importaretur. Lubet inter philosophos patriae nostrae, in qua philosophia cartesiana, vehementer licet obsistente Vico [7],

---

[1]) P. 209, not. 8.

[2]) Vid. opus, quod citavimus p. 205, necnon *Institutiones phil. ration., et natur.*, Lugd. Batav. 1654.

[3]) *Consensus Scripturae Sacrae cum veritate philosophiae cartesianae*, Neomagi 1659.

[4]) *Clavis philosophiae naturalis, seu introductio ad naturae contemplationem aristotelico-cartesiana*, Lugd. Batav. 1654.

[5]) *Defensio cartesiana*, c. 9, *Opp. phil.*, t. II, p. 967 sqq, et *Dubitatio Cartesiana*, ibid. p. 1131 sqq.

[6]) Legesis prae ceteris eius libris hosce duos, *Exercitationes Academicae in philosophiam primam, et naturalem, in quibus philosophia Renati des-Cartes clare, et perspicue explicatur, valide confirmatur, nec non solide vindicatur*, Franequerae 1709, et *Syntagma theologico-physico metaphysicum*, Franequerae 1711.

[7]) Vide maxime *Opuscoli di Gioranni Battista Vico*, pubblicati dal Marchese di Villarosa, t. II, p. 39, 195, 215, et 236, Napoli 1818.

multos fautores nacta fuerat, duos nominare, quorum libri late pervagati sunt, atque omnium manibus teruntur, Ant. Genuensem [1] et nuper e vivis sublatum Pasq. Galluppium [2]. In Gallia, postquam Schola bonaldiana cartesianum pronuntiatum de dubitatione, veluti scaturiginem omnium errorum, impugnavit, Cousinus, eiusque discipuli contra ipsam acriter insurrexerunt, et dubitationem cartesianam pro viribus propugnarunt [3]. In Germania Ant. Guentherus, cui Pabst, Knood, Baltzer, Zukrigl, aliique adstipulati sunt [4], sensit methodum cartesianam dubitandi esse unice opportunam ad pantheismum, rationalismum, aliosque errores proterendos, quibus Scholastici, iniquo eius iudicio, philosophiam, atque theologiam corruperunt; unde ipsam non solum amplexus est, sed etiam perficere studuit [5].

Iam, ex hac brevi de usu dubitationis historia facile perspicitur tres quaestiones nobis esse instituendas, ut lites, quas illa exhibet, dirimamus. Primo enim quaeramus necesse est, num initium cuiuslibet investigationis scientificae a dubitatione sumendum sit. Si rem ita se habere compertum fuerit, quaerendum insuper nobis est, utrum dubitatio universa, an ex parte esse debeat. Denique definire e re erit, quid de dubitandi methodo cartesiana sentiendum sit; haec enim quaestio cum controversiis, quae de nexu rationis cum Fide, tanto animorum aestu, in praesentia agitantur, arcte colligatur.

---

[1]) *Log. ital.*, lib. V, c. 2, § 7, p. 217, ed. cit.

[2]) *Lezioni di Log. e di Met.*, lez. 4, t. I, p. 19 sqq, ed. cit.

[3]) *Introduction au Cours d' hist. de la phil.*, leç. III, *Oeuvr. phil.*, ser. 2, t. I, p. 59, et 60, et *Cours d' hist.* etc., leç. II, ser. 2, t. II, p. 63-70, ed. cit.

[4]) De his passim in hoc opere.

[5]) Vid. *Thomas a scrupulis*, Viennae 1835, aliosque libros, quos passim nominabimus.

ARTICVLVS QVARTVS

Num in cuiuslibet scientificae investigationis exordio dubitandum sit, inquiritur

A primae quaestionis solutione ordiamur. Initium omnis investigationis in singulis scientiis a quibusdam dubitationibus sumendum esse certum nobis est. Enimvero, nemo, qui sui compos est, quaerit, utrum aliquid verum sit, necne, nisi de veritate, aut falsitate rei, quam quaerit, dubitet; si quidem, ut iam advertimus, si quid verum, aut falsum esse constet, supervacanea, immo stulta est omnis de eius veritate, aut falsitate inquisitio. Iam, dubitationem in animo gignere solent plures, contrariaeque de eadem re sapientum opiniones. Et sane, cum inquisitor veri contrarias de re, quam quaerit, opiniones nanciscitur, inter momenta rationum, quae utrinque existunt, principio vacillet necesse est, atque uni opinioni, ceteris relictis, adhaerere, aut, cunctis explosis, novam statuere non potest, nisi postquam illas diligenter expenderit. Atqui, in hoc opere dubitatio, quam *methodicam* appellant, consistit. « Demonstrationes enim contrariorum, uti ex Aristotele antea vidimus, dubitationes (ἀπορίαι) de contrariis sunt [1] », sive, ut h. l. s. Thomas exposuit: « Demonstrationes, idest probationes contrariorum, idest contrariarum opinionum, sunt dubitationes de contrariis, scilicet opinionibus, idest, sunt obiectiones ad contrarias opiniones [2] ». Re vera expedit, idem Doctor subdit, ei, « qui vult cognoscere aliquam veritatem, solvere dubitationes, quia solutio dubitatorum est inventio veritatis, et ita ad sciendam veritatem multum valent rationes contrariarum opinionum [3] ».

---

[1]) *De Coelo*, lib. I, c. 10, § 1, ed. Didot.
[2]) In *lib. I De Coel.*, lect. XXII.—[3]) *Ibid.*

Doctrinam Stagiritae, quam secundum s. Thomam exposuimus, Clemens Alexandrinus complexus est hac brevi sententia: « Eorum, quae condemnaveris, certa cognitio « perfectissimae demonstrationis loco erit [1] ». Hinc idem Clemens, quem plures Scriptores Ecclesiae secuti sunt, docuit errorem ad veri inventionem, aut explicationem esse quodammodo utilem, quia, cum error cogat de re in utramque partem disputare, in causa est, cur aut novum verum detegatur, aut verum iam inventum maiori in luce constituatur. « Dum contraria dog- « mata, ipse ait, inter se conferuntur, veritas magis « elucescet. Hinc consequitur scientia [2] ». Id quoque sibi voluit s. Augustinus ubi scribit: « Ab adversario mota « quaestio discendi existit occasio [3] ».

Id ipsimet recentes, iique acerrimi adversarii Aristotelis tradiderunt, atque inculcarunt, quin ullam mentionem Stagiritae facerent. Satis est nominare Brunum, et Baconem. Brunus de errore disserens inquit: « E- « tiamsi non sit veritas, est tamen a veritate, et ad « veritatem [4] ». Sapienter quidem; error enim est *a veritate*, quia ipse, uti apposite Athenagoras advertit [5], est corruptio veri, atque est *ad veritatem*, quia refutatio erroris est demonstratio veri. Baco autem ea tradidit, quae doctrinae Stagiritae gemina sunt. « Dubiorum

---

[1]) *Strom.*, lib. I, c. 2.

[2]) *Ibid.* Hanc quoque ob causam Deum permittere, ut haereses exurgant, et grassentur, ab iisdem Patribus observatum fuit. Vt Originem (*Homil.* IX *in Num.*), Tertullianum (*De Praescriptionibus*, c. 1), aliosque praetereamus s. Augustinus subdit: « Ideo divina Pro- « videntia multos diversi erroris haereticos esse permittit, ut cum « insultant nobis, et interrogant nos ea, quae nescimus, vel sic ex- « cutiamus pigritiam, et Divinas Scripturas nosse cupiamus. Pro- « pterea et Apostolus dicit: Oportet haereses esse, ut probati mani- « festi fiant inter vos »; *De Genesi contra Manich.*, lib. I, c. 1, n. 2.

[3]) *De Civit. Dei*, lib. XVI, c. 2.

[4]) *Opp. lat.* p. 307, ed. cit.

[5]) « Falsa autem opinio ex superiecto semine, et corruptione, orta « est »; *De resurr. mort.*, c. 1.

« commemoratio, ait, et propositio duplicem habet fru-
« ctum ; unum , quod philosophiam muniat contra er-
« rores : quando id , quod non plane liquet, non iudi-
« catur , aut asseritur (ne error errorem gigneret), sed
« suspenditur de eo iudicium , et non fit positivum:
« Alterum , quod Dubitationes , in codicillos relatae,
« totidem spongiae sunt, quae incrementa scientiae per-
« petuo ad se sugant , et alliciant : unde fit , ut illa,
« quae, nisi praecessissent *Dubitationes*, leviter, et sicco
« pede transmissa fuissent , *Dubitationum* admonitu at-
« tente, et studiose observentur [1] ».

Quemquam scientiam rerum assequi volentem dubitare quoque iuvat, ut anteceptas animo opiniones abiiciat, quae maximo ad verum inveniendum impedimento sunt. Et sane, iam veteres observarunt animos hominum multis praeiudicatis opinionibus occupatos esse , multasque causas passim indicarunt , quae ipsas parere solent. Vt Platonis [2], Ciceronis, Senecae, aliorumque [3] per vulgatas sententias praetereamus , Athenagoras, postquam, uti vidimus, statuit utile esse disputationem pro veritate quaestioni de veritate praemittere , id his declaravit exemplis : « Neque enim terrae semina convenienter agrico-
« la mandare possit , nisi prius sylvestrem materiam,
« ac bonis seminibus nocentem evulserit : nec medicus
« salutare pharmacum aegroto corpori dare , nisi prius
« residentem vitiositatem expurget , aut irruentem cohi-
« beat. Sic qui veritatem docere vult , neminem possit
« de veritate disserens docere , delitescente in audien-
« tium animo falsa aliqua opinione, et iis, quae dicun-
« tur , obstante. Quamobrem nos quoque ad id quod
« utilius est respicientes , nonnunquam sermones pro
« veritate iis, qui de veritate habentur, praeponimus [4] ».

---

[1]) *De augm. scient.* lib. III, c. 4, p. 189, et 190, ed. cit.

[2]) Vid. p. 201.

[3]) De his,praesertim Tullio,et Seneca videsis Rogerium Baconem, *Opus maius*, Pars I, c. 2, p. 3, et 4, ed. cit.

[4]) *De resurr. mort.*, c. 1.

Inferius idem inculcavit hoc modo: « Sed tamen, quam-
« vis haec ita se habeant, saepe (*disputatio pro verita-*
« *te*) praemittitur, fitque interdum utilior; quippe cum
« eruat, et ante expurget obstrepentem nonnullis incre-
« dulitatem, et insidentem iis, qui recentes accessere
« (*nempe ad Fidem recens conversis*), dubitationem,
« et falsam opinionem [1] ».

Clemens Alex. luculenter asseruit quaestiones dialecticas ea omnia evellere, quae viam ad inventionem veri obstruunt, atque hoc pacto ad acquisitionem scientiae ducere. E re est totum locum exscribere, quia in eo Clemens stricte, presseque ostendit, quomodo intellectus ab ignorantia proficiscens, et dialectica innixus ad scientiam adquirendam pervenit. « Atque, ait, pulsat (*philoso-*
« *phia*) quidem per inquisitionem, quae per interrogatio-
« nem, et responsionem instituitur oratio, veritatis fores,
« iuxta id, quod apparet (κατὰ τὸ φαινόμενον). Aperto autem
« per scrutationem eo quod est impedimento, ingeneratur
« contemplatio scientifica. Iis, qui sic pulsant, aperitur,
« ut opinor, id, quod quaeritur. . . . Non enim fieri qui-
« dem potest, ut quis inveniat, non autem querat:
« neque ut quaerat quidem, non autem perscrutetur:
« neque ut perscrutetur, non autem explicet, et ape-
« riat per interrogationem, ad evidentiam deducens id
« quod quaeritur: neque ut rursus per accuratum ali-
« quis procedens examen, non deinceps accipiat prae-
« mium, videlicet scientiam eius quod quaeritur [2] ».
Quantum autem iuvet studiosum alicuius scientiae ab animo cuncta abiicere, quae illi scientiae adquirendae impedimento esse solent, eodem, ac Athenagoras, exemplo declaravit. « Primo, ait, ea, quae ex naturali con-
« templatione necessario prius tractanda sunt, adducens,
« priusque ea, quae huic methodo obstarent, diluens,
« ut aures ad susceptionem gnosticae traditionis paratae
« sint, praepurgata prius terra et a spinis et ab omni

[1]) *Op. cit.*, c. II. — [2]) *Strom*, lib. VIII, c. 1.

« herba, agricolae ritu, ad plantandam vineam. Certamen « enim est etiam praeludium certaminis [1] ».

Denique, missis Auctore *Epistolae ad Diognetum* [2], aliisque, s. Augustinus, de natura sui ipsius cognoscenda disserens, hoc nos monuit: « Quod ii tantum asse- « quuntur, qui plagas quasdam opinionum, quas vitae « quotidianae cursus infligit, aut solitudine inurunt, « aut liberalibus medicant disciplinis [3] ». Alibi inter maxima impedimenta assequendi veritatem humanam superbiam numeravit: « Numquam uspiam sic apparuit « quantum valeat praeiudicium praesumptionis huma- « nae, vel ad non intuendam manifestissimam verita- « tem, vel ad affirmandam impudentissimam falsita- « tem [4] ».

E Scholasticis Rogerius Baco nobis erit instar omnium. Hic enim ex industria, et accuratius, quam quatuor circiter post saeculis concivis eius Franc. Baco, fontes praeiudicatarum opinionum, quae consecutionem veritatis praepediunt, vel saltem retardant, investigavit, eosque ad quatuor potissimos reduxit, scilicet auctoritatem levem, et nullius ponderis, diuturnas consuetudines, sententias vulgi, et superbiam. Ex multis, quae disseruit, pauca haec: « Quatuor sunt maxima comprehen- « dendae veritatis offendicula, quae omnem quemcum- « que sapientem impediunt, ut vix aliquem permit- « tant ad verum titulum sapientiae pervenire, vid. fra- « gilis et indignae auctoritatis exemplum, consuetudi- « nis diuturnitas, vulgi sensus imperiti, et propriae « ignorantiae occultatio cum ostentatione sapientiae ap-

[1]) *Op. cit.*, lib. I, c. 1.

[2]) Hinc Diognetum in iis, de quibus ab eo interrogatus erat, eruditurus, inquit: « Age igitur, postquam teipsum a cunctis cogitatio- « nibus mentem tuam praeoccupantibus purgaveris, et consuetudi- « nem, quae te decipit, tanquam impedimentum aliquod reieceris, et « factus fueris, velut ab initio novus homo etc. »; c. 2, inter *Opp.* s. Iustini, p. 234 et 235, ed. cit.

[3]) *De Ordine*, lib. I, c. 1, n. 3.

[4]) *Cont. Cresc. Donat.*, lib. IV, c. 28, n. 35.

« parentis. His omnis homo involvitur, omnis status « occupatur. Nam quilibet in singulis artibus vitae, et « studii et omnis negotii tribus pessimis ad eamdem « conclusionem utitur argumentis, scil. hoc exemplifi- « catum est per maiores, hoc consuetum est, hoc vul- « gatum est, ergo tenendum est . . . Si vero haec tria « refellantur aliquando magnifica rationis potentia, « quartum semper in promptu est, et in ore cuius- « libet, ut quilibet suam ignorantiam excuset [1] ».

Recentes laude digni sunt, quod egregium istud philosophandi praeceptum, a graecis, latinisque Philosophis, a Patribus et a Scholasticis traditum, vehementer inculcarunt. Certe, Baco, qui tanquam illius auctor immerito laudatur, saepe monuit cuilibet ad rerum scientiam pervenire volenti opus esse, ut animum suum cunctis anteceptis opinionibus expoliet, neque alias amplectatur, quam quas, accurato examine instituto, veras esse deprehenderit. Hanc ob causam opiniones praeiudicatas, quas *idola* vocavit [2], minutissime recensuit, et non modo *Elenchos sophismatum*, uti ante dictum est, sed etiam *Elenchos Imaginum*, sive *Idolorum* exornavit [3]. Eidem operi Cartesius incubuit. Hic enim

---

[1]) *Op.cit.*, pars I,c.1,p.2. Nemo autem existimet eum omnem auctoritatem despexisse; subdit enim: « Munimen vero ad defensionem « contra haec habere non possumus,nisi mandata,et consilia Dei et « Scripturae Sacrae et iuris canonici et sanctorum philosophorum « et omnium sapientium antiquorum sequamur »; *ibid.*, c. 8, p.11.

[2]) Εἴδωλον, *idolum* significat tum *simulacrum*, unde vox *idololatriae* derivatum est, tum, ut suo loco dicemus, *imaginem*, seu *speciem* rei,quam mens sibi fingit.Baco,praeiudicatas opiniones εἴδωλα vocans, utramque significationem vocis, ni fallimur,complexus est; si quidem *idolum* ab eo dicitur praeiudicata opinio rei,quam mens sibi efformat, et quodam veluti cultu prosequitur. Vid.Rèmusat,*Bacon, sa vie, son temps, sa philosophie* etc., lib. II, c. 4, p. 232, not. 1, 233, not. 1, 235, not. 1, ed. cit.

[3]) Baco diversa genera *idolorum* a diversitate fontium, ex quibus promanare solent, discriminavit,et quoniam censuit hosce fontes esse quatuor, nempe *tribum*, *specum*, *forum*, et *theatrum*, idcirco quatuor esse dixit genera *idolorum*, nempe *tribus*, *specus*, *fori*, *et*

quoque causas, ex quibus errores oriri solent, indagavit, easque secundum capitale methodi suae praeceptum, quod alias absurdum esse ostendemus, ad hanc unam revocavit, quod de rebus nec clare, nec distincte perceptis iudicemus [1]. Horum duumvirorum exemplo nonnulli Philosophi permoti causas, ex quibus errores efficiuntur, indigitarunt, remediaque, quae ad illos evitandos opportuna ipsis visa sunt, proposuerunt: qua in re Malebranchium [2], Lockium [3], Condillachum [4], aliosque [5] versatos fuisse latet profecto neminem. Verum, hi omnes, aliique, quos praetermisimus, duplici ex capite maxime culpandi sunt. Primo, quod praeceptum opiniones praeiudicatas ex animo abiiciendi veluti ante inauditum, venditarunt, atque ad antiquorum, praesertim Aristotelis, et Scholasticorum auctoritatem labefactan-

---

theatri. Ipse mente reputavit, si fontes interni opinionum praeiudicatarum inquirantur, alias esse toti generi humano communes, quia ex non ponderato virium mentis humanae usu originem habent, alias vero cuiusque hominis proprias, quia ex conditionibus propriis cuiusque hominis, puta temperamento corporis, educatione, studiis, aliisque id genus oriuntur. Illas nuncupavit *idola tribus*, quippe quod totum genus humanum veluti unica *tribus* spectatur, has vero *idola specus*, quia εἴδωλα Plato vocaverat *umbras*, quas hominem super muros *specus* transire finxit (*De Republ.*, lib. VII, p. 516, ed. H.S.). Praeterea advertit, si fontes externi opinionum praeiudicatarum vestigentur, hos quoque non plures duobus esse, scilicet vel vulgus hominum, vel sapientes, atque opiniones praeiudicatas, quae ex commercio cum plebe hauriuntur, *idola fori* vocavit, quia plebs in foro versatur, et quae a perversis Philosophorum doctrinis, *idola theatri*, quia theatrum conventus sapientum erat. Vid. *De augm. scient.*, lib. V, c. 4, p. 300-305, ed. cit., et *Nov. Org.*, part. II, Aphorism. XXVI-LVIII, p. 31-50, ed. cit. De causis errorum disseruit in *N. O.*, Aphorism. LXXXIII-XCIII, p. 70-93.

[1]) *Medit.* IV, *Opp.* t. II, p. 27 sqq, ed. cit. alibique.

[2]) *De inquir. verit.*, ed. cit., passim.

[3]) *Essai phil. concernant l'entend. hum.*, lib. IV, c. 20, t. IV, p. 376 sqq, ed. cit.

[4]) *Essai sur l'origine des connaissances humaines*, part. 2, sect. II, c. 1, *Oeuvr.* t. I, p. 458 sqq, Paris 1798.

[5]) Cf Walchium, *Hist. log.*, lib. II, c. 2, § 39, in *Parerg. acad.* p. 797, ed. cit.

dam unice adhibuerunt. Secundo, quod illud praeceptum valde exaggerarunt, adeo ut non germanam, utilemque libertatem, sed effraenam philosophandi licentiam promoverent.

Cum haec ita se habeant, licet nobis argumentum perstringere hoc modo: Is, qui rite, utiliterque philosophari vult, animum suum praeiudicatis opinionibus expoliare debet. Atqui animum praeiudicatis opinionibus expoliare non aliud sibi vult, quam de illis opinionibus dubitare, quas temere imbibit, ut, illarum examine instituto, verae a falsis discriminet. Ergo quisquis rite, utiliterque scientiam rerum consequi vult, a dubitatione initium sumat necesse est.

Aristosteles hanc theoriam dubitationis opportunis exemplis declaravit, quae a s. Thoma, aliisque Scholae Doctoribus accurate explicata sunt. Et primo, animadvertit illos, qui de re, quam nosse volunt, dubitant, esse quodammodo similes ligatis. Nam, quemadmodum ligatus non potest ambulare, nisi *vinculum*, δεσμόν, solvat, quo constringitur, nec ullum vinculum solvere potest, nisi modum, quo solvitur, cognoscat; ita, cum homo, rem sibi ignotam quaerens, a dubitatione, quae est quoddam vinculum mentis, detineatur, in cognitione rei progredi non potest, nisi dubitationes solvat, nec potest solvere dubitationes, nisi modum illas solvendi calleat[1]. « Manifestum est autem, s. Thomas in h. l. inquit, « in solutione corporalium ligaminum, quod ille, qui igno- « rat vinculum, non potest solvere ipsum. Dubitatio « autem de aliqua re hoc modo se habet ad mentem, « sicut vinculum corporale ad corpus, et eumdem ef- « fectum demonstrat. In quantum enim aliquis dubi- « tat, in tantum patitur aliquid simile his, qui sunt « stricte ligati. Sicut enim ille, qui habet pedes liga- « tos, non potest in anteriora procedere secundum viam « corporalem, ita ille qui dubitat quasi habens men-

[1]) *Met.*, lib. II, c. 1, § 2, ed. Didot.

« tem ligatam , non potest ad anteriora procedere se-
« cundum viam speculationis [1] ».

Praeterea, Stagirita homines veritatem , nulla ante instituta dubitatione, quaerentes illis assimilavit, qui itineri sese committunt, quin sciant, quo perveniendum eis sit. Sicut enim hi non possunt locum , ad quem spectant , nisi fortasse casu, invenire, inventumque agnoscere ; ita qui de re quaesita in utramque partem non disputat , sive non *dubitat* , verum vel non invenit, vel, si forte invenerit, illud ex principiis, quae ipsum efficiunt, non cognoscet. Audiatur idem Aquinas: « . . . Illi, qui volunt « inquirere veritatem , non considerando prius dubita-
« tionem , assimilantur illis , qui nesciunt quo vadant.
« Et hoc ideo, quia sicut terminus viae est illud, quod
« intenditur ab ambulante , ita exclusio dubitationis est
« finis , qui intenditur ab inquirente veritatem. Mani-
« festum est autem , quod ille , qui nescit quo vadat,
« non potest directe ire , nisi forte a casu : ergo nec
« aliquis potest directe inquirere veritatem , nisi prius
« videat dubitationem ». Et paulo inferius: « . . . sicut
« ex hoc quod aliquis nescit quo vadat, sequitur quod
« quando pervenit ad locum , quem intendebat , nescit
« utrum sit quiescendum , vel ulterius eundum , ita
« etiam quando aliquis non cognoscit dubitationem ,
« cuius solutio est finis inquisitionis, non potest scire,
« quando invenit veritatem quaesitam, et quando non,
« quia nescit finem suae inquisitionis , qui est manife-
« stus ei, qui primo dubitationem cognovit [2] ».

---

[1]) In *lib. III Met.*, lect. I. Breviter Scotus: « Sicut enim ligatus « corporaliter, si vult solvere vinculum, et nodum, oportet quod « prius respiciat vinculum,et nodum ligaturae: sic ille,qui vult sol-
« vere dubitationem, prius debet considerare difficultates et earum « causas »; *Met.*, lib. III, *Summae* I, c. 1. Cf Alb.M.,*Met.*,lib.III, tract. I, c. 1.

[2]) *Ibid.* Cf Albert. M., et Scotum, ll. citt.

ARTICVLVS QVINTVS

Ea, de quibus in cuiuslibet scientiae initio dubitandum est, recensentur

Si cunctis in scientiis a dubitatione initium sumere oportet, cavendum est, ne perperam dubitetur ; dubitatio enim male instituta ad scepticismum ducit. Hinc Aristoteles in scientiae exordio non simpliciter ἀπορεῖν, *dubitare*, sed modo καλῶς [1], *bene*, modo εὐλόγως [2], *cum ratione*, sive *opportune*, modo ἀληθῶς, *vere* [3], modo εἰκότως, *non immerito* [4], ἀπορεῖν, *dubitare*, iussit. Ille autem bene, apteque dubitat, qui de illis dumtaxat dubitat, quae veram dubitationem admittunt. Quare, postquam utilitates dubitationis enumeravimus, necesse est, ut quaenam in dubium revocari possint, et debeant, investigemus.

Iam, primo perspicuum est cuilibet philosophari aggredienti non esse omnia in dubium revocanda, quippe quod qui de omnibus dubitare instituit, omnem viam de dubitatione exeundi sibi praecludit. Enimvero, quoniam dubia nonnisi ex indubiis dispelli queunt, nemo non videt, si omnia in dubium revocentur, nullam dubitationem exsolvi posse ; oportet enim de dubitatione in dubitationem continuo prolabi, quin unquam aliqua inveniantur, quae, cum nulli dubitationi sint obnoxia, reliquis dubitationibus exsolvendis inserviant. Id contra antiquos Scepticos perbelle adnotatum fuit a Clemente Alex. his paucis: « Et si eius quidem (*quod indiget confirmatione*) referatur iudicium ad id, de quo similiter dubitatur, et illius pariter ad alterum, de quo dubitatur, procedet in infinitum, et non poterit demonstrari [5] ». Id historia recentis philosophiae quoque

[1]) *Met.* lib. II, c. 1, § 2, ed. Didot.
[2]) *De longitudine et brevitate vitae*, c. 3, ed. Didot.
[3]) *Naturalis auscultationis* lib. IV, c. 9, § 5, ed. Didot.
[4]) *De Coelo*, lib. II, c. 12, § 1. — [5]) *Strom.* lib. VIII, c. 2.

patefacit. Nam, postquam Cartesius recte philosophari volenti de omnibus dubitandum esse decrevit, eiusque discipuli cunctas, undecumque haustae fuerint, anteceptas opiniones ex animo abiiciendas esse blaterarunt, philosophia sensim in nihilismum, et scepticismum ruit.

At, si de omnibus dubitare non licet, nosse oportet, quaenam sint, de quibus in singulis scientiis dubitandum est. Aristoteles edixit dubitationes instituendas esse cum de iis, quae nondum a sapientibus investigata sunt, tum de iis, circa quae plures, ab seque discrepantes illorum sententiae extant. « Haec autem, ait, sunt, et « quaecumque de eis aliter quidam existimarunt, et si « quid ultra haec praetermissum est [1] ». Iam, quisquis hanc rem accurate expendat, fieri nequit, quin in sententiam Stagiritae concedat. Nam, quoties inquisitor veri in res nondum exploratas incidit, vel novas affectiones in rebus notis detegit, de his quaestiones instituere, proindeque quodammodo dubitare debet, ut, disputando in utramque partem, verum nanciscatur. Praeterea, quoties alicuius scientiae cultores de aliqua re, quae ad ipsam pertinet, contrarias sententias adhuc fundunt, procul dubio non licet aliter res ad liquidam veritatem perducere, quam si argumenta hinc inde allata ad trutinam revocentur, hoc est, nisi de re in utramque partem disseratur, proindeque de ipsa dubitetur. Audiatur Albertus M.: « Ea vero quaerenda sunt, quae quicum- « que quidem non ignotae auctoritatis Philosophorum « aliter et aliter de diversis susceperunt per rationem: « et ea etiam, quae similia istis extra ea, quae susce- « pta sunt, praetermissa sunt, et intacta: haec enim, « quae aliter et aliter dicto modo suspecta sunt, dispu- « tabilia sunt in utramque partem: et quia latent, o- « portet ea praeordinare, et praedisputare, ut bene de- « claretur omne quod intendimus [2] ». Ex his, quae Aristoteles, et post eum Scholastici observarunt, confici-

[1]) *Met.*, lib. II, c. 1, § 1.—[2]) *Met.*, lib. III, tract. I, c. 1.

tur in qualibet scientia non esse de iis dubitandum, quae cunctis illius scientiae eruditis probantur ; nam, quoties omnes eruditi alicuius scientiae in eadem sententia conveniunt, non suppetunt ex utraque parte argumenta, quae disputationi locum praebent.

Baco vel in hoc logicae capite vestigia Aristotelis sectatus, dum utilem esse ad verum inveniendum dubitationem dixit, simul monuit cavendum esse, ne dubitatio longius, quam par est, porrigatur. « Danda, ipse in *N.O.* « inquit, est etiam cautio intellectui de intemperantiis Phi- « losophorum quoad assensum praebendum, aut cohiben- « dum . . . Duplex autem est excessus : Alter eorum, « qui facile pronuntiant, et scientias reddunt positivas « et magistrales ; Alter eorum, qui *Acalepsium* intro- « duxerunt, et inquisitionem vagam sine termino. Quo- « rum primus intellectum deprimit, alter enervat [1] ». Atque in op. *De augm. scient.*, postquam duas utilitates dubitationis exposuit, illico pergit : « Verum hae « duae utilitates vix unum compensant incommodum, « quod nisi sedulo prohibeatur, se ingeret : nimirum « quod dubitatio, si semel admittatur tanquam iusta, « et fiat quasi authentica, statim defensores in utramque « partem suscitabit, qui etiam posteris eamdem licen- « tiam dubitandi transmittant, adeo ut homines inge- « nia sua intendant, et applicent, ad hoc, ut alatur « potius dubitatio, quam terminetur, aut solvatur. . . « Cum ille sit ingenii usus legitimus, qui ex dubiis cer- « ta faciat, non qui certa in dubium vocet [2] ». Hinc sanxit *Kalendarium dubitationum* utile fore hac conditione, nempe « Modo curae sit, ut, aucta scientia « (quod fiet procul dubio, si nos audiant homines) in « dies, quae clare discussae sunt dubitationes, ex albo « deleantur [2] ».

---

[1]) *Nov. Org.*, part. II, Aphoris. XXVII, *Opp.* t. II, p. 37, ed. cit. Sed quod ridiculum est, ipse prioris vitii accusat illum ipsum Aristotelem, cuius doctrinam inculcat.

[2]) *De augm. scient.* lib. III, c. 4, *Opp.*, t. I, p. 189, et 190.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Ea, quae de dubitationis limitibus statuimus, satis ex se ostendunt, quid differat dubitatio *methodica*, illa scilicet, quae veluti methodus opportuna ad verum inveniendum a Dogmaticis instituitur, a dubitatione pyrrhonia, seu sceptica, qua Sceptici omnem scientiam tollere adnituntur. Et sane, ex dictis patet Dogmaticum qui, methodi gratia, dubitationem aggreditur, eo usque disputare, donec ad solutionem dubitationis perveniat, dum Scepticus ea mente disputat, ut in dubitationem incidat, in eaque haereat. Vnde dubitatio Dogmaticis est initium inquisitionis, sive caput viae, quae ad verum ducit: Scepticis autem est finis, seu terminus inquisitionis. Id s. Thomas, post Aristotelem, sibi voluit, cum docuit difficultates, quae in veritatis inquisitione occurrunt, ideo solvendas esse, ut omnis dubitatio propulsetur [1]. Ex hoc capitali discrimine alia duo fluunt, quae facilia intellectu sunt. Primum est, quod Scepticus de omnibus dubitat, nihilque esse ex se perspicuum statuit: contra ea, Dogmaticus putat quasdam esse enunciationes ex se perspicuas, de quibus ne possibile quidem est dubitare, atque illas, quae dubitationi subiiciuntur, ope enunciationum notarum certas fieri, « ita quod, aiente Scoto, « ipsa (*enunciatio*) prius sit dubitata, et postea per prin« cipia nota fiat certa [2] ». Quod paulo post idem venerabilis Doctor rursus inculcat, cum ait: « eaedem nu« mero propositiones, quae prius fuerunt dubiae, po« sterius fiunt certae per propositiones notas [3] ». Alterum est, quod Dogmaticus, cum gratia inveniendi verum, dubitet, dubitationem ad tempus instituit; Pyrrhonius solutiones dubitationum desperans, in perpetua dubitatione versatur. Vnde Brunus, qui rationem dubitandi, more Dogmaticorum, commendavit, non inquit, *Dubitemus semper*, sed *Dubitemus interim* [4]. Vno ver-

---

[1]) Vid. p. 214, et 222.
[2]) *Op. cit.*, q.I,n.2. Vide totum locum, quem excripsimus p. 197.
[3]) *Op. cit.*, q. cit., n. 3.—[4]) Vid. p. 205.

bo, dubitatio methodica, de qua agimus, triplici ex capite a pyrrhonia differt, quippe quod illa est hypothetica, ad tempus instituta, atque ex parte tantum, haec autem absoluta, definitiva, atque universalis.

ARTICVLVS SEXTVS

De dubitatione cartesiana iudicium fertur

Quae hactenus disputavimus, facem quam maximam ad iudicium de dubitatione cartesiana ferendum nobis praebent.

Principio, Cartesius, nostra quidem sententia, non est scepticus dicendus. Et sane, ipse verum invenire volens instituit de omnibus dubitare, non quod omnia pro falsis, et dubiis, more Scepticorum, re ipsa haberet, sed ut facultatem discriminandi vera a falsis, atque indubia a dubiis sibi compararet. Id cum ex ipsa ratione philosophandi, quam tenuit, haud latenter perspicitur, tum ab eo in *Respp. ad Obb.* saepe, aperteque significatum est. Et sane, Cartesius inter dubitandum anxie quaesivit aliquod fundamentum, sive aliquid inconcussum, super quo aedificium scientiae extollere posset, proindeque a dubitatione initium philosophandi sumens eo spectavit, ut dubitationem ipsam in exitu expelleret. En e multis pauca: « Et licet istius tantae dubitationis utilitas prima fronte non appareat, est tamen in eo maxima, quod ab omnibus praeiudiciis nos liberet, viamque facillimam sternat ad mentem a sensibus abducendam, ac denique efficiat, ut de iis, quae postea vera esse comperiemus, non amplius dubitare possimus [1] ». Hanc ob causam dixit non omnibus expedire, ut dubitationem ab eo institutam sectentur; si quis enim ingenio non satis acri dubitare de o-

[1]) *Synopsis Meditationum*, *Opp.* t. II, p. 1, Amstel. 1678. Cf Medit. I, p. 7 et 8, ed. cit.

mnibus aggrediatur, in dubitatione facile permansurus erit. « Quamvis, inquit, meum opus mihi satis placet, « non ideo unicuique auctor esse velim, ut simile quid « aggrediatur. Sed vereor, ne hoc ipsum, quod suscepi, « tam arduum et difficile sit, ut valde paucis expediat « imitari [1] ». Clarius alibi: « Cumque praecipue circa res « singulas observarem, quidnam posset in dubium re- « vocari, et quidnam occasionem male iudicandi prae- « beret, omnes paulatim opiniones erroneas, quibus « mens mea obsessa erat, avellebam. Nec tamen in eo « Scepticos imitabar, qui dubitant tantum, ut dubitent, « et praeter incertitudinem ipsam nihil quaerunt. Nam « contra totus in eo eram, ut aliquid certi reperirem [2] ». Non semel quoque professus est sese omnes anteceptas opiniones in dubitationem adduxisse, ut illas, post accuratum examen, vel omnes, vel per partim resumeret. « Illas (*opiniones dubias*), ait, aliquandiu omnino fal- « sas, imaginariasque esse fingam, donec nulla am- « plius prava consuetudo iudicium meum a recta re- « rum perceptione retorqueat [3] ». Qua mente autem dubia pro falsis habuerit, et de falsis quaesiverit, explicuit hunc in modum: « Dixi dubiorum non maiorem ha- « bendam esse rationem, quam si omnino falsa essent, « ut ab illis cogitatio plane avocetur, non autem ut « modo unum, modo alterum affirmetur [4] ».

Ad utrumque caput accusationis, quod innuimus, propulsandum hoc exemplo usus est: « Si forte (*oppo-* « *nens*) haberet corbem pomis plenam, et vereretur, ne « aliqua ex pomis istis essent putrida, velletque ipsa « auferre, ne reliqua corrumperent, quo pacto id face- « ret? An non in primis omnia e corbe eiiceret, ac « singula ordine perlustrans, ea sola, quae agnosceret « non esse corrupta, resumeret, atque in corbem repo-

---

[1]) Medit. I, *Opp.* ed. cit., t. cit., p. 9.
[2]) *De Meth.*, § 3, p. 18, t. cit., ed. cit.—[3]) Medit. I, ibid.
[4]) *Notae ad* Respp. 7, *Opp.* t. IV, p. 84, Amstel. 1678.

« neret , aliis relictis ? Eadem ratione ii, qui nunquam « recte philosophati sunt , varias habent in mente sua « opiniones, quas cum a pueritia coacervare coeperint , « merito timent, ne pleraeque ex iis non sint verae , i- « psasque ab aliis separare conantur , ne ob eamdem « mixturam reddantur omnes incertae. Hocque nulla « meliori via facere possunt , quam si omnes simul , et « semel, tanquam incertas, falsasque reiiciant , ac dein- « de singulas ordine perlustrantes eas solas resumant , « quas veras et indubitatas esse cognoscant [1] ».

Giobertius, aliique nuperi, post aliquos Cartesii aequales , contendunt Cartesium in dubitatione philosophiam suam fundasse. At perperam; namque Cartesius non dubitationem , sed conscientiam sui ipsius , quam ab omni dubitatione exemit, fundamentum philosophiae esse voluit. Re vera, Cartesius, cum sibi persuasisset se de omnibus posse dubitare, praeterquam quod sit, inde confecit conscientiam sui ipsius esse fundamentum universae scientiae, non quod putavit a conscientia sui ipsius omnia genera cognitionis humanae fluere, sed quod sensit conscientiam sui ipsius esse primum factum stabile, atque ineluctabile, ex quo quisquis causas rerum detegere adnititur, proficisci debet. Vtrum id veritati sit consentaneum, necne, alias videbimus. Illud hic nobis cum Cousinio certum est Cartesium dubitationem non commendasse veluti fundamentum, quo universa scientia sustentatur, et ne veluti principium quidem, ex quo universa scientia fluit, sed dumtaxat veluti principium , cuius ope, scepticismus , qui principia , et fundamentum universae scientiae tollit , commode confutari potest. « Dubitatio, Cousinius inquit, « quam Cartesius ad tempus instituit, non est princi- « pium philosophiae cartesianae. Cartesius enim sibi « proposuit scepticismum radicitus evellere , atque ani- « mae , et Dei existentiam firmis rationis momentis

[1]) *Ibid.* § 2, p. 95, et 96.

« evincere. Ipse Scepticos sibi sistit, eosque decretorio « hoc argumento perstringit: Vos de anima, et de Deo « dubitatis, immo de omnibus rebus; at certe non du- « bitatis, utrum, necne dubitetis. Iam id satis esse pu- « to, ut ex ipsa vestra dubitatione certos vos reddam. « Si enim dubitatis, ergo cogitatis, proindeque vos cogi- « tare certum vobis est. Ex hoc ineluctabili facto, tan- « quam e carceribus, proficiscitur Cartesius, ut invicte « conficiat esse aliquod ens cogitans, atque istud, non « secus ac cogitationem, esse spirituale, indeque per « continuam firmarum argumentationum seriem progre- « diens ostendat esse Deum [1] ».

Neque atheus, saltem ad tempus, Cartesius fuisse dicendus est, quia dubitationem de Deo instituit. « Si « quis enim, ipse inquit, sibi pro scopo proponat du- « bitare de Deo, ut in hac dubitatione persistat, gravi- « ter peccat, dum vult in re tanti momenti pendere « in dubio. Verum, si quis hanc sibi dubitationem pro- « ponat, tamquam medium ad clariorem veritatis co- « gnitionem assequendam, rem facit omnino piam et « honestam, quia nemo potest velle finem, quin velit « simul media; et in ipsa Scriptura Sacra saepe incitan- » tur homines ad hanc cognitionem ratione natura- « li quaerendam [2] ». Idem ex eo etiam patet, quod ipse cum alibi, tum maxime in *Dissert. de Meth.* ab universali dubitatione res Fidei exemerat, easque non posse sine temeritatis nota examini subiici aperte professus fuerat. En pauca, quae, postquam tres regulas morum exposuit, diserte scripsit: « Postquam me his regulis in- « struxissem, illasque simul cum regulis Fidei, quae sem- « per apud me potissimae fuerunt, reservassem, quantum « ad reliqua, quibus olim fueram imbutus, non dubita- « vi, quin mihi liceret omnia ex animo meo delere [3] ».

---

[1]) *Defense de l' Vniversitè, et de la phil.*, p. 121, Paris 1845.

[2]) *Epist.* Pars II, Epist. X *ad D. a Buitendiik*, *Epist.* t. II, p. 34, Amstelodomi 1682.

[3]) § 3, *Opp.* t. III, p. 18, Amstel. 1677.

Paulo ante luculenter asseruerat sese examini haud subiecturum esse veritates a Deo revelatas, ne crimen temeritatis incurreret [1]. Itaque non immerito in *Notis ad Program. Belgii*, postquam sollemniter professus fuit se non solum dubitationibus pyrrhoniis de existentia Dei, de fide sensuum, caeterisque non adhaesisse, sed etiam validissimis rationis momentis confutasse, « Monebo, ait, . . . me nunquam « docuisse, *Deum esse negandum*, vel *ipsum nos decipere*, vel *de omnibus esse dubitandum*, vel *fidem omnem sensibus abrogandam*, vel *somnum a vigilia non distinguendum*, vel similia, quae a calumniatoribus imperitis aliquando mihi obiecta sunt, sed omnia ista expressissimis verbis reiecisse, validissimisque argumentis, imo etiam ausim dicere, validioribus, quam ab ullo ante refutata fuerint, refutasse; quod ut commodius, et efficacius praestarem, proposui initio Meditationum mearum ista omnia, tanquam dubia, quae non a me primum fuerunt inventa, sed a Scepticis dudum decantata. Quid autem iniquius, quam tribuere alicui scriptori opiniones, quas eo fine tantum refert, ut eas refutet? Quid ineptius, quam fingere, saltem illo tempore, quo istae falsae opiniones proponuntur, et non refutantur, eas doceri, atque illum, qui refert argumenta atheorum, esse *atheum temporarium*? » [2]

Nec iure a Demaistreo, post Gassendium, obiectum Cartesio fuit, non posse animum se anteceptis opinionibus exuere, quippe quod non est in illius arbitrio rerum iam cognitarum oblivisci. Nam, si animus eorum, quae novit, non potest pro lubitu suo oblivisci, certe potest circa ea, quae clare non novit, assensum sustinere, eaque examini subiicere, aut examen ante institutum instaurare [3]. Hoc pacto ipsemet Cartesius mentem suam ex-

---

[1]) *Op. cit.*, § 1, p. 5.—[2]) Ad calc. *Medit.*, p. 190, ed. cit.

[3]) « Sunt, s. Thomas ait, quaedam apprehensa, quae non adeo « convincunt intellectum, quin possit assentire, vel dissentire, vel

plicuit, ubi hanc obiectionem Gassendii, quam Demaistreus instauravit [1], breviter solvit: « Vt enim omnia quis « praeiudicia exuat, nihil aliud requiritur, nisi ut apud « se statuat nihil eorum, quae antea affirmavit, vel ne- « gavit, antequam id rursus ad examen revocarit, affir- « mare, vel negare, etiamsi interea easdem omnes no- « tiones memoria retineat [2] ». Id adversus Voëtium rursus inculcavit his verbis: « Longe aliud est praeiudicia, « sive opiniones temere ante receptas deponere . . . , et « aliud eorum oblivisci, quod fere nunquam est in no- « stra potestate [3] ». Qua de re Claubergius illud scite monuit, quod « oblivio manifeste pugnat cum natura du- « bitationis, cum dubitare de re quapiam proprie di- « catur nemo, nisi cuius animo res illa observatur [4] ». At, si in his omnibus excusatum Cartesium volumus, non diffitemur eum multa vehementer peccasse. Horum illud palmare est, quod a Gassendio [5], aliisque notatum fuit, eum dubitationem valde longius, quam par, aequumque est, provexisse. Namque, praeter existentiam sui, alia quam plurima sunt vel sensu, vel mente explorata, quibus animum cedere necesse est, sive perspicuitas per se, sive per aliquod medium menti effulgeat. Haec, quae alio loco recensebimus, patefaciunt Cartesium rem haud

---

« saltem assensum, vel dissensum suspendere propter aliquam cau- « sam »; 1ª 2ae, q. XVII, a. 6 c.

[1]) *Op. cit.*, loc. cit.

[2]) *Epistola ad Gassendium, in qua ad epitomen praemissarum P. Gassendii* Instantiarum *respondetur*, seu *Respp.* ad Obb. 5, *Opp.*, t. II, ed. cit., p. 143.

[3]) *Epistola ad Voëtium*, *Opp.* t. IV, p. 19, Amsteled. 1678.

[4]) *De dubitatione cartesiana*, c. 1, § 6, *Opp. phil.* ed. cit., t. II, p. 1132, Amstel. 1691. Cf *Defens. Cartes.*, c. IX, § 11, t. II, p. 969.

[5]) *Disquis. metaph., seu Obb. et Inst. adversus* R. Cartesii *Metaph. et Respp.*, in *Medit.* I, Inst. II-IV, *Opp.* t. III, p. 257 sqq. Idem observarunt Buddeus, *De Atheismo, et Superstitione*, c. 1, § 25, p. 88, et 89, ed. cit.; Walchius, *Hist. log.*, lib. II, c. 2, § 42, in *Parerg. Acad.*, p. 802 sqq, ed. cit., et, ne de multis dicamus, Bruckerus, *Hist. crit. phil.*, Period. III, Pars 2, lib. I, c. 7, t. IV, Pars alt., p. 294.

possibilem factu aggressum fuisse, cum omnia, praeter existentiam sui ipsius, dubitatione complexus est. Immo, ut ait Gassendius, dubitatione sua complexus ea quoque est, de quibus ne Pyrrhonii quidem dubitarunt. Namque isti non dubitabant, quin res externae sint, ab eisque homines quodammodo afficiantur, sed dumtaxat profitebantur se ignorare, cuiusnam naturae sint res, a quibus homines afficiuntur, neque unquam fore, ut id certe cognoscerent; at Cartesius haec etiam, ut vidimus, in dubium revocavit. Ex quo patescit Cartesium ipsum sibi contradixisse, quod putavit se posse quidem dubitare, quin res externae sint, simulque ipsis rebus ad vitae necessitates explendas uti, actionesque suas secundum patriae leges moderari [1].

Ad haec, Cartesius a Reidio, et Royer-Collardo secum pugnasse iure, meritoque dictus est, eo quod, cum, verum a falso discernendi gratia, dubitare de omnibus instituisset, fidem testimonio conscientiae adiunxit, ceteris autem facultatibus detrectavit. « Abnorme est, inquit Reidius, cum ad fidem conscientiae suae se coactum sentiret, non et illud una sensisse, se eodem « modo non posse, quin ceteris facultatibus fidem adiungeret, et, cum certum ei esset se ratiocinari, et « dubitare, pro certo etiam non habuisse duo tribus « addita efficere quinque, somniumque a vigilia differe [2] ». Rem copiosius, luculentiusque Royer-Collard exposuit hunc in modum: « Quid est, quod Cartesius pro « certo habet *se cogitare*? Scilicet quod nequit de cogitationibus suis dubitare, quia perspicuum ei videtur « cogitationes suas re ipsa existere. Iamvero, si ita res « se habet, quidquid est evidens, et certum, et quaecumque sensibus, aut ratione explorata sunt, eadem, « ac facta peculiaria conscientiae, auctoritate pollent.

[1]) In *Medit.* 2ª, *Instit.* 2, loc. cit., p. 263.

[2]) *Analyse de la logique d'Aristote avec des rémarques*, c. 6, sect. 2, *Oeuvr.*, trad. par Jouffroy, t. I, p. 209, et 210, Paris 1836.

« Anne hanc praerogativam tribuit conscientiae, eo quod « sumit eius testimonium numquam in dubitationem ad- « ductum fuisse ? Ast id falsum est; nam quid non obie- « ctum est contra libertatem humanam, quam animo no- « stro inesse una conscientia edocemur ? [1] » Praeterea, « ipsa conscientia, pergit idem Collardus, testis nobis est « esse alia iudicia ex se evidentia praeter ea, quae ope « conscientiae efficiuntur ». Quod his exemplis illu- strat: « Rogo id ab ipso Cartesio, potestne fieri, ut mi- « nime iudicemus quadrato quatuor inesse latera, duo « tribus addita efficere quinque, cuiuslibet eventus esse « aliquam causam, atque, ut ad veritates facti redeam, « possumusne dubitare, quin extensio sit realis, quin nos « permaneamus, quin demum nos idem cum nobis simus ? « Conscientia, a qua edocemur nos haud posse ea ne- « gare, aut in dubium vocare, fallitne nos, annon ? Si « prius, ruit fundamentum philosophiae cartesianae, o- « mnisque certitudo perit ; sin posterius, ergo fallitur « Cartesius, si quidem conscientiam non esse unicum « instrumentum veri ipsa conscientia nos monet [2] ». Ex quibus intelligitur Cartesium culpandum esse, non solum quod de iis dubitavit, in quae dubitatio vel mi- nima cadere nequit, sed etiam quod a dubitatione e- xemit *facta* conscientiae, quae non maiori, quam alia plurima, evidentia pollent.

Sed Reidius Cartesium non iniuria etiam redarguit, quod, ut facultates suas in suspicionem fallaciae adduceret, earumdem falcultatum exercitationem adhibuit. « Incredibilius, ait, quoque est dialecticum, in primis « acutum, non advertisse, omnem ratiocinationem, qua « fallaciam suarum facultatum insinuare studebat, esse « purum, putumque sophisma. Etenim, si facultates « fallaces esse possent, certe errori locus dari poterat

[1]) *Fragmens*, n. III, ad calc. *Opp.* Reidii, ed. cit., t. III, p. 362, et 363. Quam falsum sit unam conscientiam nos de libertate nostrae voluntatis monere, alias ostendemus.

[2]) *Ibid.*, p. 365.

« etiam in hac ratiocinatione, atque in conclusione, « quae ab ipsa fluit. Cum enim illa conclusio sit iudi- « cium, quod facultates ad examen revocatae de se i- « psis tulere, non maior illi, quam ipsis facultatibus, « vis esse potest [1] ».

Aliis noxis dubitationis cartesianae omissis, adnotatum volumus Cartesium haud caute se gessisse, quod ea, quae ante didicerat, non solum pro dubiis, sed etiam pro falsis habuit. Primo enim : « Quomodo, inquit Schulerus, « falsas dicemus rationes, quas nondum falsas esse in- « telligimus ? Profecto, sicut falsum affirmare non « possumus, quod ut verum apprehendimus; ita neque « falsum affirmare valemus, quod nobis falsum esse non « apparet [2] ». Secundo, fieri nequit, monente Gassendio, ut de iis dubitemus, quae pro falsis habemus: si quidem animus, cum quidpiam in dubium vocat, inter ambas partes dubitationis vacillat, at, cum verum pro falso habet, alterutri parti adhaeret [3].

Denique illud praetereundum non est, quamvis Cartesius de existentia Dei, aliisque cum Naturalis, tum Revelatae Religionis decretis nihil dubitandum esse sanxisset, tamen rationem dubitandi, quam proposuit, eiusmodi esse, ut ab ipsa eximere ullas veritates ordinis sive naturalis, sive supernaturalis valde difficile, immo impossibile

---

[1]) *Op. cit.*, ibid.

[2]) *Exercitationes ad* Renati Cartesii *Principiorum Part. I^m*, q.I, p. 2, Vltrajecti 1667.

[3]) *Disquis. met.* etc., In *Medit.* I, *Inst.* 3, *Opp.* ed. cit., t. III, p. 237. De dubitatione cartesiana, praeter alios multos, consulere iuvabit Petrum Villemandy, *Scepticismus debellatus*, c.2, § 9, Lugd. Batav. 1696; Guil. Henr. Bekerum, *Dissert. quod Cartesius de omnibus initio suadens dubitare, atheis ideo, et scepticis adscribendus non sit*, Regiomonti 1724; Ioan. Guil. Feurlinum, *Dissert. de dubitatione Cartesiana, et an Cartesio atheismus et scepticismus imputari possit*, Ienae 1711, aliosque, quos Walchius enumeravit in *Hist. log.*, lib.II, c. 2, § 42, *Parerga acad.*, p.802 sqq, ed.cit.; necnon Claubergium, *Initiatio, sive dubitatio Cartesii ad metaphysicam certitudinem viam aperiens*, Lugd. Batav. 1655.

sit. Id primo intelligitur ex ipsis rationis momentis, propter quae Cartesius ab initio de omnibus dubitandum esse sibi persuasit. Et sane, ipse has quoque habuisse dubitandi causas dixit, quod ignoramus, annon ita conditi a Deo simus, ut semper, ac in rebus etiam notissimis fallamur, et annon aliquis Genius, valde potens, animis nostris insidietur, perpetuoque tenebras nobis offundat. Iamvero, quisquis duas hasce hypotheses, quas Cartesius sibi finxit, fingere non solum potest, sed etiam debet, certe de Dei veracitate, providentia, aliisque attributis, immo, si Genius ille potens admittatur, de ipsa existentia Dei dubitet necesse est. Sed, si quis de hisce decretis Religionis Naturalis dubitet, de Fidei Catholicae decretis quoque dubitare debet; illa enim, quemadmodum alibi innuimus, sunt necessarium Theologiae revelatae praeludium. Ergo causae, ob quas Cartesius initio de omnibus dubitandum esse dixit, eiusmodi sunt, ut dogmata Fidei Catholicae a dubitatione non excludant. Hoc ipsum ex eo comprobatur, quod quisquis philosophari aggressus de veracitate Dei dubitat, certe nec iis, quae per lumen naturale rationis, nec iis, quae per lumen supernaturale Fidei apprehendit, assensum praebere potest, quia tam Rationis, quam Fidei auctor est idem Deus.

Cartesius ideo etiam de omnibus dubitandum esse sanxit, quod nos non possumus certam ullius rei cognitionem assequi, nisi postquam Deum existere, Eumque esse veracem novimus. Iam, nos, cum philosophari incipimus, nescimus, ipsius Cartesii iudicio, an Deus existat, et an sit verax. Nihil igitur certi, exploratique nobis, quando philosophari incipimus, esse potest. At si philosophari aggredienti nihil certi esse potest, de omnibus cum quae Ratione, tum quae Fide continentur, ei dubitandum est. Ex quo rursus patescit, si momenta rationis spectentur, quorum gratia Cartesius de omnibus dubitare instituit, nulla ab ista dubitatione decreta vel Rationis, vel Fidei posse eximi.

Secundo, Cartesius rem haud possibilem praecepit,

cum ab universali dubitatione existentiam Dei, et veritates, quas Deus revelavit, exceptas voluit. Etenim, si animus illius, qui philosophari aggreditur, ita comparatus esse debet, ut de rebus etiam evidentissimis dubitet, puta num duo addita duobus efficiant quatuor, quid prohibere potest, quin ipse veritatibus Fidei assensum detrectet? An Dei ipsas revelantis auctoritas? At primum, si quisquis philosophari incipit, dubitare, ut modo diximus, debet, num existat Deus, et num sit verax, quonam pacto auctoritatem Dei revelantis agnoscere potest? Praeterea, Cartesius, cum iubet dubitare de rebus manifestissimis, cuiusmodi sunt axiomata, simulque veritatibus Fidei assensum praebere, duas, ut P. Liberatore scite advertit [1], contrarias propensiones circa verum in animo agnovit, quia animum aliter circa verum naturale, aliter circa supernaturale comparatum esse sumpsit. Ast hoc adprime falsum est. Quamvis enim scientia, et Fides ex diversis fontibus promanent, et diversis momentis, sive, ut Scholae aiunt, *motivis* nitantur; tamen animus non aliter circa verum, quod *credit*, quam circa verum, quod *scit*, per se comparatus est, quia veritati, cuiusque generis sit, semper adhaeret, dummodo legitimum esse fontem, ex quo promanat, firmumque momentum, cui innititur, perspexerit. Quamobrem, cum ratio, ut suo loco videbimus, sit legitimus fons, atque evidentia firmum *motivum* veritatum ordinis naturalis, intellectus, quemadmodum veritatibus ordinis supernaturalis assentitur ob infallibilem auctoritatem Dei ipsas revelantis, ita quoque assentiri cogitur veritatibus ordinis naturalis, quae evidentia rationis patefiunt. Atque e contrario, si animus veritatibus vel manifestissimis ordinis naturalis, uti Cartesius voluit, assensum detrectare potest, immo initio detrectare debet, nihil causae est, cur veritatibus ordinis supernaturalis, licet auctori-

---

[1]) *Della conoscenza intellettuale*, Part. I, c. 1, art. 12, t. I, p. 57-60, Roma 1857.

tatem infallibilem Dei prae se ferentibus, assensum detrectare non possit. Recens historia scientiarum, et litterarum id luculenter comprobat. Nam, etsi Cartesius a dubitatione universali veritates Fidei Catholicae eximendas esse dixisset; nihilominus plerique illorum, qui methodum philosophandi ab eo institutam sectati sunt, non solum veritates iam vulgo receptas, sed etiam veritates Fidei Catholicae in dubitationem revocarunt, et iudicio individuae suae rationis subiecerunt; unde pantheismi, deismi, et rationalismi portenta non solum in scientiis philosophicis, et theologicis, sed in litteris humanis quoque percrebuere. Quod cum a nobis breviter in *Introductione* patefactum sit, lubet in praesentia pauca verba Lerouxii exscribere, quem fautorem athei cuiusdam progressus fuisse nemo ignorat. « Itaque Cartesius nonnisi quidam « annulus est catenae, quam progressus generis humani conficit. Si Cartesium in se ipso spectaveris, atque « a Luthero, Voltairio, et Kantio seiunxeris, quorum « ille ipsum inspirat, iste ad actionem reducit, hic comprehendit, limitibusque circumscribit, ipse intelligi « nullo modo potest. Certe, Cartesius in scenam prodiit, « ut emancipatio hominum a religione ad extremas suas « conclusiones traheretur, ut laici a servitute erga Ecclesiam omnino, et radicitus eximerentur, utque demum homo in posterum perfectionem suam conse- « queretur [1] ».

ARTICVLVS SEPTIMVS

Sententiae Philosophorum de usu historiae scientiarum in ipsis scientiis exponuntur

Postquam vidimus, quid usus dubitationis certis limitibus circumscriptus ad profectum scientiarum conferat, necesse est, ut de usu historiae nonnihil dicamus,

[1]) *Réfutation de l' Eclectisme*, part. I, § 1, p. 8 et 9, Paris 1839.

quia haec altera quaestio cum prima arcte colligatur. Tres potissimae hac de re sententiae Philosophorum nobis occurrunt. Prima decernit ad progressum cuiusque scientiae non modo non esse utile, sed damnosum quoque nosse historiam eorum, quae illius cultores tradiderunt. Altera, quae adversis frontibus cum prima pugnat, statuit non solum utile, sed etiam necessarium esse ut qui alicui scientiae studet, eius historiam cognoscat, quia historia scientiae est ipsissima scientia, ut qui alterutram novit, utramque re ipsa noscat. Tertia, quae medium inter hasce duas locum tenet, scientiam ab eius historia accurate discriminat, sed huius cognitionem multum opis illi conferre sancit. Quinam fuerint harum tium sententiarum auctores, et quomodo ipsas propugnaverint, exponere iuvabit, ut status huius quaestionis, adeo inter recentes agitatae, plane innotescat, ipsaque quaestio commodius dirimatur.

Auctor libri *de Prisca Medicina*, quem Hippocrati vulgo tribuunt [1], primus omnium, quantum scimus, usum historiae commendavit: ipse enim scripsit « multa, « eaque egregia (πολλὰ, καὶ καλῶς) optimae methodi gratia « inventa esse, multoque maiora inventum iri, si viri « acri praediti ingenio, eorumque, quae antiquitus in- « venta fuerunt, periti, ab inventis in suis vestigationi- « bus proficiscantur; sed qui, hisce omnibus reiectis, « neglectisque, aliam methodum aggreditur, aliamque « viam init, falli, et fallere (ἐξηπάτηται, καὶ ἐξηπατᾶται) [2] ». Quibus verbis sane docuit historiam scientiae utilem esse, sed non adeo, ut historiam scientiae cum scientia confunderet. Eadem mens, eademque methodus Platoni fuit. Hic enim, uti communis veterum opinio [3]

---

[1]) Salvator de Renzi in peculiari, quam hac de re dissertationem scripsit (Neapoli 1846) hunc librum non Hippocratis, sed Alcmeonis esse contendit.

[2]) Περὶ ἀρχαιῆς ἰατρικῆς, *Opp.* ed., et gall. vert. E. Littré, t. I, p. 572. Cf ibid., p. 596, 598, atque *Argumentum* Interpretis gallici, p. 560, Paris 1839.

[3]) Vid. Laertium (lib. III, segm. 8), aliosque, quos laudavit Her-

non paucis nuperis [1] probata fert, universae graecae philosophiae, quae eius aetati praecessit, elementa congessit, et, tanquam corporis membra, in unum redegit. Non speciminis gratia, et quasi per transennam, sed « data « opera, ut nuper Reesema ait, aliorum philosophemata « recenset, explicat, diiudicat ». Ipse « quae veteres re- « liquerant philosophi, assidue tractat, epurat quasi et « regenerat, deinde sua prolaturus, dubitans et lentus, « ut alios magis excitare ad perficiendum, quam ipse « perficere velle videatur [2] ». Hanc ob causam eum scriptionem Dialogi usurpasse Guil. Heusdeus observavit. « Tum illud, ait, erat in eius philosophandi ratione no- « vum, quod hac ipsa usurpanda dialogi scriptione, non « suam unice, sed in primis maximorum quorumque « philosophorum, qui et ante eum fuerant, et ipsius

mann., *Hist., et systema philosophiae plat.* (germ.), p. 274, n. 1, et 2, Heidelbergae 1838.

[1]) Nuperi historici philosophiae concorditer tenent Platonem universam philosophiam graecam, incongruam, sibique ipsi adversantem, in unum redegisse ; sed quanam ratione hoc ab eo praestitum fuerit, inter ipsos non convenit. Hermannus censet Platonem non aliud egisse,quam ut diversas philosophorum opiniones colligeret, et quodam syncretismo coagmentaret (*Op. cit.*, loc. cit.), idemque ante eum sensisse videntur Heusdeus (*Initia phil. plat.* p.364,366, 373 etc., ed. cit., et *Charact. Phil. vett.*, p. 135, et 136, ed. cit.), et Ackermann (*Christian. in Platone* etc., germ., p.116 sqq, Hamburgi 1835). E contrario, Reesema contendit Platonem systemata philosophiae graecae ad unum revocasse, quia illa ex altiore Idea, sive principio iudicavit (*Dissert. exhibens Parmenidis, Anaxagorae, Protagorae, et Platonis de iis iudicium*, Proleg. 7, Lugd. Batav. 1840). Ei hoc in iudicio, praeter multos alios, praecesserat Herbart, *De platonici systematis fundamento*, p. 3 sq, Gottingae 1805.

[2]) *Op. cit.*, Proleg., p. 11, et 12. Ex quo iudicium Platonis de philosophis, qui ei praecesserunt, plurimi faciendum esse conclusit his verbis : « Si talis est philosophiae platonicae natura, Grae- « cae philosophiae platonicae historicum intellectum prae omni- « bus ipsi tribui debere apertum est. Cum historia internam quasi « genesin phaenomenorum postulet, superiorum philosophematum « principia uno organismo coniungere volens Plato,eorum ortum in- « dicare potuit, naturam explicare,scopum ostendere »; *ibid.*,p.10.

« aetate vigebant, doctrinam tum adumbraret, tum diiu-
« dicaret. Quo fit, ut praestet eius philosophia admira-
« biliter rerum, sententiarumque copia et varietate, ab-
« horreat plane a systematicorum philosophorum ieiu-
« nitate [1] ».

Sed Aristoteles, primus omnium, diserte, et saepe docuit neminem posse in cuiuspiam scientiae studio proficere, nisi ipso in vestibulo opiniones eorum, qui de eadem re tractarunt, investiget, atque examini subiiciat. Quot, et quae utilitates, eius sententia, ex ista methodo in scientiarum progressum redundent, inferius dicemus. In praesentia, observandum nobis est Aristotelem in cunctis suis libris iudicium suum de re proposita non ante aperuisse quam praecipuas quasque antiquiorum philosophorum sententias in medio poneret, et discuteret. Re vera, ut nonnulla exempla adducamus, in Libris *Naturalis Auscultationis*, de primis principiis rerum acturus, statim post exordium opiniones antecessorum suorum recenset, accurateque discutit [2]. In libro I *De Anima* « Verum enimvero, ait, neces-
« se est, considerantes de anima, ut de his ambigentes
« (διαποροῦντας) simul, de quibus certi esse debemus, ulte-
« rius procedendo, in medium eorum antiquorum affe-
« ramus opiniones, qui de anima affirmarint aliquid, ut
« ea quidem accipiamus, quae bene sunt dicta, ab iis
« autem caveamus, quae non bene dicta fuere [3] ». In *Ethic. Nic.* initio diversas de beatitudine cum Philosophorum sententias, tum vulgi opiniones attulit, ac examini subiecit [4]. In *Politic.* lib. II varias Reipublicae formas, et quae vulgo pro optimis habebantur, veluti Lacaedemoniorum, Cretensium, Carthaginiensium, aliorumque, et quae a Platone, aliisque effictae fuerant, diiudicavit [5]. In *Rethor.* libris universam historiam huius artis ea diligentia, iudice Tullio, persecutus est, ut

[1]) *Charact. Phil. vett.*, p. 136, ed. cit. — [2]) Lib. I, c. 2, et 3.
[3]) C. 2, § 1, ed. Didot. — [4]) Lib. I, c. 2-4, ed. cit.
[5]) C. 2, 3, et passim. Lubet de hoc opere Aristotelis afferre prae-

veterum rethorum praecepta melius ab eo, quam ab hisce, intelligi queant [1]. Sed hac in re ceteris Aristotelis operibus excellit liber primus *Metaphys.* In hoc enim, uti a Iacquesio scite observatum est [2], historiam philosophiae data opera, et methodo scientifica tractavit, quia in eo cuncta systemata philosophiae, quae ante ipsum viguerant, exposuit, ac examini subiecit. Nec praetermittendus est *Liber de Xenophane, Zenone, et Georgia* [3], qui totus circa historiam versatur [4]. Maius his argumentum ad

---

clarum iudicium Rhunkenii: « Aristoteles, si nullum aliud ingenii « monumentum condidisset,. . . solis aureis de optimae reipublicae « institutione libris nomen suum ad immortalitatis memoriam con- « secrasset »; *Opusc.*, p. 99, Lugd. Batav. 1807. Cf Wicherum Van Swinder, *Dissert. de Aristotelis Politicorum libris*, p. 55-65, Groningae 1824.

[1]) « Ac veteres quidem, Tullius inquit, scriptores artis usque a prin- « cipe illo, atque inventore Tisia repetitos, unum in locum conduxit « Aristoteles, et nominatim cuiusque praecepta magna conquisita « cura perspicue conscripsit, atque enodata diligenter exposuit : ac « tantum inventoribus ipsis suavitate, et brevitate dicendi praestitit, « ut nemo illorum praecepta ex ipsorum libris cognoscat, sed omnes, « qui, quod illi praecipiant, velint intelligere, ad hunc, quasi ad « quemdam multo commodiorem explicatorem, convertantur »; *De inventione*, lib. II, c. 2, *Opp.* t. I, ed. Olivetus.

[2]) *Aristote considéré come historien de la philosophie* par Amédée Jacques, Part. I, p. 9, Paris 1837.

[3]) Cf Th. Bergk, *Comm. de Arist. libro de Xenophane, Zenone, et Georgia*, Marpurgi 1843, et Mullach, *Aristotelis de Melisso, Xenophane, et Georgia disputatio cum Eleat. philos. fragm.*, Berolini 1846. Mullachius, uti patet, secutus est opinionem Spaldingii, qui capita I, et II laudati libri ad Melissum spectare contendit in erudito libello, *Vindiciae Philosophorum Megaricorum*, p. 56 sqq, Halis Saxonum 1791. Hunc librum Aristotelis partem fuisse maioris operis de Philosophia Baumhauer coniecit in sua *Disq. de vi aristotelea* etc., c. 4, p. 124, not. (4), ed. cit.

[4]) Aristotelem multam, sollicitamque operam in coëmendis, colligendisque Philosophorum scriptis navasse, magnosque in hanc rem sumptus fecisse veteres passim testantur. Gellius (*N. A.*, lib. III, c. 17) auctor est eum Speusippi sibi coaevi pauculos libros tribus talentis Atticis emisse. Quin bibliothecam, si non primus, quemadmodum Patritius voluit (*Discuss. perip.* t. I, lib. I, p. 9, ed. cit.), certe inter primos confecerit, nullus eruditus dubitat.

idem probandum nobis suppeteret, si eius opus Περὶ Πολιτειῶν non periisset ; in hoc enim , uti ex fragmentis, quae supersunt , apparet, centum quinquaginta octo civitatum leges, formas, institutaque descripsit [1].

Ex quibus patet Baconem , cuius iudicium Reidius probavit [2], turpiter mentitum esse, cum scripsit: » Aristotelem more Ottomanorum putavisse regnare se tuto « haud posse, nisi fratres suos omnes contrucidasset [3] ». Quisquis enim in cunctos libros Aristotelis , et maxime in horum loca, quae commemoravimus, vel oculos tantum coniiciat , plaudere cogitur Barth. Saint-Hilaireo, qui Baconi succensuit his verbis : « Aristoteles non « est , uti Baco venditavit , praedo fratrum suorum, « sive homicida philosophorum, qui ei praecesserunt. Ipse « non modo spolia illorum non abscondit, et confodit, « sed illis simulacra erexit; illos, nedum in umbras non « proiecit, magna luce suffudit; illos denique gloriae suae « consociavit, vitaeque perpetuitate donavit; tantum abest, « ut illos oblivioni voveret [4] ». Id certe ab eodem Cicerone traditum fuerat , quippe qui in op. *De inventione* post verba , quae antea excripsimus , subdit : « Atque hic quidem ipse , et seipsum nobis , et eos, « qui ante se fuerant, in medio posuit , ut et caeteros, « et seipsum per se cognosceremus [5] ». Nemo , quantum scimus , inter veteres non agnovit Aristotelem in suis libris doctrinas Philosophorum , qui ei praeiverant, accurate recensuisse. Nonnulli tantum, uti prae ceteris Pythagorei [6], inique ei obiecerunt quod, dum a suis

---

[1]) Cf Am. Herm. Lud. Heeren , *De fontibus, et auctoritate vitarum parallelarum Plutarchi*, Commentt. IV, p. 119, Gottingae 1820; *Rerum publicarum reliquiae* , collegit, illustravit, et prolegomena adiecit F. Neuman, Heidelbergae 1827.

[2]) *Analyse de la logique d' Aristote* etc. *Oeuvr.* t. cit., p. 122 , et 123, ed. cit.

[3]) *De augm. scient.*, lib. III, c. 4, p. 191, ed. cit.

[4]) *La politique d'Arist.*, trad. en franç., Préf. p. LVII, Paris 1837.

[5]) Vid. p. 242, not. 1.

[6]) Cf Porphyr. , *Vita Pythagorae*, n. 53, p. 49, ed. Rittershuys, Amstelod. 1707.

praecessoribus *utilissima*, τὰ κάρπιμα, suffurabatur, *vulgaria ac leviora*, τὰ δ' ἐπιπόλαια καὶ ἐλαφρὰ, in medium protulit, ut illorum scholas deprimeret. Eadem laus Aristoteli a recentibus quoque vindicata fuit, inter quos, ut unum magni sane nominis citemus, Scipio Aquilianus inquit: « Nullibi fortasse Aristotelem deprehendemus rem ali- « cuius ponderis explicaturum, quin antiquorum opi- « niones sibi prius examinandas iure merito propo- « nat [1] ». Nisi quod permulti, post Lud. Vivesium [2], aliosque Aristotelis adversarios [3], accusationem Pythagoreorum instaurantes, ei obiecerunt, quod « hunc sibi « scopum praefixisset . . . ut omnium fere veterum sa- « pientiam carperet, exque tantorum heroum ruinis si- « bi tropaea erigeret ». At vero, cum in hac nostra aetate odium contra Aristotelem, et aristoteleos, quod in saeculo proxime elapso, Encyclopaedistarum Gallicorum opera, vehementer exarserat, omnino extinctum sit, et principum Philosophorum veterum systemata sine partium studio exponantur, iudicium Pythagoreorum, et recentium, qui illud probarunt, ac exaggerarunt, vulgo veluti iniquum reiicitur, Aristotelisque de historia vetustae philosophiae merita praedicantur. Certe, laudatus Heusdeus, non suspectus auctor, ubi de Aristotele *historico*, et *critico* egit, inquit: « Hac ratione instauravit doctrinas, « et dici vix potest, quantopere id factitando *historiae*

[1]) *De placitis Philosophorum, qui ante Aristotelis tempora floruerunt, ad principia rerum naturalium, et causas motuum assignandas pertinentibus*, cum commentt. et illustratt. Iacobi Bruckeri, lib. I, c. 1, p. 1, Lipsiae 1756. Hic liber, qui, cura Georgii Moralis, primo prodiit Venetiis 1620, adeo rarus evaserat, ut ne Marhofium quidem, et Baylium, magnos librorum helluones, illum vidisse valde probabile sit. Vnde Iacob. Bruckerus ipsum cum suis additionibus rursus editurum promisit (vid. eius not. ad prooem.), eoque vita functo, eius filius Carolus e scriniis paternis evulgavit.

[2]) *Ad s. August. De Civit. Dei*, lib. VIII. c. 12, Parisiis 1636.

[3]) Inter hos maxime nominandi sunt Patritius, *Discuss. Peripat*, t. III, lib. I, p. 291, ed.cit.; Paganinus Gaudentius, *De aristoteleo veterum contemtu*, Parisiis 1641, aliisque missis, Iacob. Bruckerus in *Not.* ad *Op. cit.* Aquiliani, p. 1, not. *a*).

« item provexerit studia », et postquam breviter id probavit, subdit: « Primus fuit, qui data opera historiam phi-« losophiae *traderet*, explicandis, censendisque nullorum « non sive sapientum, sive philosophorum placitis [1] ». Atque alibi: « *Quis omnium doctior*, ait Cicero, *Aristo-« tele fuit* ? Tot illum poetas, tot omnis generis scripto-« res ; tot philosophos legisse, nec tantum legisse, sed « censuisse etiam, ex iisque ad recte philosophandum « profecisse constat, ut si hoc unum per totam vitam fa-« ctitasset, vix vita his studiis suffecisse videatur, idemque « ille in doctissimis hominibus praecipuum locum obti-« nuisset [2] ». Cum Van Heusdeo, praeter Ritterum [3], Trendelenburgium [4], Rassovium [5], Gastmannum [6], Bonitzium [7], aliosque germanos, a nobis passim commemoratos, idem sentiunt, post Cousinium [8], historici Galliae Saint-Hilaire, Ravaissonus, et, ne cunctos nominemus, Iacquesius. Enimvero Saint-Hilaire, praeter locum ante laudatum, in *Praef.* ad versionem opusculorum Aristotelis, quae circa scientiam naturae versantur, studium Stagiritae in perscrutandis, ac expendendis veterum opinionibus adnotavit, multasque, ut inferius videbimus, huius methodi utilitates enumeravit [9]. Ravaissonus vero scripsit « philosophiam Ari-

---

[1]) *Characterismi principum philosophorum veterum*, p. 160, et 161, ed. cit. — [2]) *Op. cit.*, p. 234, et 235.

[3]) *Hist. de la phil. ancien.*, lib. IX, c. 2, t. III, p. 35, et 37, ed. cit.

[4]) *In lib. I Arist., de Anim.* c. 2, p. 211, ed. cit., et *Elem. log.*, § 16, p. 78, ed. cit.

[5]) *Op. cit.*, Pars alt., c. 1, p. 47, et 48. — [6]) *Op. cit.*, c. 3, p. 108-112.

[7]) In *Met. Arist. Comm.* lib. I, c. 3, p. 61, ubi eruditus hic interpres ait: « Superiorum autem Philosophorum placita cum saepissi-« me referat Aristoteles, nunquam simpliciter historici partes agit, « sed ubique aliorum sententias ad suam ipsius doctrinam confert, « ut eorum dubitationibus quid sit quaerendum, doceamur, vel quae « male illi censuerunt, evitemus, quae bene, retineamus ». Cf eumdem, *In lib. I min.*, c. 1, p. 129.

[8]) *De la métaph. d' Arist.*, Avertissement, *Oeuvres*, t. III, p. 459, Bruxelles 1840.

[9]) P. LXXIV-LXXXI, Parisiis 1847.

« stotelis, ex cognitione, penitoque examine systematum « philosophicorum, quae ei praecesserant, prodiisse, « eorumque historiam, et iudicium libris metaphysi- « cis maxime contineri », conclusitque Aristoteli, praeter alias, « hanc gloriam dandam esse, quod historiam « philosophiae fundavit [1] ». Iacquesius denique non modo, quantum Aristoteles de historia scientiarum, in primisque philosophiae meruerit, ostendit [2], sed etiam illis succensuit, qui Aristotelem « vel nimis rigidum eorum, « qui ipsi praeiverant, censorem, vel arrogantem in suis « iudiciis, et contumeliosum in suis censuris fuisse con- « questi sunt [3] ». Ipse e contrario contendit Stagiritam errores vel valde immanes de rebus, quas tractavit, ita exposuisse, ut illorum auctores non tam reprehendere, quam excusare videretur, adduxitque ex primo libro *Metaph.* ea, quae de quibusdam absurdis Thaletis [4], Pythagoreorum [5], et Anaxagorae [6] opinionibus observavit [7].

Vsus historiae in disquisitionibus Neoplatonicorum quoque invenitur. Vt de uno Plotino illorum principe dicamus, hic, ut Bouilletus advertit, « perinde ac Aristo- « teles, principio diversas hypotheses, quae circa rem « controversam fingi possunt, expendit, deinde quid ipse « sentiat, aperit [8] ». Cuius rei praeclarum exemplum esse potest vel solus primus liber *Enneadis* I, in quo Aristo-

---

[1]) *Op. cit.* part. III, lib. I, c. 1, p. 208.

[2]) *Op. cit.* In secunda parte huius operis (p. 60 sqq) iudicia exponit, quae Aristoteles de cunctis sectis Philosophorum tulit, atque in tertia parte (p. 130 sqq), appendicis instar, omnia loca citat, quae ad historiam philosophiae pertinent.

[3]) *Op. cit.*, part. I, n. V, p. 51.

[4]) *Met.*, lib. I, c. 3, ed. Bekker, p. 983, lin. 2.

[5]) Lib. I, c. 5, ed. cit., p. 985, lin. 25.

[6]) Lib. I, c. 8, ed. cit., p. 989, lin. 5.

[7]) *Op. cit.*, part. I, n. V, p. 51 et 52.

[8]) *Les Ennéades de Plotin, trad. en franç.*, Enn. I, lib. I, Not. et Eclairciss., t. I, p. 330, not. 3, et p. 369, Paris 1857. Idem de Neoplatonicis adverterat Saint-Hilaire, *Op. cit.*, Prèf., p. LXXV, et LXXVI, ed. cit.

telem imitatus diversas sententias Philosophorum de facultatibus animae ad examen revocat. Nec omissum volumus Galenum, qui, exemplum Hippocratis secutus, studium medicinae cum studio universae philosophiae, in primisque dialecticae coniunxit, discipulisque suis auctor utrumque coniungendi fuit. Hic enim aperte edixit non parum utile fuisse sibi, ceterisque medicis aetatis suae, quod haeredes fuissent magnorum progressuum, quos antiqui in artibus, scientiisque fecerant, et facile sibi fore, si ea, quae Hippocrates diuturno, assiduoque labore invenerat, brevi tempore didicissent, cetera invenire, quae ipsis invenienda reliquerat [1]. Quin immo adiecit sese non modo similes Hippocrati, sed praestantiores quoque illo evasuros, si, quae hic adamussim tradiderat, didicissent, et quae ipse non invenerat, detexissent [2].

Ad scriptores latinos convertamur. Inter hos princeps nobis occurrit Cicero, qui historiam omnium artium, scientiarumque graecarum et in cunctis suis disquisitionibus copiose adhibuit, et omnibus artium, scientiarumque cultoribus adhibendam praecepit. In ipsum illud, quod de Aristotele asseruit [3], quodammodo quadrat. « Idem, Guil. « Heusdeus ait, statuendum de Cicerone est : qui, pariter « atque Aristoteles, propter multiplicem hanc veterum scri« ptorum ac philosophorum, qui magnam nunc partem « interierunt, lectionem, princeps nobis auctor est hi« storiae cum litterariae, tum philosophicae [4] ». Perlongum, si certe non iniucundum, opus foret omnia ad id

---

[1]) *Oeuvr. de Galien*, trad. par Daremberg, t. I, p. 4, Paris 1854.

[2]) *Ibid.*, p.7. Cf ibidem Dissert. eiusdem Darembergi, *Galien considéré comme philosophe*. De hoc medico, et philosopho, qui, ob copiam, varietatemque cognitionum,et partem, quam in philosophiam arabicam, et scholasticam exercuit, cum Aristotele comparari solet, consulere iuvat, prae multis aliis, Ackermann, *Vita Galeni*, quae extat in *Opp.* t.I, ed. Kühn, Lipsiae 1821, et Dubois in *Comment.*, quam exhibuit Academiae Reg. Medic. an. 1841, atque edita est in *Bullet. de l' Acad. Roy. de Médec.*, t. VII, p. 281 sqq.

[3]) Vid. p. 242, et 243.

[4]) *Characterismi Phil. vett.*, p. 235, ed. cit.

probandum argumenta afferre , quae non modo ex eius libris, quos plurimos scripsit de philosophia , sed etiam ex orationibus , ac epistolis eius suppetunt [1]. Ceteris missis, initium libri secundi *De Inventione* praeterire nolumus ; in hoc enim se omnes unum in locum congessisse scriptores , atque ab his , quidquid scite praeceptum sibi videbatur, excerpsisse asseruit. Vt id praeclaro exemplo declararet , Zeuxidis vestigiis se institisse dixit; hic enim , simulacrum Helenae picturus , quinque formosissimas virgines sibi sisti iussit , ut veram , perfectamque pulcritudinis speciem , quam singulae prae se ferre non poterant, in cunctis inveniret. Quam historiolam ita concludit , atque ad rem suam accommodat : « Neque enim putavit omnia, quae quaereret ad venu- « statem , uno in corpore se reperire posse ; ideo quod « nihil simplici in genere omnibus ex partibus perfe- « ctum natura expolivit. Itaque tanquam caeteris non « sit habitura quod largiatur, si uni cuncta concesserit, « aliud alii commodi aliquo adiuncto incommodo mu- « neratur. Quod quoniam nobis quoque voluntatis accidit, « ut artem dicendi perscriberemus , non unum aliquod « proposuimus exemplum, cuius omnes partes, quocum- « que essent in genere , exprimendae nobis necessario « viderentur: sed, omnibus unum in locum coactis scri- « ptoribus , quod quisque commodissime praescribere « videbatur , excerpsimus , et ex variis ingeniis excel- « lentissima quaeque libavimus. Ex iis enim , qui no- « mine , et memoria digni sunt , nec nihil optime, « nec omnia praeclarissime quisquam dicere nobis vi- « debatur. Quapropter stultitia nobis visa est , aut a « bene inventis alicuius recedere , si quo in vitio eius « offenderemur : aut ad vitia quoque eius accedere, « cuius aliquo bene praecepto duceremur. . . . Ac si

---

[1]) Legendus hac de re est Carolus Van Heusde, Gulielmi, saepe laudati filius, in Dissert., quam *Cicero Φιλοπλάτων* inscripsit, c. III-VI, p. 143 sqq, Traiecti ad Rhenum 1836.

« par in nobis huius artis, atque in illo picturae, scien-
« tia fuisset, fortasse magis hoc suo in genere opus
« nostrum, quam ille in sua pictura nobilis enitere-
« Ex maiori enim copia nobis, quam illi, fuit exem-
« plorum eligendi potestas. Ille una ex urbe, et ex eo
« numero virginum, quae tum erant, eligere potuit:
« nobis omnium, quicumque fuerunt, ab ultimo prin-
« cipio huius praeceptionis usque ad hoc tempus expo-
« sitis copiis, quodcumque placeret, eligendi potestas
« fuit [1] ». Cum hanc philosophandi rationem Cicero sectaretur, nemo mirabitur multos, quos exaravit, libros copiosum fontem historiae philosophicae nullo non tempore habitos fuisse [2], quamvis de loco, qui inter fontes illis dandus sit, adhuc inter eruditos disputetur.

[1]) *De invent.*, libr. II, c. 1, et 2, ed. Olivet. De hoc opere, quod Cicero, dum adhuc iuvenis esset, scripsit, legesis Schutz, *Ciceronis opera rethorica*, Prooemium, t. I, p. 64 sqq, Lipsiae 1804-1808.

[2]) Id perspicere licet vel ex uno libro, quem Fridericus Gedike evulgavit hoc titulo: *M. Tullii Ciceronis historia philosophiae antiquae* — Ex omnibus illius scriptis collegit, disposuit, aliorumque auctorum et latinorum et graecorum locis illustravit, et amplificavit D. Frid. Gedike, ed. 3, Berolini 1815. Consulere iuvabit, praeter scriptores saec. XVII, et XVIII, Carolum Van Heusdeum, et Bauhmauerum, *Opp. citt.*, necnon Boeles, Diatr. *De hom. immortalitate, praesertim apud Ciceronem*, Groningae 1843.

[3]) Fuere praecipue in saec. proxime elapso, qui auctoritatem Ciceronis in historia philosophiae valde deprimerent. Ast illis respondit doctissimus Meiners in oratione latina: *De philosophia Ciceronis, eiusque in universam philosophiam meritis*, quam evulgavit in suis *Miscell. phil. script.* (germ., t. I, p. 274 sqq, Lipsiae 1775, et 1776), cum eoque consensit laudatus Gedike (in *Op. cit.*, Praef., p. VII). Schleiermacherus pugnam adversus Ciceronem instauravit (*Critica systematum de moribus germ.*, passim, Berol. 1803); sed Ciceronem defenderunt prae caeteris Kukenerus (*M. Tullii Ciceronis in philosophiam, eiusque partes merita*, Hamburgi 1825), et, qui nonnulla vitia ab hoc ipso Ciceroni obiecta redarguit, Beier (*Iahnii Annal. Philolog.*, vol. I, fasc. 2, p. 238 sqq, an. 1826). Hisce plausit Christ. Petersen in opere, quod saepe laudavimus (*Philos. Chrysip. fundam.*, Praef., p. XI, et XII). Nuper Ritter, et Preller Ciceronem *inter secundarios philosophiae fontes* habendum esse scripserunt in *Hist. phil. graec. et rom.*, Praef., p. III et IV, ed. cit.

Quod de Ciceronе tulimus iudicium, de caeteris romanis philosophis ferendum est, eodem Van Heusdeo auctore, qui, postquam hac de re Aristotelem, et Ciceronem laudavit, illico subdit: « Quod universe dici de « Romanorum philosophis potest. Nomen illi quidem a « sectis habuerunt. Vocati alii Academici, alii Stoici, « alii Epicuraei, alii alio sectarum nomine sunt, nec ta- « men ita totos se singulari cuidam philosophandi for- « mulae dederunt, ut huius coacti terminis, in alias « non excurrerent, indeque proficere cuperent [1] ». Id vero non de Philosophis tantum, sed de ingenuarum quoque artium cultoribus obtinuit. Horum omnium instar esse potest Quintilianus, qui in historia scientiarum, et artium in primis peritum se praebuit, atque ad illius studium commendandum sententiam Aristotelis fere iisdem eius verbis repetivit. « Nec enim, ait, artibus « editis factum est, ut argumenta inveniremus: sed « dicta sunt omnia, antequam praeciperemus: mox « ea scriptores observata et collecta ediderunt. Cuius « rei probatio est, quod exemplis eorum veteribus « utuntur, et ab oratoribus illa repetunt: ipsi nullum « novum, et quod dictum non sit, inveniunt. Artifices « ergo illi, qui dixerunt: sed habenda iis quoque gra- « tia est, per quos labor nobis detractus est. Nam « quae priores beneficio ingenii singula invenerunt, « nobis et non sunt requirenda, et nota omnia [2] ».

Quanta autem animi contentione Clemens Alex., Origenes, caeterique ss. Patres non solum doctrinas suorum maiorum, sed etiam historiam universae sapientiae ethnicae excoluerint, quantoque in pretio ipsam habuerint, ex iis, quae in *Introd. in univers. philos.* diximus, satis intelligi potest. Inde factum est, ut innumera, ponderosaque illorum volumina multiplici litterarum, scientiarumque humanarum eruditione abundarent, propter quam

[1]) *Characterismi Phil. Vett.*, p. 285, ed. cit.
[2]) *Inst. Orat.*, lib. V, c. 10, ed. cit.

non ultimus, si non primus, praecipuusque, fons historiae antiquae sapientiae merito habentur.

Eidem methodo Doctores mediae aetatis, quantum aetas illa sinebat, institisse is tantum ignorare potest, qui eorum opera nunquam prae manibus habuit. Vnde desipere nobis visus est Vinc. Gioberti, quod Scholasticis modo ignorantiam, modo neglectum *scientificae traditionis* exprobravit, eosque una philosophia arabico-aristotelica contentos studium ceterarum despexisse dixit [1]. Doctores quidem mediae aetatis placita antiquorum philosophorum ex propriis fontibus non semper haurire potuerunt, quia magna horum parte, quemadmodum in *Introd.* quoque ostendimus, carebant. At procul dubio scite noverunt tum traditionem philosophiae christianae, quam ex lectione ss. Patrum addiscebant, tum traditionem philosophiae ethnicae, quae illis ab iisdem Patribus, atque ab Aristotele, Arabumque in eum commentariis abunde suppetebat. Et sane, ipsi utriusque traditionis, nempe christianae, ac ethnicae, sese eruditos praebent, quippe qui in suis operibus et doctrinas ss. Patrum exponunt, tuenturque, et cuncta placita Philosophorum, vestigiis Aristotelis, ac ss. Patrum insistentes, expendunt. Vt nonnullos, e. g., nominemus, Alberti M. [2],

[1]) *Introd.* etc. lib.I, c. 3, t. I, p. 335, et 343, Brusselle 1840.

[2]) De praecipuis fontibus ex quibus Albertus M. suas doctrinas hausit, legesis Ioach. Sighart, *Albert le Grand, sa vie, et sa science*, trad. de l'allem., c.39, p.585, Paris 1862. Id recentes praecipue adnotarunt de scientia plantarum, ut videre licet apud Meyer (*Albertus M., seu Appendix ad historiam scientiae botanicae* (germ.) *Linnaea Schlechtendal*, vol. X, p.641-741, Halis 1836), et de scientia animalium, seu zoologia, de qua egregie meritus est, uti Buhle (*De fontibus, unde Albertus Mag. libris XXVI animalium materiam hauserit*, inter *Commentt. Soc. Reg. Gotting.*, vol. XII, p.94-115, Gottingae 1793, et 1794), et Sighart (*Op. cit.*, c. cit., p.551 sqq). Studium ethnicorum veterum scriptorum adeo vehemens in eo fuit, ut in falsam suspicionem obscurata theologicae puritatis inciderit; qua de re vid. Henricum Gandav., *De scriptoribus Eccles.*, c. 43, apud Fabric., *Biblioth. Ecclesiast.* p. 135, Hamburg. 1718, et apud Huet, *Recherches hist., et crit. sur la vie, les oeuvres, et la doctrine de*

s. Thomae [1], et Vincentii Bellovacensis [2] eruditionem, uberemque librorum lectionem non modo Scholastici

---

Henri de Gand, p. 85, Gand 1838, et *Chronic.* Langii, ad an. 1258, apud Tennemann, *Hist. phil.*, vol. VIII, p. 488, ed. cit.

[1]) Ne in re omnibus nota diu immoremur, satis est commemorare nuperum Carol. Jourdain, *La Filosofia di san Tommaso di Aquino*, trad. dal franc., sez. I, n. III, t. I, p. 60 sq, et sez. III, c. 7, t. I, p. 325, Firenze 1859.

[2]) De hoc Ioannes Trithemius ita scripsit: « Vincentius Gallus, natione Burgundus, Ordinis Praedicatorum, dictus *Belluacensis*, vir « in divinis litteris studiosus et exercitatus, ac veterum lectione dives, « ingenio subtilis et sermone compositus, tantum litteris studium adhibuit, ut nullis unquam laboribus, vigiliis, vel occupationibus ab « eorum cultura potuerit evocari, ut aut legeret, scriberet, vel praedicaret. Tantus itaque fuit, ut post se nec habuerit parem, si ardua « quae scripsit opuscula ex multis laboriose collecta, aequa lance « cum caeteris ponderemus. Nam, petente et sumptus ministrante rege « Francorum, grande et admirabile opus Speculorum de omni, ut ita « dixerim, re scibili in multis voluminibus, maximis laboribus comportavit » (*De Scriptoribus eccles.* c. 457, in *Bibbl. eccl.* Fabricii, p. 111, ed. cit.). « Eius, scribit Marhofius, extant quatuor specula, videlicet Doctrinale, Naturale, Morale, et Historiale. Vasti illi libri sunt, « et non contemnenda diligentia congesti. . . Sub Doctrinali Speculo comprehendit dogmata Metaphysica, Logica, Theologica: Sub « Speculo Naturali comprehendit Physica, et Mathematica: totum « pene Plinium excripsit, et omnes Auctores Geoponicos: In Speculo « Historiali incipit historias ab initio mundi usque ad annum 1244... « In Speculo Morali habentur omnes illae materiae, quae ad philosophiam moralem, et civilem spectant » (*Polyhistor. literarius*, lib. I, c. 21, § 22, t. I, p. 241, Lubecae 1747). Edita haec sunt primo Argentorati 1473, 10 vol. in fol., deinde Duaci 1624, 4 vol. in fol. Iac. Echardus (*Dissert. de scriptis Vincentii Bellovacensis*, Parisiis 1708), quem omnes eruditi secuti sunt, luculenter probavit *Speculum morale* non esse genuinum foetum Vincentii, sed opus ex *Summa* s. Thomae, aliisque scriptis saec. XIV compilatum. Bruckerus, iudex certe non suspectus, praeter alia, de Vincentio Bellovacensi haec habet: « Qui regia munificentia excitatus, et, quod verisimile est, veterum « Isidori, Cassiodori, Martiani Capellae, similiumque exemplis incitatus, quamdam artium, et scientiarum encyclopaediam suo saeculo dare constituit: quod eo tempore satis magnos conatus poscebat ». Subdit, eum, quamvis aliorum meditationes, ut in *Prologo* candide professus est, referat, tamen de orbe literario bene meruisse. « Multa enim continent haec Specula alibi nusquam obvia,

sequentium aetatum egregie praedicarunt, sed non pauci hodierni, scientiarum peritissimi, valde admirantur. Quare ex animo plaudimus nuperrimo Galliae scriptori, quod Giobertio, et nonnullis concivibus suis [1] obsistens, ingenue asseruit nec Patribus, nec magnis Doctoribus Scholae defuisse intimam cognitionem, vel, si mavis dicere, venerationem traditionis philosophicae, quae Cartesio defuit [2].

Ad recentis aetatis Philosophos progredientibus primi nobis obviam fiunt iidem Brunus, et Baco, quos, cum de usu dubitationis egimus, nacti sumus. Re vera, Brunus sanxit « philosophum debere de omni re, quam quaerit, contrarias opiniones nosse [3] », et « Platone, ac « Aristotele quam familiarissime uti [4] ». Baco autem, quamvis omnes philosophos usque ad suam aetatem *Organo* ad verum assequendum opportuno caruisse autumaret, atque « opus menti universum de integro resumere [5] » sibi proponeret, nihilominus cognitionem historiae scientiarum valde utilem esse investigatoribus rerum dixit. « Quod, ait, ad placita antiquorum Philosophorum, qualia fuerunt Pythagorae, Philolai, Xenophanis, Anaxagorae, Parmenidis, Leucippi, Democriti, aliorum (quae homines contemptim percurrere solent), non abs re fuerit paulo modestius in ea oculos « coniicere » ; et paulo post : « Iis qui non regnum, « aut magisterium, sed veritatis inquisitionem, aut illustrationem sibi proponunt, non potest non videri « res utilis diversas diversorum circa rerum naturas o-

« eo quod interdum libros legit, et excerpsit, quos hodie non habe« mus »; *Hist. crit.*, Period. II, lib. II, c. 3, sect. 2, t. III, p. 784, ed. cit.

[1]) Piget nos inter istos nominare Barth. Saint-Hilaire, *Op. cit.*, Prèf., p. LXXVI, ubi Scholasticos historia caruisse autumant.

[2]) Lescoeur, *Essai phil. sur le traité* de Deo *du P. Thomassin*, Introd. p. 4, Paris 1852.

[3]) *Opp. ital.*, t. II, p. 11, ed. Vagner, Leipzig 1830.

[4]) *Opp. ital.*, t. II, p. 249; cf p. 172, et passim.

[5]) *Nov. Org.*, Praef., ed. cit.

« piniones sub uno aspectu intueri . . . Iuvabit Phi-
« losophias discrepantes velut diversas *Naturae Glos-*
« *sas*, quarum una fortasse uno loco, alia alio est, e-
« mendatius perlegere [1] ». Neque ad cuiuslibet scientiae assecutionem historiam eiusdem scientiae utilem esse negarunt illi ipsi professores humanarum litterarum, qui, ut saepe innuimus, Scholasticae acerrimum bellum indixerunt. Namque hi, si Aristotelem a Scholasticis, quemadmodum autumabant, depravatum oppugnarunt, totam antiquitatem minime repudiarunt, sed ab aliis eorum Parmenides, ab aliis Plato, ab aliis verus, quem dicebant, Aristoteles, ab aliis alius antiquus philosophus laudatus, ab aliis denique omnes aeque adhibiti, iudicioque suo subiecti.

Cartesius, omnium primus, cum veluti novae philosophiae conditor in medium prosiliisset, data opera decrevit historiam sive scientiarum, sive litterarum non modo inutilem, sed noxiam quoque illis fore, qui quidquam in scientiarum studiis proficere velint. Ipse se hanc methodum sectatum fuisse non semel lectores monuit. « Quapropter, inquit, ubi primum mihi licuit per aeta-
« tem e praeceptorum custodia exire, litterarum stu-
« dia prorsus reliqui : Captoque consilio nullam in po-
« sterum quaerendi scientiam, nisi vel quam in me
« ipso, vel in vasto mundi volumine possem reperi-
« re, insequentes aliquot annos variis peregrinationi-
« bus impendi [2] ». Et non multo post : « Nunquam
« ulterius mea cogitatio provecta est, quam ut proprias
« cogitationes emendare conarer, atque in fundo, qui
« totus meus est, aedificarem [3] ». Hanc, quam ipse tenuit methodum, omnibus utilem fore pronuntiavit. « Vnde, subdit, concludendum est eos, qui quam mini-
« mum didicerunt illorum omnium, quae hactenus no-
« mine philosophiae insigniri solent, ad verum perci-

---

[1]) *De augm. scient.*, lib. III, c. 3, p. 190, et 191, ed. cit.
[2]) *De Meth.*, § 1, p. 6, ed. cit.—[3]) *Op. cit.*, § 2, p. 9.

« piendum quam maxime idoneos esse [1] ». A pluribus locis congerendis supersedemus, quia contemptum historiae ex ipsa philosophandi methodo cartesiana exurgere nemo est, qui non videt. Et sane, Cartesius, eo ipso, quod iussit utiliter philosophari volenti omnes, quocumque ex fonte hauserit, doctrinas pro dubiis, immo pro falsis habendas esse, ei, qui aliquam scientiam addiscere aggreditur, eius historiam noxiam esse decrevit [2].

Tacendum tamen non est hanc sententiam Cartesii fortasse neminem melius, quam ipsum Cartesium, exemplo suo refutasse. Nam, ne de Huetio [3], et Vico [4], aliisque [5] manifestissimis adversariis philosophiae cartesianae dicamus, Leibnitius merito advertit Cartesium multorum librorum lectioni vacasse, eumque, veluti ingeniosam apem, non solum ex antiquis, uti Platone, Aristotele, Stoicis, ipsisque Democrito, et Leucippo, sed etiam ex Patribus et Scholasticis, quin immo ex recentibus, uti e Bruno, placita sua corrasisse [6]. Ipse

---

[1]) *Epist. ad Princip. phil. interpretem gallicum*, quae veluti praefatio versioni *Principiorum* praemittitur, *Opp.* t. I, ed. cit.

[2]) Vid. p. 207.

[3]) Isaac Vossius in *Epist. ad Huetium* (an. MDCLIX) conquestus est Cartesium ne semel quidem in suis operibus reminisci illorum, quos prae reliquis exscripsit (vid. *Dissert. sur différ. sujets*, recueillies par l' ab. de Tilladet, t. I, Paris 1720). Fortasse haec Vossii epistola in causa fuit, quamobrem Huetius triginta post annis *Censuram philosophiae cartesianae* exararet, in cuius postremo capite (c. VIII, § 8, p. 244-263, ed. cit.) asseruit *nihil Cartesium fere attulisse novi*, et indigitavit *fontes*, *unde latifundia sua irrigavit*. Cons. Christ. Bartholmèss, *Huet, ou Le scepticisme théologique*, n. II, p. 9 sqq, Paris 1850.

[4]) Loca, in quibus iudicium de Cartesio tulit, paulo post citabimus.

[5]) Longum, et fastidiosum foret omnes numerare. Illud dumtaxat monendum censemus non solum adversarios, sed quosdam quoque sectatores Cartesii in hoc opere adlaborasse; illos quidem, ut eius superbiam, atque affectatam antiquitatis inscitiam retunderent, hos vero, ut eius philosophiam a nota novitatis, quam multi ipsi inurebant, purgarent.

[6]) « Fuit, ipse inquit, in Cartesio maior librorum usus, quam

questus etiam est « Cartesium anxie adlaborasse, ut se « aliorum inventis uti occultaret [1] », et quod Baco iniuria Aristoteli [2], iure Cartesio obiecit, eum tyrrannidem in imperio philosophico exercere voluisse, ut conditor novae sectae salutaretur [3]. Hoc ipsemet Cartesius sui oblitus non semel inculcavit. « Nec contentus scien-

---

« ipse videri volebat. Dogmata eius metaphysica, velut circa ideas « a sensibus remotas, et animae distinctionem a corpore, et fluxam « per se materialium rerum fidem, prorsus Platonia sunt. Argumen« tum pro existentia Dei ex eo quod ens perfectissimum, vel quo « maius intelligi non potest, existentiam includit, fuit Anselmi, et in « libro contra insipientem inscripto, inter eius extat opera, passimque « a Scholasticis examinatur. In doctrina de continuo, pleno, et loco « Aristotelem noster est secutus, Stoicosque in morali penitus ex« pressit, Floriferis ut apes in saltibus omnia libans. In explicatione « rerum physicarum mechanica Leucippum et Democritum praeeun« tes habuit, qui et vortices ipsos iam docuerant. Iordanus Brunus « easdem fere de magnitudine universi ideas habuisse dicitur » (*Notata quaedam circa vitam et doctrinam Cartesii*, *Opp. omnia*, ed. Dutens, t. V, pars II, p. 393, Genevae 1768). In *Epist. ad Nicasium* « Cartesium magnam, melioremque partem suae philosophiae « ab antiquitate hausisse » scripsit (*Épître à Mr. l' ab. Nicaise*, p. 120, *Opp. phil.* ed. Erdm.). In *Epist.* autem *ad Pellissonum* asseruit « Cartesium fuisse valde eruditum, et plura legisse, quam secta« tores eius comminiscuntur » (*Épître à Mr. Pellisson*, *Opp.* ed. Dutens, t. I, pars III, p. 731). Huetius ad Nicasium scripsit Leibnitium ei pollicitum esse *catalogum furtorum Cartesii*; qua de re vid. *Lettre d' Huet à Mr. Nicaise*, 19 avril 1697, apud Cousin, *Fragm. phil.*, *Oeuvr. phil.*, ser. 3, t. III, p. 149, ed. cit., nec non ipsum Leibnitium, *Epist.* VI *ad Dan. Huet.*, *Epist.* t. V, pars II, p. 462, et 463, et *Épître à Nicaise*, tom. et part. citt., p. 547.

[1]) *Réponse aux Réflexions touchant les conséquences de quelques endroits de la philosophie de Descartes*, *Opp. phil.*, p. 142, ed. Erdm.

[2]) Vid. p. 243.

[3]) « Optarim enim, inquit, viros insignes spem inanem arripien« dae tyrannidis in imperio philosophico deponere, et sectae con« dendae ambitionem exuere; unde inepta partium studia, et bella « litteraria vanissima nasci solent magno scientiae, et pretiosi tem« poris detrimento » (*Notata quaedam* etc., p. 395). Hoc iudicium Lebnitii nuper comprobavit Foucher de Careil, *Nouvelles lettres*, *et opuscules de Leibniz*, Introd., p. CLIII, Paris 1857.

« tiis, quas docebamur, libros de quibuslibet aliis magis « curiosis , atque a vulgo remotis tractantes , quotquot « in manus meas inciderant, evolveram »; et paulo inferius : « Non tamen idcirco studia omnia quibus o- « peram dederam , negligebam ; fatebar enim linguarum « peritiam, quae ibi adquiritur etc. »; unde concludit: « Omnem denique bonorum librorum lectionem eodem « fere modo nobis prodesse, ac si familiari colloquio prae- « stantissimorum totius antiquitatis ingeniorum, quorum « illi monumenta sunt, uteremur, et quidem colloquio ita « praemeditato , ut nonnisi optimas , et selectissimas « quasque ex suis cogitationibus nobis declarent [1] ». Alias scripsit se in principiis statuendis a communi Philosophorum consensione haud discedere. « Nam, inquit, « quantum ad principia , ea tantum admitto , quae o- « mnibus omnino Philosophis hactenus communia fue- « re, suntque idcirco omnium antiquissima [2] ».

---

[1]) *De meth.*, § 1, p. 3, et 4, ed. cit.

[2]) *Epist. ad P. Dinetum*, Append. *ad Obb.* 7, *Opp.* vol. IV, p. 152, ed. cit. Cf *Respp. ad Obb.* 7, vol. cit., p. 85. Cum Cartesius ita de suis studiis loquatur, vides 1° Voltairium mentitum esse, cum scripsit Cartesium nullum librum, ne ethicam quidem Evangelii, legisse (*Des systèmes, et des cabales*, apud Bouillier, *Op. cit.*, c. 2, t. I, p. 39); 2° Cartesii discipulos magistro suo contradixisse, quod eius merita extollere volentes totam antiquitatem despiciebant. Audiatur Schotanus, qui Huetio asserenti Cartesium *nihil fere novi attulisse* (*Cens. phil. cart.*, c. 8, § 7, p. 238, ed. cit.), haec, praeter alia, respondit: « in sapientissimorum enim, veterum « scriptis methodus obscura, confusa, salebrosa, hiulca, et male co- « haerens; desunt in iis demonstrationes solidam evidentem et infal- « libilem scientiam parientes, sed opiniones tantummodo extant pro- « babiles; adeo ut si totum ipsorum philosophematum corpus in ge- « nere spectes, iure dicas in eis nihil sani, nihil solide veri esse, sed « omnia ambigua et perpetuis obnoxia dissidiis »; *Op. cit.*, c. 8, art. 8, p. 424, ed. cit. Longe aliter, ac iste, aliique cartesiani, summus Leibnitius sensit, qui in *Epist. ad P. Bouvetum* ita scripsit: « Comperio multos gnavos viros in ea sententia versari, quod *Philo- « sophia Scholarum* sit eliminanda, atque in eius locum sufficienda « alia, quae ab ea omnino differat, et horum plerosque pro *Cartesia- « na* stare. Mihi, cunctis probe perpensis, exploratum est Philoso-

Sed Cartesii potius praeceptum, quam exemplum, obtinuit, pervagatumque fuit. Vnde factum est, ut scientiarum cultores vel studium antiquitatis negligerent, vel ignorantiam eius affectarent, et sese inventores iactarent multorum, quae antiquis omnino explorata fuerant. Contra perversam hanc, et scientiis valde nocentem consuetudinem nonnulli docti viri insurrexerunt, inter quos nominare lubet pro Germanis Leibnitium, pro Gallis Huetium, et pro Italis Vicum.

Leibnitius praeter ante dicta [1], Cartesianos, qui *Censuram* Huetii ab eo laudatam esse querebantur, hortatus est, ut « consiliis Episcopi Abrincensis morem « gererent, studium partium, quod progressui scientia- « rum valde officit, desererent, una cum praeclaris « libris Cartesii nonnullos alios libros summorum viro- « rum veterum, et recentium legerent, et antiquitatem, « a qua Cartesius maiorem, melioremque partem cogita- « torum suorum hausit, minime despicerent [2] ». Immo Cartesianis obiecit, quod eorum magister, et dux magnam, melioremque partem suorum cogitatorum ab antiquis hausit, sed multa, eaque egregia, quae apud illos sunt, non advertit [3]. Arbitratus vero est, si ea omnia, quae ab antiquis disputata sunt, colligerentur, procul dubio fore, ut *perennis quaedam Philosophia* existeret, et quid Orientales, quid Graeci, quid ss. Patres, quid denique Scholastici ad illam contulerint, brevissime significavit [4]. Studium vero antiquae philosophiae non modo verbis

---

« phiam veterum esse solidam, et philosophia recentium utendum « nobis esse, non ut illa destruatur, sed ut augeatur »; *Lettre au Père Bouvet*, *Opp.* ed. Erdm., p. 146.

[1]) Vid. loca, quae citavimus p. 256, et not. praeced.

[2]) *Lettre à M.r Nicaise*, *Opp. phil.*, ed. cit., p. 120.

[3]) « Legamus Cartesium, laudemus etiam; imo admiremur, sed « non ideo reliquos negligamus, apud quos multa, et magna extant, « quae Cartesius non animadvertit »; *Notata quaedam* etc., *Opp.* ed. Dutens, t. cit., p 395.

[4]) *Trois Lettres à M.r Remond de Montmort*, Lettr. 3, *Opp. phil.* ed. Erdm., p. 704.

commendavit, sed etiam exemplo suo promovere conatus est. Namque ipse, uti nuperus Scriptor ait, « auctoritatem « Scholasticae, et antiquitatis, quam Cartesiani intole- « rabili suo dogmatismo deprimebant, extulit, et phi- « losophiam, quam ipsi heri in lucem prodiisse reban- « tur, in cunctis aetatibus a Democrito ad Hobbesium, « atque a Parmenide ad Spinozam, iisdemque principiis, « et conclusionem stipatam inveniri ostendit . . . Hoc « pacto effecit, ut foecunda illa historiae disciplina, cuius « primus auctor Aristoteles fuerat [1], viginti post saecu- « lis in philosophorum existimationem rediret ».

Huetius Cartesianis vehementer succensuit, quod, simulatam inscitiam ducis sui pro vera habentes, cunctas divinas, humanasque cum scientias, tum litteras exulare ab hominum consortio iuberent. En e multis, acerbisque verbis pauca : « Hanc porro inscitiam non simu- « late, ut ipse, sed vere, assectatores eius plerique reti- « nuerunt. Mirari profecto subit exortos esse nuper « ex hac factione aliquos, qui, perversum illiteratorum « Epicuraeorum exemplum secuti, non elegantioribus « solum, sed reconditioribus quoque literis, praeterquam « si quas callere sibi visi sunt, bellum palam auderent « indicere », putarentque « exiguum fore damnum, si « igni absumatur quidquid uspiam Poëtarum, et Phi- « losophorum Ethnicorum est [2] ».

---

[1]) Alex. Bertereau, *Leibniz considerè comme historien de la philosophie*, p. 9, et 10, Paris 1843. Hic, perinde ac de Iacquesio diximus, iudicium Leibnitii de praecipuis sectis philosophiae exposuit, atque ad calcem omnia loca eius operum, quae ad historiam philosophiae pertinent indicavit.

[2]) *Censura phil. cartes.*, c. 8, art. 7, p. 238, et 239, ed. cit. Certe, hic contemptus antiquitatis ab ipso Cartesio repetendus est. Qui quidem cum putasset quemquam eo magis idoneum ad philosophandum esse, quo minus eorum cognoscit, quae ab aliis ante ipsum tradita sunt vid. (p. 254), cognitionem historiarum, litterarumque cum antiquarum, tum recentium supervacaneam esse cohaerenter dixit. Digna praesertim est, quae de hac re legatur eius *Inquisitio veritatis per lumen naturale* (*Ouevr. phil.*, ed. Garnier, t. III, p. 141 sqq, Paris 1835), ubi, praeter alia multa, ait: « sed persuasum etiam

Non seguiori impetu in Cartesium Vicus noster insurrexit. Hic gallicum philosophum acerrime accusavit, quod, cum professus esset quemquam posse suis vestigationibus scire quidquid scitum ab aliis est, ideoque lectionem librorum esse supervacaneam, in causa fuit quamobrem incauti iuvenes sine molesta multorum librorum lectione, et brevi tempore omnes scientias assequi posse confiderent. Iuvenes monuit, ne Cartesio de inscitia antiquitatis glorianti fidem adiungerent, quia ipse ob assiduam lectionem Platonis, Aristotelis, aliorumque summorum virorum veterum, et recentium, in omni genere philosophiae, atque in mathematicis disciplinis adprime eruditus evaserat [1].

Verum contemptus historiae scientiarum, hisce summis Viris, aliisque frustra reclamantibus, a Philosophis in dies magis, magisque promotus, atque inter scientiarum cultores pervagatus est. In Gallia Malebranchius, quem nuperi Ontologi veluti *scientificae*, ut aiunt, *traditionis* tenacem, immerito commendant, sanxit sententias antiquorum quaerendas esse in iis, quae ad fidem pertinent, non vero in iis, quae a ratione pendent. « Verum, scribit, observandum hic est in quaestionibus, « quae circa fidem moventur, eos non ineptire, qui disquirunt, quid de iis, exempli gratia, senserit D. Augustinus, aut alius Ecclesiae Pater . . . quia scilicet « res fidei non possumus assequi, nisi per traditionem, « ratione in iis caecutiente. . . At vero de rebus a ratione pendentibus res plane secus se habet, ut quid « de iis credere consentaneum sit, sciamus, veterum o-

« habeo . . . honesti viri officium non magis esse Graecum, vel latinum, quam Helvetium, aut Armoricum idioma callere, nec historiam Imperii Romano Germanici, quam vel minimi, qui reperiri « potest, status in Europa, et tantum oportere, ut otium suum honestis, et utilibus impendat, et memoriam nonnisi maxime necessariis impleat » (§ 16, p. 146). Nonnulla, quae ad hanc rem pertinent, inveniuntur apud Sorbière, *Sorberiana*, Tolosae 1694, et Baillet, *Vie de Descartes*, Paris 1691.

[1]) *Risposta al* Giornale *de' Letterati d' Italia*, art. X (t. VII, Venezia 1711), *Opp. lat.*, vol. I, p. 145, ed. cit.

« pinio nihil nostra interest » ». In Anglia Lockius, cum methodum cartesianam philosophandi secutus esset, nullam historiae rationem in suis de humano intellectu disquisitionibus habuit, multosque sui imitatores nactus est. Nec monitum consulendi discrepantes opiniones sapientum, veluti totidem *Glossas Naturae*, quod Baco tantopere inculcaverat, prohibere potuit, quominus contemptus historiae late propagaretur. Namque ipsemet Baco, quoniam opus mentis humanae *de integro* resumendum esse sancivit [2], atque experimenta quae ad rerum naturalium causas inveniendas sunt idonea, usque ad aetatem suam neglecta fuisse saepe scripsit [3], in causa fuit, cur non solum metaphysicae, sed etiam scientiarum naturalium cultores placita illorum, qui eis praecesserant, flocci facerent, atque historiam scientiarum negligerent. Certe, ii Philosophi, qui lockianam philosophiam vel cum Condillaco ad simpliciorem formam reducere, vel cum Reidio aliqua ex parte emendare conati sunt, historiam philosophiae in subsidium investigationum suarum minime usurparunt. Condillacus quidem non contemnendum *Tractatum systematum* exaravit, in quo nonnulla historiae philosophicae capita dilucide exposuit [4]; sed eum nihil adiumenti ex historia philosophiae in suis diversis libris haussisse nemo certe ignorat. Qui vero eius vestigia presserunt innumeri Sensistae, neglectum historiae scientiarum valde promoverunt. Reidius vero, recentis Scholae Scoticae auctor, quamvis scripsisset « perutilem fore ve- « ritatis studiosis cognitionem variarum sectarum, di- « versarumque rationum philosophandi », et valde optasset, ut accurata illarum historia scriberetur [5], studium

[1]) *De inquir. verit.*, lib. II, c 5, t. I, p. 137, ed. cit.; cf *Traité de morale*, c. 12, Paris 1684.

[2]) Vid. p. 253, et t. II, p. 332.

[3]) Vid. t. II, p. 337, not. 4 —[4])*Traité des systèmes*, Paris 1749.

[5]) *Essais sur les facult. intellect.*, Ess. VI, c.8, *Oeuvr.* ed. cit., t. V, p. 201. Cf *ibid.* c. 5, p. 70.

tamen veteris philosophiae omnino neglexit, praetereaque haud sibi constans universam historiam philosophiae non aliud, quam somnia, contradictiones, absurdaque continere dixit [1]. In Germania autem, hac postrema aetate, Kantius cunctas scholas philosophiae pauci duxit, quia in ipsis nonnisi fortuito aliquid veri occurrere putavit: hinc *Criticam rationis purae* composuit, in qua, Baconis exemplo, novum *Organum* intellectui humano praebuisse sibi adblanditus est [2].

Fortasse quispiam obiicere nobis posset non paucos, interea temporis, fuisse, qui in studium historiae scientiarum, praesertim philosophicarum, impense incumberent. Id certe non inficiamur; nam, ut de una historia philosophiae nonnihil dicamus, nos non fugit multos eruditos in cunctis Europae regionibus alios aliis Philosophorum sectis explorandis operam navasse, suisque

---

[1]) *Essais sur les facultés* etc., Prèf., *Oeuvr.* ed. cit., t. III, p. 10, Ess. I, c. 6, t. cit., p. 78, et 79, et Ess. II, c. 3, t. cit. p. 99. Reidius historiam philosophiae antiquae, ut inter recentes historicos convenit, fere ignoravit. Nobis lubet unum huius rei argumentum ab ipso Reidio petere. Hic enim in sua *Analysi logicae Aristotelis*, dum asseruit Aristotelem esse valde obscurum, quia ignorantiam suam ambiguis, barbarisque vocibus occultare studuit, eumque potius sophistae, quam philosophi partes egisse (c. I, sect. I, *Oeuvr.*, t. I, p. 122, et 123, ed. cit.), simul fassus est se *Organum* nec integrum lectitasse, nec semper intellexisse (vid. c. 3, sect. I, p. 152, et 153). Merito igitur eum, post Cousinium (*Cours d' histoire de la phil. moderne*, leç. XXI, *Oeuvr. phil.*, ser. 1, t. IV, p. 505-507), hac de re redarguit Saint-Hilaire, *De la log. d' Arist.*, part. II, sect. II, c. 12, t. II, p. 85, et part. III, sect. III, c. 12, t. cit., p. 288, et 289.

[2]) *Critique de la raison pure*, Prèf., p. 5 sqq, trad. de Jouffroy, ed. cit. Cons. Cousin, *Op. cit.*, leç. XXII, ser. I, t. IV, p. 505, et 506. Iure, meritoque comes de Maistre de Kantio ita scripsit: « Kantius « indulgere voluit acri, excludentique superbiae, quae nemini quid- « quam acceptum referre vult. Ipse per aenigmata, Pythonissae more, « allocutus nos est; nihil dicere, quemadmodum ceteri homines, « studuit, novam linguam invenit, voluitque non solum ut germa- « nicum sermonem, sed ut ipsum etiam *Kantium* disceremus »; *Examen de la philos. de Bacon*, c. I, t. I, p. 12, ed. cit.

elucubrationibus effecisse, ut primo Bruckerus [1], deinde Tiedemannus [2], et Tennemannus [3] longas, eruditasque historias philosophiae conscriberent, ac evulgarent. Sed iure, meritoque a Saint-Hilaireo observatum esse nobis videtur hasce historias potius eruditioni, quam incremento scientiae profuisse, quia Scholae Philosophorum, quas enumeravimus, nihil, vel parum ex illis in suarum disquisitionum commodum hauserunt [4]. Fatendum quidem est a Cartesii aetate plures extitisse philosophos in qualibet Europae regione cum catholicos, tum protestantes, qui non parum adiumenti ex studio historiae philosophiae in suis investigationibus perceperunt; verum, quoniam ipsi novarum sectarum conditores videri noluerunt, sed quas tuebantur opiniones, primis illarum auctoribus acceptas referebant, eorum nullam, aut satis levem mentionem historia fecit. Inter nostrates, praeter Vicum, quem ante laudavimus, hac ex parte, commemorandus in primis est Antonius Genuensis. Hic enim, iudice Degerando, « hanc philosophandi ratio-« nem sequitur, ut opiniones politiorum quorumque « philosophorum veterum, et recentium secum compa-

---

[1]) Bruckerus *Historiam criticam philosophiae* primum evulgavit Lipsiae an. 1742-1744, eamque rursus in eodem loco an. 1764, et 1767, addito sexto volumine, cui hanc epigraphen adlevit: *Appendix accessiones, observationes, emendationes, illustrationes, atque supplementa exhibens.* Haec prima fuit integra, et copiosa historia philosophiae, quae in lucem prodiit. Namque inter veteres Laertius potius vitas Philosophorum, quam historiam philosophiae scripsit, et ceteri, in primisque Aristoteles, multa de veterum Philosophorum opinionibus nobis tradidere; sed nullus horum opus nobis reliquit, quod nomen historiae philosophiae meretur. Inter recentes Stanleyus unas scholas, sectasque philosophiae veteris exposuit in sua *Historia philosophiae*, quae primo anglice vulgata est Londini 1659 et 1660, dein latine reddita Lipsiae 1701, et quae ante Bruckerum in luce prodierunt compendia Hornii, Reinhartii, Garvii, Heinsii, aliorumque, manca, et nimis brevia sunt.

[2]) *Spiritus phil. specul.* (germ.), 6 vol. in 8°, Marburgi 1787-1797.

[3]) *Historia philosophiae* (germ.), 12 vol. in 8°, Lipsiae 1798-1819.

[4]) *Opuscules d' Arist.* etc., Prèf., p. LXXVI, ed. cit.

« ret , atque ex illarum comparatione sententiam suam « eliciat [1] ». Idem Degerandus ingenue asseruit: « Ge- « nuensem universam encyclopaediam scientiarum phi- « losophicarum callere , eumque longe eruditiorem esse « ipso Gassendio, quippe quod philosophiam quoque Pa- « trum, et Scholasticorum complectitur [2] ».

Sed, hoc ineunte saeculo, nova de historia philosophiae opinio ex Schellinghii, atque Heghelii placitis profecta est, eaque praesertim in Gallia, Cousinii opera , percrebuit. Schellinghius, ut non semel innuimus, docuit, quidquid est, esse Deum, sive, ut ait, *Absolutum*, quod sub formis *materiae*, et *spiritus* sese manifestat, et Heghelius voluit, quidquid est, esse *Ideam*, quae, prout est in se, est *Ens*, prout se extra se proiicit, est *Natura*, et, prout ad se revertitur, est *Spiritus*. Quocirca philosophia, ut in *Introd.* diximus [3], secundum Schellinghium, est scientia *Absoluti*, prout se ipsum manifestat, et, secundum Heghelium, est scientia *Ideae* se ipsam per tria momenta evolventis. Iamvero, si hae sunt notiones philosophiae, quas Schellinghius, et Heghelius tradidere, liquet historiam philosophiae, illius sententia, non aliam esse oportere, quam quae manifestationes Absoluti enarrat, atque, huius sententia, non esse aliam, quam quae evolutionem Ideae per tria momenta exponit. Hinc , secundum horum duorum Philosophorum principia, historia philosophiae est ipsissima philosophia , quippe quod quisquis manifestationes Absoluti , vel evolutionem Ideae per tria momenta

---

[1]) *Hist. comp. des systèmes de phil.*, part. 2, *Hist. de la phil. modern.*, c. XXIII, t. IV, p. 161, Paris 1847.

[2]) *Op. cit.*, part., et c. citt., p. 160. Ipse asseruit quoque « Ge- « nuensem primum omnium extitisse, qui nobilium philosophorum « Angliae, et Germaniae notitiam in Italia evulgaret (p.160) », addiditque « eum scitum iudicium tulisse de Tschirnhausen, Thoma- « sio, Wolfio, Rudigero, aliisque philosophis Germaniae, qui tunc « temporis in Gallia, ac in Italia fere ignorabantur »; p. 161.

[3]) P. 147.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

novit, simul philosophiam, et historiam philosophiae cognoscit [1].

Iamvero, hanc de historia philosophiae opinionem Cousinius, ex quo tempore in Philosophorum Germaniae castris stipendia mereri coepit, amplexatus est, illamque exponere studuit hunc in modum: Quoniam philosophia est evolutio elementorum rationis humanae, historia philosophiae non aliud, quam modum, quo ratio elementa sua evolvit, exponere debet. Modus autem, quo ratio elementa sua evolvit, naturae ipsius rationis consentaneus sit oportet, quia omnis res non alio modo evolvi potest, quam quem natura eius expostulat. Ergo historia philosophiae non aliud exhibere potest, quam quod ipsa philosophia continet. Quamobrem « philosophiam unum, idemque cum historia sua efficere « tenendum est [2] ». Praeterea, cum historia generis humani circa naturam humanam, veluti obiectum suum, versetur, evidens quoque est historiam generis humani non alia elementa complecti, quam quae philosophia, eiusque historia complectuntur: ex quo philosophiam non solum cum historia sui propria, sed etiam cum historia universali confundi facile perspicitur [3]. Quod si philosophia, ac historia philosophiae unum, idemque sunt cum historia universali, consequens est eum, qui conscientiam sui attente consulit, historiam generis humani in se deprehendere, et vicissim eum, qui historiam generis humani pervolutat, conscientiae suae facta in ea simul cognoscere [4].

---

[1]) Vid. Schelling, *Ephem. physicae specul.*(germ.), vol.II, fasc.I, Tubing. 1803, et Hegel, *Lect. hist. phil.* (germ.), *Opp.* vol. IX, p. 11-13, Berol. 1832 1845. Quomodo haec sententia Schellinghii, ac Heghelii e placitis Ioan. Bapt. Vici de notione historiae derivata sit, ostendimus in Ephem. *La Scienza e la Fede*,vol.XXIX, p.107-112, Napoli 1855.

[2]) *Fragm. de phil. modern.*, Prèf. de la 1e ed., *Oeuvr. phil.*, ser. 3, t. IV, et *Introd. à l' hist. de la phil.*, leç. IV, *Oeuvr. phil.*, ser. 2, t. I, p. 77.

[3]) *Ibid.*, leç. III, et leç. IV, p. 74, et 75. [4]) *Ibid.*, leç. IV, p. 76.

Inter huius cousinianae sententiae assertores Iaquesius, et Bertereavius numerandi sunt, quorum ille Aristotelem, atque hic Leibnitium ipsius auctorem fuisse contenderunt. Et sane, Aristoteles, Iaquesii iudicio, docuit 1° historiam nec plura, nec pauciora elementa complecti, quam quae conscientia cuilibet manifestat, eaque eodem ordine exhibere, quo in cuiuslibet conscientia sibi succedunt; 2° cum singula systemata philosophiae, quippe quae aliquod illorum elementorum complectuntur, sint totidem particulae veritatis, non aliud ad veram philosophiam conficiendam expostulari, nisi ut elementa veri, quae historia, et conscientia exhibent, enumerentur, atque inter sese colligentur [1]. Idem fere de Leibnitio Bertereavius asseruit, hac ratione permotus quod praeclarissimus ille Philosophus censuit mentem humanam in tempore, et spatio varia systemata, variasque scholas condere, ex quibus *perennis quaedam philosophia* efficitur [2].

At, quamvis haec opinio Schellinghii, Heghelii, et Cousinii, ut paulo inferius ostendemus, falsa sit; nihilominus ipsa, quia utilitatem historiae scientiarum exaggerat, eruditorum animos ad historica scientiarum, et praesertim philosophiae monumenta iam comperta investiganda, novaque e bibliothecis, in quibus diu latuerant, eruenda, atque utraque locupletissimis commentariis illustranda convertit. Quod ad historiam philosophiae attinet, opera, commentationes, variaeque molis opuscula adeo multa postremis hisce annis in Germania, ac in Batavia evulgata sunt, ut ea vel tantum numerare perlongum, molestumque esset. In Gallia Cousinius, post Degerandum, historiam philosophiae vehementer excoluit, exemploque suo effecit, ut quam plurimi non qui-

[1]) *Op. cit.*, p. 10-59.

[2]) Vid. Bertereau, *Op. cit.*, p. 15-19. Leibnitius locutionem *perennis philosophiae*, quam, ut vidimus (p. 258), in *Epist. ad Raym. de Montmort* adhibuit, ab August. Steucho Eugubino mutuatus est, qui decem libros evulgavit *De perenni philosophia*, Basileae 1542.

dem universam historiam philosophiae, sed vel aliquam huius aetatem, vel aliquam sectam, seu scholam, vel alicuius nobiliorem Philosophorum vitam, et placita enarrarent. In Anglia, atque in Italia, si segnius[1], ac remissius historiae philosophiae studium fuit, certe non pauci illam excoluerunt, atque ad investigationum suarum commodum usurparunt. Re vera, in Anglia Hamiltonus disquisitiones de philosophia antiqua instauravit, tum quod multa ad ipsam pertinentia in *Fragmentis*, et *Disquisitionibus philosophiae* saepe laudatis tractavit, tum quod in nova, quam adornavit, *Operum* Reidii editione tractatum Aristotelis *De Anima* evulgavit, suisque adnotationibus auxit. In Italia autem Galluppius noster multos quidem sui cursus philosophici annos in unis praecipuis philosophiae scholis, quae a Cartesio profectae, et usque ad Kantium propagatae sunt, perscrutandis, diiudicandisque impendit, sed, cum ad finem aetatis suae vergeret, antiquae philosophiae voluminibus rimandis anxie incubuit, atque cum in secunda parte suae *Comment. De idealismo Fichtei*, tum in sua *Historia philosophiae*, cuius primum volumen evulgavit, tum denique in *Theodicea veterum Philosophorum* nonnihil de historia philosophiae vetustae meritus est [1]. Giobertius vero *traditionem*, ut ait, *philosophicam* a Cartesio, eiusque innumeris discipulis resumere studuit, resumendamque omnibus qui utiliter philosophari volunt, esse saepe, et vehementer praecepit. Dolendum tamen est eum placita non solum ethnicae, sed christianae quoque philosophiae saepe pervertisse, adeo ut *traditione philosophica* non ad verum facilius, tutiusque investigandum, sed ad immanes errores, quos, praesertim in *Protologia*, aliisque suis operibus posthumis, defendit, summorum Virorum auctoritate comprobandos abusus sit. Longe

[1]) De scriptis huius praeclarissimi nostratis Philosophi videsis ea quae diximus in Ephem. *La Scienza e la Fede*, vol. XIII, p. 126-139, Napoli 1847.

maior laus hac de re Rosminio danda est; hic enim in historiis scientiarum, quas tractavit, adprime eruditum se praebet; licet sententias scriptorum ad suae philosophiae placita fulcienda non raro detorqueat. Alios multos, qui in historia philosophiae, praesertim Scholasticae, illustranda, paucis abhinc annis, laborant, praeterimus, quia eorum mentionum in *Introductione* fecimus. Horum vero omnium, quos laudavimus, nuperorum scriptorum libros non recensuimus, quia plerique ipsorum partim ante a nobis sunt laudati, partim laudandi erunt.

ARTICVLVS OCTAVVS

Quaenam expositarum sententiarum circa historiae in scientiis usum probanda sit, investigatur

Postquam diversas Philosophorum opiniones de historiae in scientiis usu enarravimus, opus nobis est investigare, quaenam illarum veritati consentanea sit. Quod ut facile comperiamus, 1° quaeremus, utrum ad aliquam scientiam assequendam utile sit, an noxium historiam eius cognoscere, et, si utile esse invenerimus, quomodo utendum ipsa sit; 2° expendemus utrum, necne historia philosophiae, et philosophia unum, idemque sint.

Ad primae quaestionis solutionem viam nobis stravit Aristoteles, qui utilitatem historiae in scientiis excolendis breviter quidem, sed data opera demonstravit. Rationis momenta, quae hic illic ad hanc rem attulit, commode concludi posse nobis videntur hac unica argumentatione: Quae circa rem a nobis quaesitam apud maiores invenire possumus, ea vel penitus sunt disputata, vel leviter tacta, vel falsa. Cum in ea incidimus, quae penitus ab eius disputata sunt, alterutrum evenire potest, scilicet vel quod nondum nobis explorata erant, vel quod erant iam explorata. Si primum, illorum notitia cognitionem nostram locupletabit, nobisque facultatem

nova inveniendi praebebit : sin alterum , nos in veritate iam cognita magis, magisque confirmabit. Audiamus ipsum Stagiritam in initio *Metaph.* ita disserentem: « . . . . « nihilominus tamen illos quoque, qui ante nos ad en- « tium perscrutationem venerunt, et de veritate philoso- « phati sunt , ascicamus. Patet enim , quod illi etiam « principia aliqua et causas dicunt. Proderit itaque pro- « fecto huic tractatui , nunc si illa breviter repetemus. « Aut enim aliud causae genus inveniemus , aut certe « magis illis credemus , quae nunc dictae sunt [1] ». Sin ea, quae apud maiores nostros invenimus, ἐπιπολαιοτέρως , *superficie tenus* , seu leviter discussa esse cognoverimus, inde certe ad rem penitius explorandam, eiusque cognitionem perficiendam expeditiores efficiemur. « Verum , ait , non solum illis agendae sunt gratiae , « quorum opinionibus quis acquiescet , sed illis etiam , « qui superficie tenus dixerunt. Conferunt enim aliquid « etiam isti : habitum namque nostrum praeexercue- « runt [2] ». Exemplum in eodem loco Aristoteles e musica adduxit. « Si enim, subdit, Timotheus non fuisset, « multum melopociae nequaquam habuissemus : si ta- « men Phrynis non extitisset, ne Timotheus quidem. « Simili modo et de illis res habet, qui de veritate as- « seruerunt. A quibusdam enim aliquas accepimus opi- « niones; quidam vero, ut hi fierent, causa fuerunt [3] ».

---

[1]) *Met.*, lib. I, c. 3, § 1 et 2, ed. Didot.

[2]) *Met.* lib. I minor, c. I, § 3.

[3]) *Ibid.* De Phrynide, qui floruit anno ante C. N. CDL, vid. Plut. (*Agis*,c. 10, et *De Mus.*, c. 6, ed. Reiske), et de Timotheo, qui natus est anno ante C.N. CDXLVI, vid. eumdem Plut. (*Agis*, loc. cit. et *De Mus.*, c. 20), necnon Plin. (*Hist. Nat.* , lib. VII, c. 57), et Boëtium (*De Mus.*, lib. I, c. 1). Aliquas de musica lites iam inde ab an. D in Graecia extitisse exploratum eruditis est, cum iam illa aetate nonnulli quaererentur potius τὸ σοβαρὸν, καὶ περιττὸν,*violentum*, *et superfluum* recentium musicorum, quam τὸ σεμνὸν καὶ ἀπερίεργον, *grave et sobrium*, veterum probari (vid. Grote, *Hist. Graec. ant.* angl., Part. II, c. XXIX, p. 126 , et not., Lond. 1849-1856). Quid autem a Phrynide, et Timotheo ad antiquam musicam emendandam

Quod si denique falsa esse perspexerimus ea, quae de re in quaestionem adducta maiores nostri tradidere, haec cognitio procul dubio efficiet, ut errores, in quos alii ante nos inciderunt, vitemus, aliasque vias, quae ad inventionem veri tuto ducunt, ingrediamur; unde errorem esse viam ad veritatem non modo a recentibus, sed ab antiquis quoque observatum fuit [1]. En pauca verba Stagiritae: « Verum enimvero necesse est con-« siderantes de anima, ut . . . in medium eorum an-« tiquorum afferamus opiniones, qui de anima affirma-« rint aliquid, ut ea quidem accipiamus, quae bene « sunt dicta, ab iis autem caveamus, quae non bene « dicta fuere [2] ».

S. Thomas loca Aristotelis, quae exscripsimus, egregie declaravit. Et primo, in l. I *De anim.* inquit: « De qua, « scilicet anima, intendentes ad praesens necesse est ac-« cipere opiniones antiquorum, quicumque sint, qui ali-« quid enunciaverunt de ipsa. Et hoc quidem ad duo « erit utile: primo quia illud, quod bene dictum est « ab eis, accipiamus in adiutorium nostrum. Secundo « quia illud, quod male enunciatum est, cavebimus [3] ». Deinde in l. I *Metaph.* advertit philosophos priori modo *directe*, et posteriori modo *indirecte* magno sibi invicem esse adiumento. « Adiuvatur enim, ait, unus ab altero ad « considerationem veritatis dupliciter. Vno modo directe. « Alio modo indirecte. Directe quidem iuvatur ab his, « qui veritatem invenerunt, quia, sicut dictum est, dum

---

praestitum fuerit, adamussim definire difficile est. Quisquis accuratam huius rei notitiam assequi vult, adeat Schoell, *Storia della Letteratura greca profana*, tradot. ed annot. da Em. Tipaldo, lib. III, c. 10, t. II, part. I, p. 91, et 92, Venezia 1827; Schoemann, *Adnott. criticae ad Plutarchi Agidem, et Cleomenem*, c.cit., Gryphisvaldiae 1836, et 1837, et Wachsmuth, *Antiq. Hell. scient.*, t. II, lib. II, p. 429, Halis 1826-1830. Bergk Timothei fragmenta collegit in *Poetae lyrici Graeci*, p. 537, Lipsiae 1843.

[1]) Vid. p. 215. — [2]) *De Anim.*, lib. I, c. 2, § 1, ed. Didot.

[3]) In *lib. I De Anim.*, lect. II.

« unusquisque praecedentium aliquid de veritate invenit, « simul in unum collectum posteriores introducit ad ma- « gnam veritatis cognitionem. Indirecte vero, in quantum « priores errantes circa veritatem posterioribus exercitii « occasionem dederunt, ut, diligenti discussione habita, « veritas limpidius appareret. . . . Et ideo dicit, quod « iustum est *gratiam referre* non solum his, quos quis « existimat veritatem invenisse, quorum opinionibus « aliquis communicat sequendo eas, sed etiam illis, « qui superficialiter locuti sunt ad veritatem investi- « gandam, licet eorum opiniones non sequamur, quia « isti etiam conferunt nobis. Praestiterunt enim no- « bis quoddam exercitium circa inquisitionem verita- « tis. Et ponit exemplum de inventoribus musicae. Si « enim non fuisset Timotheus, qui multa de arte mu- « sica invenit, non haberemus ad praesens multa, quae « scimus circa melodias. Et si non praecessisset quidam « Philosophus nomine Phrynis, Timotheus non fuisset « ita instructus in musicalibus [1] ».

Albertus M., huius rei rationem reddere volens, ex eodem Stagirita [2] adverterat notitiam opinionum, quas antiqui de aliqua re propugnarunt, ad cognitionem ipsius rei perficiendam multum conferre, quippe quod, cum naturas rerum omnino intelligere arduum sit, nullus eorum, qui naturam alicuius rei inquirere coeperunt, universam veritatem de illa assequi potuit, sed, cum veritas mentem luce sua necessario percellat, neminem illorum universa veritas de illa potuit effugere [3]. « Dicimus « enim, scribit, quod theoria, sive contemplatio, sive con- « sideratio de veritate existens uno modo est difficilis, « alio modo facilis. Hoc autem probabitur per signum « ex parte sui effectus sumptum. Signum autem illud

---

[1]) In *lib. Met.*, lect. II.

[2]) *Met.*, lib. I minor, c. 1, § 1 ed. Didot.

[3]) « Philosophi quidam, s. Augustinus inquit, inter falsa, quae « opinati sunt verum videre potuerunt »; *De Civit. Dei*, lib. XVIII, c. 41, n. 3.

« est, quod nullus philosophorum digne, prout ipsa « res exigit, unquam potuit acquirere inventione, vel « doctrina, vel doctrina, et inventione simul: hoc enim « signum est, quod aliquo modo est difficilis. Quod « autem alio modo sit facilis, signum est, quod nullus « omnium eorum, qui consideraverunt in ea, omnino, « et universaliter fefellit, ita quod nihil veritatis parti- « ciparet in ea: sed unusquisque aliquid dixit de natu- « ra eius, licet balbutiendo id dixerit, tamen ab ipsa « manifesta veritate compulsus aliquid veritatis nisus « est dicere [1] ». Exinde Beatus Doctor confecit quemlibet rerum investigatorem posse ex cunctis exiguis partibus veri, quas praecessores eius invenerunt, *coarticulatis*, nempe alio nexu inter se copulatis (ἐκ πάντων συναθροιζομένων, ut legitur apud Aristotelem), magnam partem veritatis sibi comparare, atque ex his profectum ad illam absolvendam progredi [2]. Idem inculcavit s. Thomas his paucis: « ... licet « id, quod unus homo potest immittere, vel apponere ad « cognitionem veritatis pro studio et ingenio sit aliquid « parvum per comparationem ad totam considerationem « veritatis, tamen illud, quod aggregatur ex omnibus « (*coarticulatis*), id est, exquisitis et collectis, fit aliquid « magnum, ut potest apparere in singulis artibus, quae « per diversorum studia et ingenia ad mirabile incre- « mentum pervenerunt [3] ».

In *I Ethic.* Aquinas noster hoc ipsum ex natura hominis mirifice demonstravit. Eius argumentatio huc redit: Quemadmodum homo, cum proprium eius sit naturas rerum ratione, seu *discursu* cognoscere, veritatem circa res non uno intuitu apprehendit, sed paulatim in eius cognitione proficit a noto ad ignotum progrediendo; ita quoque uni aetati ne unicam quidem scientiam datur

---

[1]) *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 1.—[2]) *Ibid.*

[3]) In *lib. II Met.*, lect. I. Cave, ne hanc doctrinam Stagiritae a B. Alberto M., et s. Thoma propugnatam cum methodo eclectica Cousinii confundas; quia latum, uti alias dicemus, inter utramque discrimen intercedit.

perfecte cognoscere, sed spectat ad quamlibet aetatem e cognitione illorum, quae in praeteritis aetatibus inventa sunt, proficisci, atque inde ad nova investiganda gradum facere. Lubet locum sancti Doctoris, quem in *Introd.* ex parte adduximus [1], rursus exscribere, quia in ipso doctrina, modo a nobis exposita, ex historia scientiarum, atque artium comprobatur: « Ad hominis naturam pertinet « ratione uti ad veritatis investigationem. Rationis autem « proprium est non statim apprehendere veritatem. Et « ideo ad hominem pertinet paullatim in cognitione veri- « tatis proficere. . . . Si enim aliquis tempore praecedente « det operam investigandae veritati, iuvatur ex tempore « ad veritatem inveniendam, et quantum ad unum, et « eumdem hominem, qui postea videbit, quod prius « non viderat, et etiam, quantum ad diversos, utpote « cum aliquis intuetur ea, quae sunt a praecessoribus « inventa, et aliquid superaddit. Et per hunc modum « facta sunt additamenta in artibus, quarum a princi- « pio aliquod modicum fuit adinventum, et postmo- « dum per diversos paulatim profecit in magna quan- « titate, quia ad quemlibet pertinet superaddere id, « quod deficit in consideratione praedecessorum [2] ».

Alberti M., et s. Thomae sententiam Rogerius Baco, ut Scotum [3], aliosque praetereamus, non modo amplexus est, sed luculenter quoque explicavit. Enimvero ipse, Catholica Fide instructus, utilitatem, immo necessitatem historiae scientiarum ex eo collegit, quod mens humana, ob originale peccatum, quo omnes homines infecti nascuntur, et ob peccata actualia, quae ipsi propria culpa contrahunt, adeo comparata est, ut in singulis rebus errorem cavere minime valeat. « Sed quo- « niam, inquit, propter peccatum originale et propria cu- « iuslibet peccata partes imaginationis laesae sunt (nam ra-

---

[1]) P. 78-79. — [2]) In *lib. I Ethic.*, lect. XI.

[3]) In *lib. I Met. Summae* III, c. 1, *Opp.* ed. Wadding, t. IV, p. 41.

« tio caecutiens est, memoria fragilis, ac voluntas depra-
« vata . . .), manifestum est, quod mens humana non
« sufficit dare quod necessarium est in omnibus, nec
« potest in singulis vitare falsum, nec malum. Et ideo
« ad auctorum dicta verorum potest convenienter addi,
« et corrigi in quam pluribus. . . Et hoc per effectum
« probatur. Nam semper posteriores addiderunt ad o-
« pera priorum, et multa correxerunt, et plura muta-
« verunt, sicut maxime per Aristotelem patet, qui omnes
« sententias praecedentium discussit; et etiam Avicenna,
« et Averroes plura de dictis eius correxerunt. Nam
« tanta difficultate videndi veritatem premimur, et va-
« cillamus, quod fere quilibet philosophorum contra-
« dicit alii, ita quod vix in una vanissima quaestione,
« vel in uno vanissimo sophismate, vel una operatione
« sapientiae. . . unus cum alio concordat [1] ». Hinc, ut
in *Introductione* vidimus [2], dum philosophum inventis
maiorum suorum uti iussit, contra eos invectus est, qui
illis contenti a novis inveniendis abstinebant.

Duo autem hic omittenda non sunt, quae Rog. Baco
philosophum christianum monuit. Primum est, quod,
cum philosophi christiani sit philosophiam ethnicam
ad Fidei Catholicae famulatum revocare, ipse historiam
scientiarum non modo ad earumdem scientiarum incre-
mentum, sed etiam ad theologiae revelatae praesidium uti
debet. « Et ideo, ait, Christiani debent ad suam professio-
« nem, quae sapientia Dei est, caetera pertractare, et vias
« philosophorum infidelium complere, non solum quia
« posteriores sumus, et debemus addere ad eorum ope-
« ra, sed ut cogamus sapientiam philosophorum nostrae
« deserviré. Nam hoc philosophi infideles faciunt ipsa
« veritate coacti, inquantum eis datum est [3] ». Alterum est,
quod philosophus christianus non solum philosophorum

[1]) *Opus maius*, pars I, c. 7, p. 10, ed. cit. Hic locus Baconis ad mentem nobis revocat illud s. Augustini: «Hic non falli difficile est»; *Epist.* LXXX *ad Hier.*, n. 3.

[2]) P. 75, et 79.—[3]) *Op. cit.*, pars II, c. 8, ed. cit.

ethnicorum, sed etiam Doctorem Ecclesiae placita de iis, quorum scientiam assequi vult, inquirat necesse est ; si quidem hi, ut in *Introductione* innuimus [1], divina Revelatione locupletati non modo errores philosophiae Gentilium emendarunt, sed etiam nonnullas magni momenti veritates rationi non impervias, quae omnes gentium sapientes latuerant, invenerunt. Ex longa argumentatione Baconis, cuius summam adduximus, liceat nobis exscribere hanc conclusionem: « Et ideo Christiani philosophiam « volentes complere debent in suis tractatibus non so- « lum dicta philosophorum de divinis veritatibus colli- « gere, sed longe ulterius progredi , usque quod pote- « stas philosophiae totius compleatur [2] ».

Inter recentes ii, qui philosophiam Aristotelis, a mediae aetatis Doctoribus emendatam, secuti sunt, non aliud praestiterunt, quam ut utilitates historiae scientiarum secundum Aristotelem exponerent. Quorum omnium instar sit Dandinius saepe a nobis laudatus. Hic enim utilitates historiae enumerans, inquit: « Cum enim philosophus « nihil aliud, quam veritatem, propositum habeat, tum « cavere ab illis debet , quae a veritate sunt aliena , « neque amicorum modo sententias, sed sua etiam dicta « refellere, si quid melius invenit : tum veras senten- « tias admittere, a quocumque fuerint pronuntiatae; ne- « que affectu erga sectam ullam, aut auctorem duci [3] ».

Quod ad reliquos attinet, multa sapienter animadversa hac de re ab eis fuere , qui cartesianam de usu historiae sententiam manifeste oppugnarunt ; sed nos ab hisce referendis abstinemus , cum satis sit ea mente reputare , quae ex Huetii , Leibnitii, et Vici disputationibus superius adduximus. Illud de Leibnitio addendum censemus, quod ipse professus est se nulla philosophiae systemata , si astrologia, aliaque eiusdem furfuris deliramenta excipiantur , despicere , quia nullum

[1]) P. 104, not. — [2]) *Op. cit.*, pars II, c. 8, p. 41, ed. cit.
[3]) *Op. cit.*, Comment. XXXII, col. 338, ed. cit.

systema philosophiae existit, ex quo nonnihil praesidii ad veritatis inventionem capi nequeat [1]. Quin immo scepticismum quoque studiosis philosophiae utilem esse posse dixit. « Etiam, subdit, Academicorum, et Scepti- « corum placita multa cum utilitate expendentur ab eo, « qui verae philosophiae principia constituere volet [2] ».

Nec omittenda sunt ea, quae Barth. Saint-Hilaireus, et Bertereavius adnotarunt, ubi ille Aristotelis, atque hic Leibnitii opiniones de utilitate historiae evolverunt. Saint-Hilaireus advertit eos, qui historiam scientiae, cui student, consulere negligunt, posse in plura vitia incurrere. Primo enim facile fit, ut laudem ex ea, quam sibi persuadent, novitate doctrinae captent, proindeque eruditorum cachinnis se praebeant. Hoc, ut iam vidimus, Cartesio, eiusque discipulis accidit; namque hi, ob novitatem doctrinae, quam affectabant, ab Huetio, et, ne de aliis multis dicamus, a Leibnitio vapularunt. Enimvero eruditissimi hi duumviri in eo consensere, quod Cartesium simulationis, eiusque discipulos ignorantiae accusarent [3] ». Praeterea fieri potest, ut qui historiam ignorant, vel

---

[1]) *Epistolae ad D. Bourguet*, Épître IV, *Opp.* t. VI, pars I, p. 211, ed. Dutens.

[2]) *Responsio ad Epist. V Bierlingii*, § 17, *Opp.* ed. cit., t. V, p. 369. Reidius quoque, qui hac in re, ut diximus (p. 262), sibi contradixit, cognitionem scepticismi ad verum inveniendum nonnihil conferre putavit. Vid. *Recherches* etc., Dedicace, *Oeuv.* t. II, p. 6, ed. cit.

[3]) Cf Huet, *Cens. phil. cartes.*, c. 8, § 7, p. 237, et 238, ed. cit., et Leibniz, *Extrait d' une lettre à M. l' ab. Nicaise* etc. *Opp. phil.*, p. 120, ed. cit., nec non *Lettre a M.r Pellisson*, *Opp.* ed. Dutens, t. I, pars III, p 731. In hac epistola ad Pellissonum, praeter alia, haec habet: « Episcopus Abrincensis facete de his (*carte-* « *sianis*) scripsit, *Ignorantia inflat* ». En locum Huetii, Episcopi Abrincensis, ad quem Leibnitius digitum intendit: « Iam ergo lu- « dibrium debemus Cartesianis, quod eruditi sumus. Ita conversae « sunt rerum vices, postquam exorta est fax illa vitae et veri; nunc « laudi imperitia est, dedecori eruditio: nunc non scientia inflat, quod « dictum est Apostoli, sed inscitia »; *Cens. phil. cartes.*, c. 8, § 7, p. 243.

tempus frustra terant, illa quaerendo, quae iam inventa a maioribus sunt, vel in errores, qui iam ab aliis detecti, et explosi sunt, labantur [1]. Ad id comprobandum laudatus Auctor exempla Lockii, Reidii, et Stewartii, aliorumque in medium protulit, atque observavit, hosce philosophos, cum historiam philosophiae antiquae parvi, aut nihili fecissent, modo in opinionibus, quas iam antiquitas tradiderat, declarandis, confirmandisque frustra adlaborasse, modo in locum antiquarum novas suffecisse, quae illis nec firmitate, nec amplitudine pares sunt [2].

Bertereavius vero, Leibnitii doctrinam exponens, monuit historiam philosophiae (quod quidem de ceteris scientiis valet) tria potissima emolumenta nobis suppeditare. Quorum illud primum est, quod in historia philosophiae eruditus procul dubio cavet, ne cui sectae se addicat, et facile utitur vera libertate philosophandi, illa scilicet, quae perinde a servitute, ac a licentia abhorret. Secundum est, quod facultatem inventa sua cum placitis antecessorum comparandi consequitur, ut si illa cum his consentire noverit, in illorum veritate confirmetur, sin ab ipsis dissentire compererit, novum examen instituat, atque, utrum ipse, an antecessores eius a vero aberraverint, cognoscat. Tertium denique est, quod cognoscit et viam, quam scientia ab eo quaesita iam mensa est, et viam, quam metiri debet, ut ad culmen suum perveniat. Certe, haec tria Leibnitius asseruit cum in aliis locis, tum maxime in *Epistola ad Nicasium*, cuius pauca iam exscripsimus. Ibi enim, postquam, ut vidimus, Cartesianis obiecit eos studio sectae, quod scientiarum progressui adversatur, servire, atque antiquitatem, ex qua Cartesius magnam partem suorum pronuntiatorum hausit, negligere, hortatus illos est, « ut a ratiocinationibus abstractis, quae otio de-

---

[1]) *Op. cit.*, Prèf., p. LXXII, LXXIV, LXXVII-LXXXI.
[2]) *Op. cit.*, Prèf., p. LXXIV-LXXVI.

« serviunt, et ignorantiam celant, abstinerent, sed ex-
« perimenta instituerent, demonstrationesque conficerent;
« ut in Magistri sui placitis explanandis minime se con-
« tinerent, sed quidquam amplius progrederentur; ut
« Anatomiam, Historiam, Linguas, et Criticam non prae-
« terirent, aut despicerent; ut sibi haud persuaderent se-
« se scire, quidquid sciri potest, aut quidquid sciendi
« spes est [1] ». Hinc doctissimus Vir non semel advertit Cartesium, ob illam, qua exarsit, ambitionem sectae condendae, magno impedimento fuisse, quominus scientiae progrederentur [2].

Quae Cartesius, eiusque sectatores ad suam sententiam tuendam oggerunt, reducuntur, ni fallimur, ad hoc unicum argumentum. Quisquis iudicium de aliqua re laturus, opiniones praecessorum suorum circa ipsam consulit, periculum incurrit potius alieno iudicio, quam suo, utendi. Atqui hoc progressui scientiarum procul dubio adversatur; nam qui in rerum naturis explorandis non suum, sed aliorum iudicium adhibet, nihil novi invenire potest. Ergo usus historiae in scientiarum adquisitione progressui ipsarum nocet; tantum abest, ut huic sit utilis.

Resp. *Dist. mai.*, si opiniones praecessorum suorum sine ullo examine amplectatur, *conc. mai.*, sin examini subiiciat, *neg. mai.* Sub hac distinctione *conc.*, *et neg. min. Neg. conseq.* Nos ultro concedimus Cartesianis historiam scientiarum magno ad verum cognoscendum impedimento illis esse, qui quotquot maiores de naturis rerum decreverunt, argumentorum vi, et docentium auctoritate non satis expensis, amplectuntur. Id certe Rogerius Baco sibi voluit, cum, uti diximus, inter « quatuor maxi-
« ma comprehendendae veritatis offendicula, quae omnem
« quemcumque sapientem impediunt », recensuit « fra-

[1]) *Extrait d' une lettre à M.r l' ab. Nicaise* etc., *Opp. phil.*, ed. Erdm., p. cit.

[2]) *Rémarques sur les Chevraeana*, *Opp.* ed. Dutens, t. VI, pars I, p. 328, et 329. Cf *Notata quaedam* etc., t. V, pars II, p. 395.

« gilis, et indignae auctoritatis exemplum [1] ». Sed cum Aristotele, et Scholasticis contendimus historiam scientiae, cui studemus, eo animo consulendam nobis esse, ut, quae a maioribus recte disputata sunt, retineamus, et quae perperam, refutemus [2], atque non quorumlibet Philosophorum, sed gravissimorum, et doctissimorum auctoritatem suspiciamus. Vnde idem Rog. Baco declaravit, se non de omni auctoritate loqui, « sed de illa, « quam sine Dei auxilio violenter usurpaverunt multi « in hoc mundo, nec ex merito sapientiae, sed ex pro- « pria praesumptione, et desiderio famae, et quam vul- « gus imperitum concessit in perniciem propriam iudi- « cio Dei iusto [3] ».

---

[1]) Vid. p. 218.—[2]) Vid. p. 270.

[3]) *Op. cit.*, pars I, p. 3. Dum haec prelo committebamus, contigit nobis legere librum, quem AEmil. Charles evulgavit hoc titulo, *Roger Bacon, sa vie, ses ouvrages, ses doctrines d'après des textes inédits*, Paris 1861. Hoc certe primum opus est, in quo libri Rog. Baconis accurate recensentur, eiusque doctrinae copiose exponuntur. Namque omnes, qui, post Baconis aetatem, Scriptorum Ecclesiasticorum vel sententias collegerunt, vel catalogos compilarunt a Vincentio Bellovacensi usque ad Ioan. Trithemium, nullam eius mentionem fecerunt, et quae apud Waddingium (*Annal. Ordinis Minorum*, t. II, p. 293 sqq, Lugduni 1628) post Pitsium (*Relationum historicarum de rebus anglicis* etc., n. 365, Parisiis 1619), apud Caveum (*Script. Eccl.*, p. 648, 1705), et apud Oudinum (*Comm. de Script. Eccl.*, t. III, p. 190-197, Lipsiae 1722) leguntur, admodum pauca sunt, et, quod praesertim ad catalogum operum baconianorum pertinet, magna ex parte falsa. Accuratiora sunt, sed et ipsa valde exigua, quae nuper Daunou, et Leclerc in *Hist. litt. Gall.* (*Hist. litt. de la France*, t. XX, p. 229-252), et Cousin in *Ephem. Doctorum* (*Journal des Savants*, Paris 1848) de Bacone scripserunt. Nihilominus Charlesius, eo quod animum praeiudicatis contra Ecclesiam Catholicam opinionibus occupatum habet, in exponendis Baconis doctrinis interdum fallitur. Quod ad rem praesentem facit, ipse Baconem impense laudat, quod et cuiuslibet auctoritatis iugum excutere iussit, et ipse vehementi, ac pene incredibili animi impetu excussit (*Op. cit.*, part. II, c. 1, § 1, p. 97 sqq). At, si Baco hac in re interdum omnem modum excessit, immeritoque illos reprehendit, qui vel Alexandrum Halensem, vel Albertum M., vel alium Doctorem du-

Quandoquidem comperimus historiam cuiusque scientiae ad eius profectum valde conferre, haud difficile est cognoscere, intra quos terminos usus historiae cohibendus sit, quia eorum, quae de quaerendis, ac in dubitationem vocandis statuimus, quoddam consectarium est. Et sane, si sunt quaedam, uti ante diximus, quae quaerere, atque in dubitationem adducere aut supervacaneum, aut impium est, consequitur non omnium opinionum, quae in historia scientiarum inveniuntur, examen ab inquisitore veritatis instituendum esse. Nam, quoniam, ipsis Tullio inter veteres, et Reidio inter recentes testibus, nulla est vel abnormis opinio, quae non aliquo auctore,

---

cem sequebantur (vid. *Opus tertium*, c. IX, *Compend. theol.*, pars I, c. 2, *Compend. phil.*, c. 2, et alibi apud Charlesium, *ibid.*, § 1, et 2), certe tum quae nos hic, et in *Introduct.* excripsimus, tum quae ex libris nondum editis ipsemet Charlesius in II. II. adduxit, luculenter patefaciunt eum non omnem auctoritatem, sed dumtaxat *vulgarem*, et *fragilem* reiecisse, neque illos redarguisse, qui praecessorum suorum doctrinas consulunt, eorumque auctoritatem suspiciunt, sed qui illorum sententias sine ullo examine amplexantur, novaque iam inventis addere minime student. Re vera, Baco, ipso Charlesio observante, veterum sapientum lectionem ad scientiarum progressum perutilem esse saepe asseruit, atque, ut eorum libri in linguis, quibus scripti sunt, legerentur, studium quatuor linguarum philosophicarum, nempe graecae, hebraicae, chaldaicae, et arabicae magnopere commendavit (vid. loca, quae ex libris anecdotis Charlesius excripsit, pars II, c. 2, § 1, p. 111 sqq). Quod adeo praecepit, exemplo suo comprobavit; si quidem quam plurimos auctores perlegit, quos Charles recensuit (pars IV, c. 4 *De l' érudition de Roger Bacon*, p. 311-334), et quatuor linguas, quas commendavit, probe calluit, quemadmodum idem Charlesius ex eius libris omnino probavit (pars II, c. 2, p. 123, not. 3). Nemo ignorat Baconem *Grammaticam graecam* scripsisse, cuius fragmenta in *Operis tertii* initio inveniuntur (vid. Charles, *Op. cit.*, pars V, c. 4, p. 259 sqq). Illud omissum nolumus operum Baconis, quae Charles veluti anecdota citat, quaedam Londini evulgari coepta esse hoc titulo: *Roger Bacon, Opera quaedam hactenus inedita*, ed. Brewer, vol. I, Londini 1860 Hoc primum volumen continet *Opus tertium*, *Opus minus*, *Compendium philosophiae*, et *De nullitate magiae*. An alia volumina hactenus in lucem prodierint, ignoramus.

et fautore gaudeat, nemo non videt, si omnium opinionum, quas historia scientiarum complectitur, ratio ab inquirente veritatem habeatur, dubitationes, et quaestiones de illis quoque institui ab eo oportere, quae quaerere, et in disputationem adducere stultum, aut saltem frustraneum est. Ne hoc quidem Aristotelem, et qui secuti sunt eum, Scholasticos effugit. Satis est, cum de re perspicua agatur, unicum locum Aristotelis cum Aquinatis commentario afferre. Aristoteles enim in *Ethic. Nic.*, ubi notionem felicitatis investigat, a praecedentium philosophorum opinionibus adducendis exorditur his verbis: « Atque omnes quidem, quae feruntur, opiniones ad calculos revocare fortasse operae pretium non fuerit; satiusque erit eas potissimum, quae sunt insigniores, quaeque aliqua ratione niti videntur, in medium proferre [1] ». In quem locum s. Thomas haec scripsit: . . . « perscrutari omnes opiniones, quas aliqui habent de felicitate, esse magis vanum, quam deceat philosophum. « Quia quaedam autem omnino sunt irrationales: sed « sufficit illas opiniones maxime perscrutari, quae in « superficie habent aliquam rationem, vel propter apparentiam aliquam, vel saltem propter opinionem multorum hoc existimantium [2] ».

Soluta prima quaestione, ad alterius solutionem accedamus. Si cuiuslibet scientiae progressui historia eius perquam utilis est, omnino ab illorum opinione cavendum esse arbitramur, qui, cum historiam philosophiae ab ipsa philosophia haud discriminent, studium philosophiae ad ipsum studium historiae eius reduci obganniunt. Certe, ista opinio Pantheistarum transcendentalium Germaniae, ac Eclecticorum Galliae, si vel fundamentum, cui innititur, vel theoriam ipsam, quam complectitur, consideraveris, valde abnormis est. Et sane, fundamentum, cui ipsa innititur, est pantheismus, scilicet illud philosophiae

[1]) *Ethic. Nic.*, lib. I, c. 4, § 4, ed. Didot.
[2]) In *lib. I Ethic.*, lect. IV.

systema, quo statuitur omnia, quae sunt, esse vel Deum, vel Dei sive affectiones, sive effluxiones, sive evolutiones. Hoc esse doctrinae, quam Schellinghius, ac Heghelius professi sunt, fundamentum nullus illorum sectator inficiari potest, quippe quod illi pantheismum sine ulla ambage professi sunt. At negat, pernegatque Cousinius, qui se a pantheismo abhorrere asserit; sed frustra, quia nihil, ut in *Introd.* innuimus, atque alias ostendemus, adhuc proferre potuit, quod philosophiam suam ab hac labe purgaret. Atqui pantheismus, quemadmodum suo loco dicemus, error est, qui et omnem rerum universitatem destruit, et omnem scientiam impossibilem reddit. Opinio igitur Transcendentalium Germaniae, ac Eclecticorum Galliae, si eius fundamentum spectetur, abnormis est.

Abnormem quoque se tibi prodet opinio, de qua agimus, si theoriam eius in se spectaveris. Et sane, ipsa primum eidem historiae philosophiae adversatur. Invitum fautorem huius assertionis habemus ipsum Heghelium. Hic enim evidentia rei victus quandoque scripsit innumera philosophorum placita non esse totidem fragmenta veri, quae eo ordine sibi succedunt, et universam veritatem complectantur, perfectamque scientiam constituant, sed alia adeo cum aliis pugnare, ut ultimum ipsorum caetera, quae ipsi praecesserunt, disiicere, eorumque locum occupare conetur [1].

Quod ad Cousinium speciatim attinet, hic pro certo sumit historiam philosophiae, qualis hac nostra aetate existit, cuncta fragmenta integrae, absolutaeque veritatis complecti; unde, si quis omnia systemata philosophiae, quae usque ad hanc aetatem viguere, secum componere noverit, perfectam, absolutamque philosophiam efficiet. Quot absurdis haec philosophandi ratio, quae *eclectica* vocatur, laboret, alias dicemus. In praesentia non aliud observandum esse censemus, quam quod Cousinius eidem historiae, cuius studium et verbo,

[1]) *Op. cit.*, *Opp.* t. cit., p. 28, et 29, ed. cit.

et exemplo promovere studuit, omnino contradicit. Namque philosophia, sive speculativa, sive practica, post Graecorum, et ss. Patrum labores, a Scholasticis, ut in *Introductione* innuimus, atque in hoc nostro opere passim patefaciemus, omnino absoluta fuit. Scientiae vero, quae *experimentales*, vel *inductivae* dicuntur, in dies magis, magisque perficiuntur, quia, cum huiusmodi scientiae in observatione *factorum* fundentur, naturaliter efficitur, ut, quo plura *facta* deteguntur, et quo diligentius detecta observantur, pluribus ipsae inventis ditentur, firmioresque evadant. Cousinius vero sine ulla probatione asseruit, cunctas partes veritatis usque ad suam aetatem tandem perspectas fuisse, ita ut non aliud, quam ipsas secum apte componere, hodie ad Philosophum spectet. Haec fere, uti ex historia philosophiae constat, Plotini, aliorumque veterum Eclecticorum quoque persuasio fuit; at Cousinius nihil in medium protulit, ut nec aetatem Plotini, nec aliam praeteritarum aetatum cunctas particulas veritatis possedisse, sed uni aetati nostrae id tandem feliciter successisse evinceret. Quin immo hac in re adversarios habuit et ipsos suos praeceptores, et quosdam ex suis discipulis. Nam, quoniam Schellinghius, ac Heghelius evolutionem *Absoluti*, seu *Ideae* in infinitum admittunt, liquet illos in hac sententia fuisse, quod veritas sese in infinitum explicatura sit, et Iouffroyus, fortasse praestantissimus Cousinii discipulorum, nullam partem philosophiae adhuc absolutam esse secundum doctrinam progressus, quam amplexus fuerat, praefracte contendit [1].

Secundo, ii, qui opinionem Transcendentalium Germaniae, et Cousinii de vi, usuque historiae tuentur, omne vel absurdissimum systema philosophiae pro vero habeant necesse est. Nam quodlibet systema philosophiae, secundum Transcendentales, et Cousinium, in illo temporis momento, in quo in historia apparet, est neces-

[1]) Vid. *Introd.* p. 144.

sarium , quia quodlibet systema philosophiae , Schellinghii, ac Heghelii iudicio, est ipsamet evolutio *Absoluti*, sive *Ideae* , quae in certo temporis momento consideratur , et, Cousinii iudicio, repraesentat aliquod trium elementorum , per quae ratio generis humani necessario evolvitur. Atqui , si quodlibet systema philosophiae in illo tempore , in quo in historia apparet , est necessarium , omne systema philosophiae, quodcumque tandem sit , verum esse oportet. Nam ratio generis humani , si vel secundum leges evolutionis *Absoluti* , sive *Ideae* , vel secundum leges naturales propriae operationis enodatur, in errorem labi non potest ; alioquin ipsa natura culpanda esset. Admissa igitur doctrina Transcendentalium de vi, ac usu historiae philosophiae, quidquid vel absurdissimi systematis in historia philosophiae occurrit , pro vero habendum est. Ex quo vides ab. Valrogerum iure , meritoque Cousinium redarguisse his verbis : « Si ratio secundum leges naturae suae proprias « necessario evolvitur, sane neque stupiditas, neque de- « mentia, neque ullus alius morbus mentis existere pos- « sunt; itemque nullus philosophus, immo nullus unquam « homo, aut saltem nulla secta, aut schola existere pot- « est , quae dogmata rationi adversa monumentis hi- « storiae consignet. Quod si res ita se habet , pantheis- « smus, atheismus , dualismus , polytheismus , materia- « lismus, illuminismus, aliaque errorum portenta rationi « consentanea dicenda sunt [1] ».

Tertio, illud quoque mente recolendum est haud posse fieri, ut qui historiam philosophiae perlegunt, et meditantur , ad easdem conclusiones perveniant , quia pro diversis, quae tuentur, systematis , diversa de praecessorum suorum placitis iudicia ferent. Audiatur idem Iouffroyus : « Si munus conficiendi historiam philosophiae « dederis Cabanisio , hic systema Epicuri esse veritati

[1]) *Études sur le rationalisme contemporain*, lib. II, c. 1, p. 153, et 154, Paris 1640.

« consentaneum decernet, quia systema epicureo simile « profitetur ; sin idem munus Kantio commiseris, hic « illud a veritate omnino dissentire contendet, quia e- « ius systema cum epicureo adversa fronte pugnat. « Quodnam igitur pondus erit criticae Cabanisii penes « Kantium, et vicissim ? Certe, nulla . . . At, si « res ita est, liquet mentem humanam, quando hoc sy- « stema, Epicuro auctore, detexit, Kantii iudicio. « in errorem incidisse, et, Cabanisii iudicio, verum « magni momenti invenisse. Vnde mentem humanam « in hac nostrae aetatis historia ille retrocessisse, hic « progressam esse decernet [1] ». Iamvero, si discordia, qua systemata philosophica inter se scinduntur, inter iudicia Philosophorum de iisdem systematis inveniatur quoque necesse est, consequitur nullum philosophum posse ex historia philosophiae systema conficere, quod, cum nulli controversiae obnoxium sit, cunctos Philosophos in concordiam adducere valeat.

Aliis in praesentia omissis, illud praeterire nolumus Iacquesium, et Bertereavium oppido falsos esse, quod ille Aristotelem, hic vero Leibnitium sententiae cousinianae de historia praelusisse putavit. Namque Aristoteles, uti ex dictis patet, luculentissime docuit 1° historiam scientiae non esse ipsam scientiam, sed valde utile praeludium ad scientiam ; 2° opiniones praecessorum esse examini subiicendas, ut quae falsae sunt, confutentur, et quae verae, retineantur; ex quo intelligitur systemata philosophiae, eius sententia, non esse omnia vera, sed alia vera, alia autem falsa ; 3° iis, qui aliquam scientiam sibi comparare volunt, huius historiam consulendam esse, non ut in veris iam inventis conquiescant, sed ut illis ad nova invenienda adiuventur. Quod ad Leibnitium pertinet, memoria repetere satis erit eum Cartesianis succensuisse non solum quod historiam antiquam scientiarum despicerent, ac ignora-

[1]) *Nouveaux Mélanges philosophiques*, p. 260, et 261, ed. cit.

rent, sed etiam, quod philosophia Cartesii contenti progressui scientiarum haud consulerent. Quo sane monito haud latenter declaravit, se abhorrere cum a sententia illorum, qui historiam scientiarum noxiam, vel saltem inutilem esse blaterant, tum a sententia eorum, qui scientias sua aetate adeo absolutas esse opinantur, ut nihil novi inveniri, aut excogitari queat.

ARTICVLVS NONVS

Notio loci exponitur

Hactenus perspeximus, quot sunt genera quaestionum dialecticarum, et quomodo dubitatione, scientiarumque historia utendum nobis sit, ut quaestiones recte, utiliterque instituamus. Iam quisquis ex se videt opus modo nobis esse, ut *locos*, τοπους, investigemus, e quibus argumenta ad illorum solutionem accommodata petere licet.

Atque in primis, notio *loci* accurate declaranda nobis est, quippe quod illa non modo apud fere omnes recentes, sed etiam apud nonnullos antiquos manca, aut obscura invenitur. Rem ab Aristotele repetamus, quippe qui primus omnium, quantum scimus, doctrinam *locorum* ex industria explicuit [1]. Iam, Aristoteles in suo opere *Topicorum* definitionem *locorum* non tradidit, fortasse vel quia ipsam in aliis libris de dialectica, qui perierunt, antea consignaverat, vel quia ipsam discipulis coram explicandam reliquit [2]. Sed, quidquid de hisce coniecturis sit, ipsemet Stagirita in quodam loco *Rethor.*, quem Averroes iam innuit [3], haud latenter significa-

---

[1]) « viâ . . . , ab Aristotele inventâ »; Cic., *Topic.*, c. 1.

[2]) Aristotelem plures, quam qui odie extant, libellos de dialectica elucubrasse Alexander Aphrod. (*Comment. in lib. I Topic.*, fol. 2 *verso*, col. 2, Venetiis 1554), et Laertius (lib. V, segm. 23 sqq) testes sunt. Vid. p. 147, not. 4, et Thionville, *Op. cit.*, c. 1, p. 30.

[3]) *Tractatus de locis* etc., ad calcem *Comment. in lib. I Topic.*, *Opp.* t. I, pars III, fol. 27 *verso*, Venetiis apud Iuntas 1574.

vit, quid nomine *loci* intelligeret. Ait enim de enthymemate disserens: « Nunc autem elementa enthymemata « tum explicemus; elementum enim, et locum enthyme« matis idem voco [1] ». Iamvero, per τὰ στοιχεῖα τῶν ἐνθυμημάτων, nempe *elementa enthymematum*, procul dubio enunciationes intellexit, ex quibus enthymema conflatur. Namque ipse alibi enunciationes generales, quae sunt principia syllogismi, στοιχεῖα τῶν ἀποδείξεων, nempe *elementa demonstrationum*, vocavit [2]; at syllogismus demonstrativus a dialectico, cuiusmodi enthymema est, *materia* non vero *forma* differt. Locus igitur, secundum Aristotelem, est quaedam enunciatio universalis. Ipsemet Stagirita hanc interpretationem nobis exhibuit; si quidem in eodem loco *Rethor.* τόποι ab eo dicti sunt ἐξειλεγμέναι προτάσεις, *selectae propositiones*. « Selectae enim, ait, « de unoquoque sunt propositiones [3] ».

Quam notionem loci Aristoteles in *Rethor.*, quasi per transennam, praebuit, Theophrastus eius discipulus amplexus est, indeque planam definitionem *loci* confecit. En locum Alexandri Aphrod. in quo huiusmodi definitio legitur. « Locus autem, quemadmodum Theophrastus « inquit, est principium quoddam, vel elementum, ex « quo uniuscuiusque rei principia sumimus [4] »; atque explicatius infra: « . . . Theophrastus diffinit locum, ut « diximus primo libro, sic, locus est quoddam princi« pium, vel elementum, a quo accipimus principia circa « unumquodque circumscriptione quadam (τῇ περιγραφῇ) « definitum, et singulis (τοῖς δὲ καθ' ἕκαστα) indetermina« tum [5] ». Hac definitione Theophrastus, postquam secundum Aristotelem dixit locum esse quoddam *elemen« tum*, στοιχεῖον, seu principium, ἀρχή, argumentationis dia-

---

[1]) *Rethoric.*, lib. II, c. 22, § 13, ed. Didot.
[2]) *Met.*, lib. IV, c. 3, § 3, ed. cit.
[3]) § 16, ed. cit.
[4]) *Comment.* cit., lib. I, fol. 2 *verso*, col. 2, ed. cit.
[5]) *Comment.* cit., lib. II, fol. 21 *recto*, col. 1, et 2, ed. cit. Vid. Averroem, *Tract.* cit., fol. 27 *recto*, ed. cit.

lecticae, clare insinuavit omne elementum, seu principium, quod locus est, consistere in quadam propositione universali, quae quidem in se ipsa est *determinata*, τῇ περιγραφῇμὲν ὡρισμένος, sed, si ad quaestiones peculiares, ad quas accommodari potest, relata consideretur, est *indeterminata*, τοῖς δε καθ' ἕκαστα ἀόριστος. Quod quidem satis perspicuum esse nobis videtur. Et sane, quoniam quaestiones dialecticae ad cuncta genera rerum porriguntur, loci, ex quibus argumenta pro illarum solutione petuntur, enunciationes omnium maxime universales esse debent, ut per singula genera rerum coarctari, et peculiaribus quaestionibus solvendis inservire queant. Iam, omne universale, uti alibi diximus, si in se consideretur, est *determinatum*, quia aliquid certi, et determinati per se significat, cuiusmodi est *animal*, prout significat quidquid animam habet; verum, si ad ea, quae ipsi subiiciuntur, relatum spectetur, est *indeterminatum*, quia differentias, per quas ipsa ab se discernuntur, non continet *actu*, sed *potestate*, scilicet non *perfecte*, sed *inchoate*, cuiusmodi est idem *animal*, prout ad *hominem*, et *belluam* refertur. Exemplum afferamus, quod Alexander Aphrod. ad definitionem Theophrasti illustrandam adhibuit. Si quaeratur, utrum bonum iuvet, an noceat, solutio huius quaestionis sumi potest ex hocce loco: *si contrario contrarium inest, et contrarium contrario*: nam ex vi huius pronunciati licet argumentari hoc modo: *si malum nocet, bonum iuvat; atqui malum nocet; bonum igitur iuvat*. Iam nemo non videt illam enunciationem, quae tanquam *locus* sumitur, nempe *si contrario contrarium inest, et contrarium contrario*, esse per se *determinatam*, quia aliquid continet, quod cunctis generibus contrariorum commune est; sed si ad singula genera contrariorum referatur, esse *indeterminatam*, quia illud commune non sic denotat, ut in singulis generibus contrariorum secundum diversos modos determinatum invenitur. Haec autem propositio, quae aliquid de contrariis in universum enunciat, *locus* valde oppor-

tunus est ad quaestiones solvendas, quae circa singula genera contrariorum institui possunt. Namque, admissa veritate illius propositionis, nemo non videt, si unum duorum contrariorum unius generis inest alterutri contrariorum alius generis, alterutrum contrariorum prioris generis alteri contrariorum posterioris generis quoque inesse oportere. Puta, ut idem exemplum urgeamus, quoniam *bonum*, et *malum*, itemque *iuvare*, et *nocere* sunt contraria, scite arguitur hunc in modum: *si malum nocet, bonum iuvat, atqui malum nocet; ergo bonum iuvat;* aut, *si bonum iuvat, malum nocet; sed bonum iuvat, ergo malum nocet* [1].

Hanc definitionem loci a paucis illis peripateticis, qui post Theophrastum in studium topices incubuere [2], sensim immutatam fuisse valde probabile est; si quidem Cicero, qui fere duobus post saeculis, ut diximus, *Topica* scripsit, eaque ab Aristotelis Topicis derivasse dixit, diversam ab aristotelia definitionem tradidit. Re vera, ipse locum *sedem*, seu *notam argumenti* definivit. Vt igi« tur, ait, earum rerum, quae absconditae sunt, demon« strato, et notato loco, facilis inventio est: sic, cum « pervestigare argumentum aliquod volumus, locos nosse « debemus. Sic enim appellatae ab Aristotele sunt hae « quasi sedes, e quibus argumenta promuntur. Itaque « licet definire, *Locum* esse argumenti sedem: *Argu*« *mentum* autem, rationem, quae rei dubiae faciat fi-

---

[1]) Lubet exscribere brevem locum Alexandri, qui, allata definitione Theophrasti, illico subdit: « . . . ut locus est, si contrario con« trarium inest, et contrarium contrario. Nam haec oratio, et pro« positio est, et illud universaliter diffinitum est; nam quod de con« trariis universaliter dicitur, indicat, non tamen amplius quid de « his, vel his contrariis dicitur, est diffinitum in ipso. Porro, si ab « ipso initium fecerimus, de unoquoque contrariorum arguere pote« rimus; nam si quis quaereret de bono, si iuvat, accipiemus a pro« posito loco incipientes proximam propositionem proposito proble« mati, hanc, si malum nocet, bonum iuvat ».

[2]) Vid. p. 146.

« dem [1] ». Alibi vero: « [illegible] Aristoteles [illegible] locos, « (sic enim appellat) quasi argumentorum notas tradidit, « unde omnis in utramque partem traheretur oratio [2] ». His sane verbis Cicero veram definitionem loci haud tradidit, quia non explicuit, quid nomine *loci* significetur, sed dumtaxat voci *loci* voces *sedis*, et *notae* substituit, quae fere nihil amplius, quam vox *loci*, valent. Verum, quisquis locos, qui ab eo numerati sunt, parumper expenderit, lubenter assentietur explanatoribus Academiae Venetae, qui Boëtium [3] secuti adverterunt *locos* Ciceroni non fuisse quasdam propositiones universales, sed quosdam *terminos*, ex quibus propositiones ducuntur, et ad certum numerum, ac ordinem revocantur. E.g., Cicero inter locos recensuit *definitionem*, *coniugationem verborum*, quae graece συζυγία ab eo etiam dicta est, *genus*, aliaque eiusmodi. A definitione duci dixit hocce argumentum : « Ius civile est aequitas con- « stituta iis, qui eiusdem civitatis sunt, ad res suas ob- « tinendas : eius autem aequitatis utilis est cognitio : « utilis ergo est iuris civilis scientia [4] »; quia vis huius argumenti in eo consistit, quod definitio pro definito substituitur. A coniugatione autem verborum istud argumentum : « Si compascuus ager est, ius est compa- « scere [5] », quia *compascere et compascuus* sunt verba coniugata. Tum a genere, hoc modo : « Quoniam ar- « gentum omne mulieri legatum est, non potest ea pe-

---

[1]) *Topic.*, c. 2, ed. Olivet.

[2]) *Orator*. c. 14. Clarius ex Tullii sententia Boetius: « Locus au- « tem sedes est argumenti, vel id, unde ad propositam quaestionem « conveniens trahitur argumentum »; *De differ. Top.*, lib. I, p. 857, ed. cit.

[3]) *De diff. Top.*, lib. II, p. 185, ed. cit.

[4]) *Topic.*, c. 2. « Definitio . . . . involutum evolvit id, de quo quaeritur »; *ibid.*

[5]) *Topic.*, c. 3. « Coniugata dicuntur, quae sunt ex verbis gene- « ris eiusdem. Eiusdem autem generis verba sunt, quae orta ab uno « varie coniugantur, ut sapiens, sapienter, sapientia »; *ibid.*

« cunia , quae numerata domi est , non esse legata », quia pecunia numerata ad argentum, tamquam suum genus, pertinet [1]. Ex his , quae , exempli gratia , adduximus , patet secundum doctrinam Ciceronis 1° locos esse quosdam *terminos* , uti *definitionem*, *coniugationem verborum*, *genus*, *differentiam*, *similitudinem*, aliosque multos ; 2° hos terminos esse locos , seu sedes argumentorum, quia propositiones, quae sunt principia argumentorum , ab illorum terminorum notionibus originem , et vim sumunt. Puta, argumentum, quod Cicero, uti vidimus, a definitione duxit, innititur hac universali propositione: *definitum*, *et definitio idem valent*. Haec autem a notione definitionis efficitur ; nam, quoniam « defini« tio . . . ut modo ex Cicerone [2] vidimus, involutum « evolvit id , de quo quaeritur » , ipsa idem valet, ac definitum, cum involutum, uti per se patet, idem sit, ac illud, a quo evolvitur. Contra ea , Aristoteles terminis, ad quos propositiones spectant , enumerandis haud contentus fuit , sed propositiones quasque nobis exhibuit , quae ab illis ducuntur. Puta, ut de eodem loco definitionis dicamus, ipse tres , ut suo loco videbimus , propositiones universales statuit , easque opportunis exemplis illustravit. Quarum unam , e. g. , hic adducimus , nempe, quod non convenit subiecti definitioni, ne subiecto quidem convenit. Ita si quaeratur , an invidus sit honestus, ex definitione invidi, atque invidiae cognoscere licet honestum non esse invidum. Namque , si invidia est aegritudo , quae e rebus secundis viri boni oritur, invidusque est , qui illa aegritudine laborat, consequitur honestum non esse invidum , quia turpis certe is est, in quem illa aegritudo cadit [3].

Tulliana haec loci notio , cum , uti exempla iam al-

[1]) « Forma enim a genere, quoad suum nomen retinet, nunquam « seiungitur. Numerata autem pecunia nomen argenti retinet.Lega« ta igitur videtur »; *Ibid.*

[2]) Pag. praec., not. 4.

[3]) *Topic.*, lib.II, c. 2, § 3.

lata, satis commonstrant, potius ad Oratorum, quam ad Philosophorum commodum, spectet [1], rethoribus probata fuit. Certe, omnium princeps Quintilianus eamdem, ac Tullius, mancam, et vagam definitionem loci confecit, et fere eosdem, ac ipse, locos recensuit. Lubet verba exscribere, quibus loci definitionem illustravit: « Locos « appello . . . *sedes argumentorum*, *in quibus latent*, « *et ex quibus sunt petenda*. Nam ut in terra non omni « generantur omnia, nec avem, aut feram reperias, ubi « quaeque nasci, aut morari soleat, ignarus: et pi- « scium quoque genera alia planis gaudent, alia saxo- « sis regionibus etiam, littoribusque discreta sunt, nec « *helopem* nostro mari, aut scarum ducas: ita non o- « mne argumentum undique venit: ideoque non passim « quaerendum est. Multus alioqui error est: et exhau- « sto labore, quod non ratione scrutabimur, non pote- « rimus invenire, nisi casu. At si scierimus ubi quidque « nascatur, cum ad locum ventum erit, facile quod in « eo est, pervidebimus [2] ».

Sed Themistius, qui, post Ciceronem, et graecos interpretes, in primisque Alexandrum Aphrod., de *locis* egit, doctrinam aristoteliam *locorum* perficere studuit. Quae de definitione *loci* tradidit, digna notatu sunt, quia nexum exhibent, quo ambae definitiones, tulliana, ac aristotelica, continentur. Quandoquidem autem admodum probabile est Themistium scrinia compilasse illorum aristotelicorum, qui a Theophrasto ad Ciceronem floruere, inde quoque patescet, quomodo Cicero ex *Topicis* Ari-

---

[1]) Cons. Bauhamauer, *De aristotelia vi* etc., p.64,ed cit. Ciceronem nullum opus, quod ad dialecticam proprie spectat, concinnasse inter omnes fere eruditos convenit. Cf Kuehner, *De dialectica Ciceronis*, p. 42, ed. cit., et Stahr, *Aristoteles ap. Rom.*, p.43, ed.cit.

[2]) *Instit. Orat.*, lib. V, c.10, ed. Burmannus, Lugd. Batav. 1720. Rex explorata eruditis est praecipuum fontem *Institutionum Orat.* fuisse illud opus Tullii, sane praestantissimum,quod *De Oratore* inscribitur. Cf Carolum Van Heusde, *Op. cit.*, c. 4, p. 215, Traiecti ad Rhenum 1836.

stotelis suam definitionem loci conficere potuerit. Adeundus hoc in loco nobis est Boëtius, qui, uti dictum est [1], doctrinam Themistii de loci definitione nobis tradidit.

Itaque Boëtius veluti rem certam, atque omni controversia exemtam statuit locos esse vel propositiones maximas, vel maximarum propositionum differentias. « Argumenti enim, ait, sedes, partim propositio maxima « intelligi potest, partim maximae propositionis differen« tia [2] ». Quod ut facile, luculenterque evinceret, propositiones universales, seu *maximas*, earumque differentias definivit, opportunisque exemplis declaravit hoc modo : Propositiones maximae, et principales eae sunt, quae, cum per se notae sint, non solum non indigent demonstratione, ut fidem habeant, sed etiam principia sunt, ex quibus aliae propositiones per se non notae demonstrantur, et fidem adquirunt. Iamvero, huiusmodi propositiones esse *locos*, sive *sedes* argumentorum haud difficile intellectu est. Etenim, cum proprium argumenti officium sit rebus dubiis fidem conciliare, liquet ea locos argumentorum dicenda esse, quae, cum ex se perspicua sint, rebus per se non perspicuis, et demonstratione indigentibus fidem adiungere valent. Atqui huiusmodi sunt, ut modo vidimus, omnes propositiones maximae, et principales. Ergo loci sunt propositiones maximae, et principales. E. g., haec propositio: *Quorum diversa est definitio, ea diversa sunt*, est maxima, et principalis, quia ipsa tum cuilibet scienti, quid sit definitio, est nota, tum principium est, ex quo diversitas enunciationum, quarum subiecta diversas definitiones, sive essentias habent, probari

[1]) P. 146, not. 2.

[2]) *De diff. top.*, lib. II, p. 865.

[3]) « Nam, ait Boëtius, si argumentum est, quod rei dubiae facit « fidem, idque notius, et probabilius esse oportet, quam illud est, « quod probatur: necesse est, ut argumentis omnibus illa maximam « fidem tribuant, quae ita per se nota sunt, ut aliena probatione non « egeant » ; *ibid.*

potest. Iam, quandoquidem illa propositio maxima est principium, ex quo aliquae propositiones demonstrantur, consequitur ipsam esse verum, germanumque *locum*, quippe quod ab ea petere licet argumenta, quae demonstrationi inserviunt, atque ad ignoti inventionem ducunt. Et sane, ut argumento ante allato insistamus, ab hac propositione : *Quorum diversa est definitio, ea diversa sunt*, licet conficere hoc argumentum, quo honestum non esse invidum luculenter evincitur. *Invidus est, qui de rebus secundis boni viri dolet; atqui honestus is non est, qui de rebus secundis boni viri dolet; ergo honestus non est invidus.* Hocce argumentum ex eo vim sumit, quod alia est definitio *invidi*, alia autem *honesti*, proindeque ipsum ex illa propositione : *Quorum definitio est diversa, ea sunt inter se diversa*, ceu e primo, et communi fonte, promanat.

Illud advertendum est propositiones maximas, quae officio locorum funguntur, duplicis generis esse; si quidem propositio maxima interdum intra ipsius argumenti, cuius locus est, ambitum includitur, interdum autem argumenti ambitu non continetur, sed vim ipsi largitur. E re est exscribere verba, quibus idem Boëtius hanc distinctionem luculenter exposuit. « Has autem (*propositiones maximas*), inquit, aliquoties quidem in ipsis « syllogismis, atque argumentationibus inhaerere con- « spicimus, aliae vero in ipsis quidem argumentatio- « nibus minime continentur, vim tamen argumentatio- « nibus subministrant : ut si velimus ostendere regnum « melius esse, quam consulatum, dicemus : Regnum, « cum sit bonum, diuturnius est, quam consulatus. « Omne vero, quod est diuturnius bonum, melius est « eo, quod parvi est temporis : regnum igitur melius « est consulatu. Hic igitur maxima propositio, atque u- « niversalis, et per se cognita, neque indigens probatio- « ne, argumentationi inserta est. Ea vero est : omnia, « quae diuturniora sunt bona, meliora esse his, quae sunt « temporis brevitate constricta. At si velimus ostendere

« non esse invidum, qui sapiens sit, dicamus : Invidus « est, qui moeret aliena felicitate, non autem sapiens est, « quem felicitas aliena contristat. Non est igitur invi- « dus sapiens, hic maxima propositio argumentationi « non videtur inclusa, sed extrinsecus posita, syllogi- « smo tamen vires ministrat. Haec vero est, quorum « diversae sunt definitiones, diversas esse substantias ne- « cesse est [1] ». Averroes hanc doctrinam Themistio tribuit, quia hic docuit locos esse praemissas syllogismorum, sed has interdum in illis inveniri *secundum se*, interdum *sua sententia et potestate* [2].

Iam ex dictis intelligitur propositiones, quae *loci*, seu *sedes* argumentorum sunt, esse, et vocari *maximas*, quia ceteras propositiones, quae ex illa vim mutuantur suam, continent [3].

Loci sunt, Themistii iudicio, non solum propositiones maximae, quas explicuimus, sed etiam harum differentiae. Differentiae propositionum maximarum, ut cuique facile patet, sunt notae essentiales, quibus propositiones maximae inter sese differunt. Quin hae differentiae re ipsa dentur, et loci argumentorum sint, dubitari neutiquam potest. Et primo, quoniam propositiones maximae et plurimae, et diversae sunt, oportet, ut ex aliqua proprietate ab se disiungantur, propter quam una illarum non est altera. Hae proprietates, quia sunt eiusmodi, ut propositiones maximae ab se secundum essentiam distinguantur, ideo differentiae ipsarum propositionum merito dicuntur. Ita, illa propositio maxima : *Si contrarium contrario inest, et contrarium contrario*, ex qua, tamquam loco, *bonum iuvare* probavimus [4], ab illa alia propositione maxima : *Quorum diversa est de-*

---

[1]) *Commentariorum in Topica Ciceronis* lib. I, *Opp.* ed. cit., p. 765.

[2]) *Tract.* cit., fol. 28 *recto*, ed. cit.

[3]) « Ideo et universales et maximae propositiones loci sunt dictae, « quoniam ipsae sunt, quae continent caeteras propositiones, et per « eas fit consequens et rata conclusio »; *De diff. top.*, lib. I, p. 865.

[4]) Vid. p. 288.

finitio, *ea diversa ab se sunt*, ex qua ostendimus *honestum non esse invidum* [1], secundum essentiam differt, quippe quod illa notioni *contrariorum*, haec notioni *definitionis* innititur. Quocirca *contraria*, et *definitio*, et quod ad alias propositiones maximas, attinet *genus*, *species*, *similitudo*, aliaque huiusmodi *differentiae propositionum maximarum* sunt. Hoc ex Themistii, et Boëtii sententia Cassiodorus luculenter exposuit his paucis: « Omnes « enim maximae propositiones, vel definitiones, in eo « quod sunt maximae, non differunt : sed in eo quod « hae quidem a definitione, illae vero a genere, vel a- « liae veniunt ab aliis locis, et his iure differre, hae- « que earum differentiae esse dicuntur [2] ». Secundo, differentiae propositionum maximarum veri, germanique loci sunt. Namque, cum quaelibet res ex essentia sua constituatur, liquet, si propositiones maximae sunt loci, locos quoque esse oportere differentias, ex quibus ipsae constituuntur, atque ab se invicem discriminantur. Audiamus ipsum Boëtium: « Cum enim sint plurimae pro- « positiones, quae maximae vocantur, haeque sint inter « se dissimiles, quibuscumque differentiis inter se discre- « pant, eas omnes locos vocamus. Nam, si ipsae pro- « positiones maximae argumentorum loci sunt, et diffe- « rentias earum argumentorum locos esse necesse est. « Nam uniuscuiusque substantia ex propriis differentiis « constat, ut hominis ex rationalitate, quae est eius « differentia [3] ».

Postquam notiones utriusque generis locorum explicatae sunt, haud difficile est intelligere locos, qui ducuntur a maximarum propositionum differentiis, pauciores illis esse, qui ab ipsis propositionibus maximis ducuntur. Et sane, quae sunt magis universalia, sunt illis

---

[1]) Vid. p. 294.

[2]) *De locis dialecticis*, *Opp.* t. II, p. 547, ed. cit.

[3]) *Opp. cit.* ibid. Cf etiam de duplici hoc genere locorum *Comment. in Top. Cic.*, lib. I, p. 765 sq.

pauciora, quae minus universalia sunt ; si quidem, uti ex iis, quae alibi diximus, patescit, in magis universali plura minus universali *potestate* continentur. Iamvero, differentiae propositionum maximarum magis universales sunt, quam ipsae propositiones maximae ; si quidem per unam differentiam non una, sed plures propositiones maximae ab aliis, quae ad diversam pertinent differentiam, distinguuntur. Puta, locus, qui *a contrariis* ducitur, unus est, sed, quia contrariorum plures species sunt, pluresque eiusdem speciei affectiones, plures quoque, ut paulo post dicemus, sunt loci, seu propositiones maximae, quae ad locum *a contrariis* ductum, veluti ad differentiam suam, reducuntur. « Et hi loci, idem Boëtius subdit, qui sunt differentiae propositionum ipsis propositionibus universaliores exi« stunt. . . . . Atque ideo pauciores esse deprehendun« tur hi loci, qui in differentiis positi sunt, quam « propositiones ipsae, quarum sunt differentiae. Omnia « enim, quae universaliora sunt, pauciora semper esse « contingit [1] ».

Quae cum ita sint, primo facile perspicitur, quid differant loci Aristotelis a locis Ciceronis. « Aristoteles nam« que, ut ait idem Boëtius, de maximis propositionibus « disserit: has enim locos argumentorum esse posuit. . . « Tullius vero locos non maximas propositiones, sed « earum continentes differentias vocat, ac de his doce« re contendit [2] ». Secundo, intelligitur, quomodo a locis Aristotelis ad locos Ciceronis progressus fieri potuerit ; hunc enim cum ex ipsa natura locorum aristoteliorum, tum ex historia coniicere facile licet. Ex prima quidem, quia, si loci, secundum Aristotelem, sunt quaedam propositiones maximae, et principales, necesse est, quemadmodum ostendimus, ut etiam differentiae harum propositionum maximarum loci sint. A

---

[1]) *De diff. top.*, lib. II, p. 865, ed. cit.
[2]) In *Topica Cic. Comm.*, lib. I, p. 767, ed. cit.

secunda autem, quia, praeterquam quod Aristoteles differentias propositionum, quae loci sunt, et ipsas esse locos, licet obscure, innuerat, doctrina Themistii argumento satis firmo est divisionem locorum in propositiones maximas, et in differentias propositionum maximarum apud graecos aristoteleos iam ante Ciceronem invaluisse. Quare verisimile est Ciceronem, cum *Topica* ad Oratorum commodum scripsisset, neglectis propositionibus maximis, differentias illarum retinuisse, quae et vulgi captui accommodatiores, et numero pauciores sunt.

In antiqua historia definitionis, divisionisque locorum enarranda non alios, quam Aristotelem, Ciceronem, et Themistium nominavimus, quia apud reliquos et philosophos, et rethores fere nihil novi nobis occurrit. Ab aliis enim, uti plerisque peripateticis, recensio locorum aristotelica, ab aliis vero, iisque praesertim rethoribus ciceroniana, ab aliis denique utraque, secundum Themistii doctrinam, exposita, propugnataque fuit. Vt mentionem nonnullorum faciamus, inter philosophos aristoteleos Alexander Aphrod., qui longe ante Themistium floruit, nonnisi Aristotelis doctrinam explicuit, et de ipsa ex eo potissimum capite meruit, quod definitionem loci a Theophrasto traditam non semel retulit, et declaravit [1]. Boëtius doctrinam locorum secundum Themistium explicuit, in eoque valde adlaboravit, ut ciceronianam locorum recensionem cum aristotelica componeret [2]. Quod ad rethores attinet, Quintilianus, qui inter latinos excelluit, definitionem loci a Cicerone concinnatam repetivit, atque in recensione locorum vix aliquid immutavit [3]. Rethores autem graeci Hermoge-

[1]) Vid. II. cit. p. 287.

[2]) Libros, quos de locorum doctrina scripsit citavimus p. 148, not. 2 et 3. Cf Suringar, *De Anicio Manl. Sever. Boethio Ciceronis interprete*, in *Hist. crit. Scholiastarum latinorum*, pars I, p. 170-188, Lugd. Batav. 1814.

[3]) *Inst. Orat.*, lib. V, c. X, ed. cit.

nes [3], necnon Aphthonius [4], Theon [5], ac ceteri doctrinae Hermogenis explanatores usque ad Georg. Pachymerem, qui, vertente saec. XIII, floruit [6], non minus, quam latini, ab Aristotelis doctrina recedentes ad ciceronianam accesserunt. Illud notandum est locum apud Hermogenem, eiusque discipulos iam eo modo definitum inveniri, quo a multis recentibus perperam acceptus est, scilicet *amplificationem alicuius rei concessae*, αὔξησιν τοῦ ὁμολογουμένου, puta alicuius virtutis, aut vitii. Re vera, Hermogenes locum ita definivit: *Locus, qui communis dicitur, est amplificatio rei concessae* [7]. Latiores, sed luculentiores sunt definitiones Aphthonii [8], Theonis [9], et Anonymi [10], quae ad idem recidunt. Sit ceterarum in-

---

[1]) *Progymnasmata*, c. VI, Περὶ κοινοῦ τόπου, apud Walz, *Rethores graeci*, t. I, p. 29, Stutgartiae, et Tubingae 1832. Ipse circa tempora Antonini Imperatoris vixit. Vid. Fabricium, *Biblioth. graec.*, lib. IV, c. XXXIII, n. IV, vol. VI, p. 69, ed. Harles; et Schoell, *Storia della lett. grec. prof.*, lib. V, c. 58, vol. IV, part. 1, p. 174-176, ed. cit.—Προγυμνάσματα a Prisciano *Praeexercitamenta* latine reddita sunt. Hic enim Progymnasmata Hermogenis vertit hoc titulo: *Praeexercitamenta rethorices ex Hermogene*, quae post alios nuper evulgavit Krehl in vol. II *Operum Prisciani*, Lipsiae 1820.

[2]) *Progymnasmata*, c. VII, apud eumdem Walz, t. cit., p. 80, et 81. De hoc, quem post Hermogenem vixisse inter eruditos convenit, consule quoque Fabric., *Op. cit.*, lib., et c. citt., n. XIII, vol. cit., p. 94, et Schoell, *Op. cit.* ibid., p. 176-178.

[3]) *Progymnasmata*, c. VII, Περὶ τόπου, apud Walz, t. cit., p. 222. Coniecturas de hoc incertae aetatis rethore videsis apud laud. Fabric., *Op. cit.*, lib., et c. cit., n. XIV, vol. cit. p. 97, et Schoell, *Op. cit.*, p. 178, et 179.

[4]) *Commentationes in progymnasmata*, c. VI, apud Walz, t. cit., p. 561 sqq. Cons. eumdem Fabricium, lib. V, c. I, t. VII, p. 775, ed. cit. Quod ad reliquos rethores graecos, fere omnes Scholiastas, attinet, videre licet laudatum Walzium, *Rethores Graeci*, 9 voll. in-8°, loc. cit., 1832-1836.

[5]) Ὁ κοινὸς τόπος προσαγορευόμενος αὔξησιν ἔχει τοῦ ὁμολογουμένου πράγματος, *Op. cit.*, *ibid.*

[6]) *Op. cit.*, ibid. —[7]) *Op. cit.*, ibid.

[8]) *De Aphthonii progymnasmatis*, sive *Epitome progym. Aphthonii*, apud Walz, t. I, p. 132.

star haec definitio Theonis : *Locus est sermo, quo aliquid concessum amplificatur, sive sit flagitium; sive facinus forti viro dignum* [1].

Inter Arabes, qui libros *Topicorum* interpretati sunt, Averroes commemorandus est. Hic enim non solum definitionem loci, quam Theophrastus confecit, atque Alexander Aphrod. approbavit, retinuit, sed illam, uti ante innuimus, e laudato loco *Rethoric.* Aristotelis haustam esse contendit. Itaque *Locus*, eius sententia, *est principium quoddam, et elementum, a quo sumuntur propositiones cuiuslibet syllogismorum, qui fiunt de problematibus particularibus in unaquaque arte* [2]. Hanc autem notionem loci, in tractatu, quem *Commentariis in lib. I Topic.* adiecit, luculenter explicuit, et defendit [3]. Inter Scholasticos Petrus Hispanus in suis *Summis logic.*, quae, uti ante diximus, diu in Scholis Occidentis obtinuerunt, notionem, et divisionem locorum ex Aristotelis, et Ciceronis, prout a Boëtio post Themistium tradita fuerat, explanavit. « Locus, ipse scribit, dividitur in locum ma« ximam, et in locum differentiam maximae [4] ».

---

[1]) Τόπος ἐστὶ λόγος αὐξητικὸς ὁμολογουμένου πράγματος, ἤτοι ἁμαρτήματος, ἢ ἀνδραγαθήματος; *Op.cit.* ibid. Haec falsa explicatio loci fortasse ex eo derivata est, quod αὔξησις, nempe *amplificatio*, ut Tullius adverterat, in locis, qui communes dicuntur, maxime excellit. Cicero enim saepe docuit duas esse *maxime actuosas* partes orationis, nempe θέσιν, qua quaestio a propriis personis, et temporibus ad universi generis orationem traducitur (*Orator.*, c. 14, et 36), veluti in *Orat. pro Mil.*, *num liceat occidere iniustum aggressorem*, et αὔξησιν, qua res in quaestionem adductae augentur, amplificanturque. « Quae « (αὔξησις), subdit, etsi aequaliter toto corpore orationis fusa esse de« bet, tamen in communibus locis maxime excellet » (*Op.cit.*, c. 36). Et sane, loci, quippe qui sunt propositiones maxime universales oratori commoditatem dilatandae orationis quam maximam praebent. De duabus partibus orationis, quas diximus, legesis eumdem Tullium, *De Orat.*, lib. I, c. 31, lib. II, c. 15, et lib. III, c. 30; *De invent.*, lib. I, c. 6; *De finib.*, lib. IV, c. 3, et *Partit. Orat.*, c. 18.

[2]) *Tract.* cit., fol. 27 *recto*, ed. cit.

[3]) *Opp.* t. I, pars III, fol. 27, 30, ed. cit.

[4]) *Tract.* V, c. 1, ed. cit.

Albertus M., qui, unus omnium principum Scholae Doctorum, longum, accuratumque de locis tractatum scripsit [1], a doctrina Aristotelis ne latum quidem unguem discessit, nihilque idcirco tradidit, quod ad notionem loci declarandam conferat [2].

In recenti aetate notio loci, perinde ac pleraeque partes *Organi*, ab Aristotelis adversariis perturbata, corruptaque est. Rud. Agricola, ne de Laur. Valla, qui hanc rem vix attigit, dicamus [3], locos, secundum Ciceronem, et Quintilianum, *sedes argumentorum* esse dixit, et, definitione Aristotelis, ceterisque, quae Aristoteles ad ipsam evolvendam docuit, reiectis [4], locum ex Ciceronis, et Themistii doctrina definivit hoc modo: « Non aliud ergo est locus, quam communis quaedam nota, cuius « admonitu quid in unaquaque re probabile sit, potest « inveniri [5] », et fere secundum Ciceronem locos enumeravit [6], descripsitque [7]. Illud in eius *De Invent. dial.* opere notandum est, quod non solum voces, quae *locos* designant enumeravit, et explicuit, sed regulas quoque tradidit, quarum ope ab illis vocibus propositiones ad solutionem omnium quaestionum requisitae educi possunt [8]. Lud. Vives, qui, ut diximus, topicae aristoteliae tullianam longe praetulit [9], adeo vagam, obscuramque *loci* notionem tradidit, ut se in logicae inventricis notitia valde rudem praeberet. Ipse ait, « quae dicun« tur τοπικὰ, locos vocant, et ceu thesauros argumento« rum, cum ipsi argumentorum nihil habeant: neque

---

[1]) Nemo sane ignorat nullos e s. Thomae, et Scoti extare commentarios, qui ad topicam pertinent.

[2]) Vid. *Topic. libri octo*, Prooemium, *Opp.* t.I, p. 658 sqq, ed.cit.

[3]) Vid. p. 150.

[4]) *De inv. dial.*, lib. I, c. 3, fol. 13 *recto* sqq, Venetiis 1559.

[5]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 2, fol. 11 *recto*.

[6]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 4, fol. 18-20.

[7]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 5 sqq.

[8]) *Op. cit.*, lib. II, c. 26-30, fol. 216 *verso* sqq, sed presertim c. 28, fol. 223, sqq.

[9]) Vid. p. 150.

« enim hi loci sunt pixides, quibus continentur phar-
« maca, sed pixidum indices [1] ». Idem de Phil. Melan-
chthone dicendum est. Hic enim, quamvis universam philosophiam Aristotelis [2], in primisque dialecticam [3] valde commendasset, in sua tamen *Dialectica*, quae usque ad Thomasii, et Leibnitii aetatem in Scholis Protestantium explicata fuit [4], definitionem locorum concinna-

---

[1]) *De causis corruptarum artium*, lib. III, p. 107, Neapoli 1764.

[2]) « Eruditam, ait, philosophiam requiro, non illas cavillationes, « quibus nullae res subsunt. Ideo dixi unum quoddam philosophiae « genus eligendum esse, quod quam minimum habeat sophistices, « et iustam methodum retineat. Talis est Aristotelis doctrina »; *De util. phil.*, *Declamationum* t. I, p. 336, Argentorati, et Vitembergae 1584-1586. Cf ea, quae fusius de hac re disseruit cum in *Vita Platonis*, *Declamat.* t. II, p. 370, tum in *Vita Aristotelis*, *Declamat.* t. III, p. 371 sqq.

[3]) Ipse monuit: « Constare inter omnes, maxime nobis in Eccle-
« sia opus esse dialectica, quae methodus recte informat, quae dex-
« tre definit, iuste partitur, apte connectit, iudicat, et divellit mon-
« strosas connexiones. Hanc artem, qui non norunt, lacerant mate-
« rias explicandas, ut catuli panniculos ». Adiecit « huius artis prae-
« cepta nusquam tradere Platonem », sed optime quidem tradita in Aristotele inveniri; unde ait: « Carere Asistotelis monumentis non « possumus » (*Vita Arist.*, l. cit.). In *Vita Platonis* de Aristotele scripsit, « quod dialectica integra sint ».

[4]) Satis est hac de re legere Christ. Heumannum, *Acta Philosophorum*, pars X, n. 3, et 4, p. 579 sqq, et Herm. ab Elswich, *Schediasma* etc., quod in *Introd* p. 83, not. 4, laudavimus, vel qui breviter hanc rem enarravit, Buddeum, *Compendium hist. phil.*, c. 6, § 5, p. 382-384, ed. cit. Bruckerus vehementer redarguit Melanchthonem, quod Aristoteles, eius opera, in Scholis Protestantium caput extulit, et ducentos circiter annos regnavit (*Hist. crit. phil.*, Period. III, pars I, lib. II, c. I, § II, et c. 3, § 32, et 34, t. IV, pars I, p. 102, 240, et 247, ed. cit.) Sed Saint-Hilaireus iure observavit eum oppido deceptum esse, quia dialectica Aristotelis, praeterquam quod plurimum ad cunctarum scientiarum studium confert, Theologis Reformatis necessaria erat, ut pugnam cum Catholicis committerent (*La log. d' Arist.*, part. III, sect. 3, c. 11, t. II, p. 341). Perperam vero cl. hic historicus asseruit Melanchthonem re ipsa multo magis Platoni, quam Aristoteli, addictum fuisse (*ibid.*); si quidem rem aliter se habere vel duae solae *Declamationes*, de *Vita Platonis*, et de *Vita Aristotelis*, quarum mentionem modo fecimus, ostendunt. Dolemus

vit, quae doctrinam aristotelicam minime prae se fert. « Loci, ait, sunt veluti signa quaedam, quibus rerum, « quae dici, tractarique debent, capita indicantur [1] ».

Ab Agricola, Vivesio, et Melanchthone haud multum dissensit P. Ramus. Qui quidem non solum contra dialecticam, sed etiam contra historiam hac in re peccavit; namque locos *argumentorum praecepta* [2] perperam definivit, et locos, ceu *praeceptiones*, et *argumentorum quasi notas* habitas fuisse falso putavit [3]. Reiectis vero, ceu nugis, ineptiisque, et magna ex parte confutatis *locis* Aristotelis [4], enumerationem ciceronianam fere secutus est [5].

Haec fuit fortuna *locorum* dialecticorum in Scholis Catholicorum, et Protestantium usque ad Cartesii aeta-

---

quoque Saint-Hilaireum Melanchthonem ex eo etiam excusasse, quod Aristotelem *purum*, sive, ut aiunt, a sordibus philosophiae scholasticae purgatum, sectatus fuit. Nam, praeterquam quod id, ut in toto hoc opere ostendemus, falsum est, ipse turpiter sibi contradixit, quia Scholasticos de philosophia Aristotelis egregie meritos esse saepe scripsit (*Op.cit.*, Part. III, sect. 3, c.10, t. II, p. 223 sqq), et praesertim eorum merita de logica Aristotelis recensuit ibid. p. 231.

[1]) *Dialect.*, lib. IV, p. 168 sqq, Argentorati 1545. Ex hac, ne de multis aliis in hoc nostro opere notandis dicamus, praepostera doctrinae aristotelicae interpretatione facile perspicitur, quanta iniuria Melanchthon, aliique recentes de corrupta Aristotelis philosophia Scholasticos redarguerint. Certe, si superbi isti novatores volumina Scholasticorum diligentius, quam factitarunt, evolvissent, multos errores in placitis Stagiritae interpretandis vitassent.

[2]) « Locos vero, scribit, argumentorum intellige praecepta »; *Scholae dialecticae*, lib. XI, c. 1, p. 484, Francofurti 1581.

[3]) « Aristoteles dialecticae inventricis praeceptiones τοπους nomi- « navit: ut si cui aurum quod esset multifariam defossum, com- « monstrare velles, signa ostenderes locorum, quibus cognitis, ille « sibi ipse foderet, et id, quod vellet, sine errore erueret, sic has « Aristoteles argumentorum, quasi notas, locos appellavit, quia ar- « gumenta quaerenti demonstrarent, ubi essent »; *Animadversionum Aristotelicarum libri XX*, lib. IX, p. 222, Lutetiae 1548.

[4]) *Schol. dial.*, lib. XI-XVIII, p. 483-546, ed. cit.

[5]) *Scholae in liberal. artes*, col. 210, ed. cit., et *Dialectique*, p. 69, ed. cit.

tem. Post Cartesium, uti ante innuimus [1], istud caput logicae aristotelico-scholasticae, perinde ac alia non pauca, in Institutionibus logicae vel nullum, vel valde exiguum locum habuit, atque huiusmodi mos, quod certe mirere, apud nonnullos philosophiae scholasticae fautores, ac explanatores quoque obtinuit [2]. Huius negligentiae ratio, quae paucos quoque antiquos Philosophos ad tractationem locorum negligendam permovit, ea fuit, quod doctrinam locorum, ut mox dicemus, potiori iure ad rethores, quam ad philosophos, spectare perperam sibi persuaserunt.

Frustra vero ab hodiernis logices aristotelicae vel interpretibus, vel expositoribus, quos saepe nominavimus, quidquam certi, perspicuique ad notionem *loci* intelligendam expostulares. Nam Trendelenburgius in exiguis, sed accuratis, eruditisque *Elementis logicae aristoteleae*, quae pluries evulgavit, non solum recensionem locorum omisit, sed ne ullam quidem notionem loci exhibuit, et Waitzius in suo erudito *Commentario in Topica*, quo saepe utimur, nuspiam accuratam definitionem loci dedit, nec diversas definitiones veterum ad examen revocavit. Saint-Hilaireus autem in longa expositione *Organi*, quam Academia Reg. Paris. praemio donavit, definitionem ciceronianam loci Aristoteli sine ulla haesitatione tribuit, et, quod incredibile est, testem appellavit ipsum Theophrastum, qui, ut vidimus, longe aliter, ac Cicero, *locum* definivit [3]. Idem dicendum est de Ad. Franckio, qui cum Saint-Hilaireo de praemio contendit; hic enim no-

[1]) P. 152. — [2]) P. cit., not. 2.

[3]) « Ipsa vox τοπικά, vel τόποι parum difficultatis prae se fert. Nam, « quemadmodum Cicero, et longe ante illum Theophrastus adverte« rant, *loci* appellabantur notiones universales, ex quibus ducuntur « argumenta, et quae horum receptaculum sunt: *sedes argumento*« *rum* »; *De la logique d'Aristote*, part. I, c. 10, t. I, p. 110, ed. cit. Attamen idem Auctor in *Adnott.* ad Log. Arist. probavit definitionem Theophrasti, quam Alex. Aphrod. tradidit, et nos supra excripsimus. Vid. *La logiq. d' Arist.*, trad. etc., *Topiques*, liv. I, c. 1, t. IV, p. 1 sq, ed. cit.

tionem loci apud Aristotelem esse obscuram, sed ex definitione ciceroniana commode explicari putavit [1].

Expositis diversis circa notionem *loci*, aliaque, quae ad ipsam spectant, Philosophorum, et Rethorum opinionibus, necesse nunc est, ut quid de illis sentiendum nobis esse videatur, paucis aperiamus. Principio certum, nostra quidem sententia, est definitionem, quam Theophrastus ex pronunciatis Aristotelis confecit, et post Alexandrum Aphrod. politiores Peripatetici probarunt, longe illi praestare, quam secundum Ciceronem non pauci veteres, et recentes, iique praesertim rethores tradiderunt, proindeque recensionem locorum Aristotelicam tullianae esse praeferendam. Id ab expositoribus Academiae Venetae, quos iam laudavimus, breviter, sed luculenter, invicteque demonstratum fuit. Hi, postquam discrimen, quod inter definitionem aristotelicam, et tullianam intercedit, iam a nobis relatum, explicarunt, argumentati sunt fere hoc modo: Loci, secundum Aristotelem, sunt *propositiones universales manifestae*, *et notae*, quae, cum sint indeterminatae, plures alias propositiones *potentia* continent; secundum Ciceronem vero sunt dumtaxat *termini*, in quos illae colliguntur, et ex quibus, cum opus fuerit, eliciuntur. Iam valde perspicuum est propositiones universales, quas *maximas* Boëtius post Themistium vocavit, locos ad veritatem inveniendam commodiores esse, quam terminos, qui *notae*, seu *sedes* argumentorum sunt. Nam, quoniam omnis inventio veri, argumentorum ope, fit, consequitur illos locos ad veritatem inveniendam esse commodiores, qui breviorem, facilioremque viam investigatori veritatis ad argumenta conficienda sternunt. Atqui propositiones universales longe breviorem, facilioremque viam, quam termini, seu notae, ex quibus ipsae elici possunt, veritatis investigatori sternunt. Enimvero, cum omne argumentum ex propositionibus constet, ii, qui terminos tantum, ceu locos inventionis

[1]) *Esquisse d'une histoire de la logiq.*, p. 132, et 133, Paris 1838.

noscunt, debent primo propositiones ex illis elicere, quae ad rem suam faciunt, deinde propositiones inde erutas ad argumentum conficiendum adhibere. E contrario, ii, qui cunctas propositiones generales, ad aliquem terminum universalem, seu notam pertinentes, prae oculis habent, possunt, harum praesidio, quoties opus fuerit, statim argumenta concinnare, quin non parum difficilem, et longum laborem propositiones sibi conficiendi perferant. Multo igitur melius Aristoteles scientiarum cultoribus, et disputatoribus consuluit, quod non terminos, qui notae sunt argumentorum, enumeravit, sed ex illis propositiones, quas continent, eduxit, ac prae oculis omnium posuit. Quis enim aliquem illorum terminorum prae oculis habens potest immediate ex illo propositionem probabilem eruere, quae vim axiomatis habeat, atque ex hac praemissas conficere, quae ad solutionem propositae quaestionis ducant? [1] Hactenus argumentationem Academicorum Venetorum exposuimus. Quam arduum re ipsa sit ex terminis, quos Tullius veluti notas argumentorum, seu *locos* designavit, propositiones generales, seu *maximas*, elicere, quae principia argumentorum sunt, ex dicendis patescet. In praesentia uni exemplo afferendo contenti erimus, quod obvium omnibus est. Si cui proponatur quaestio solvenda, quam antea ex Cicerone attulimus [2], scilicet num mulieri, cui legatum est omne argentum, legata dicenda sit pecunia numerata, quae domi relicta est, potest ipse ad eius solutionem *locum* adhibere, quem Tullius *a genere* vocavit. Sed, ut quaestionem solvat, debet principio ex notione generis elicere hanc maximam, seu propositionem universalem. *Id, quod convenit generi, convenit quoque formis, seu speciebus,*

[1]) *Op. cit.*, p. 29, et 30, ed. cit. Hanc argumentationem ex brevi loco, quem gallice redditum Eug. Thionville in opere saepe citato (c. 6, p. 95) retulit, excerpsimus, namque exemplar *Novae explanationis* etc. comparare nobis haud licuit.

[2]) P. 290, et 291.

quae illi generi subiiciuntur. Ex hac enim potest *maiorem* argumenti, sive praemissam, quae principium argumenti est, conficere, scilicet : *Cui legatum est omne argentum, pecunia numerata quoque legata est*, propterea quod *pecunia numerata* est quaedam species, sive, ut Tullius ait, *forma* argenti. Vnde existit hocce argumentum : *Cui legatum est omne argentum, pecunia numerata etiam legata est ; atqui mulieri, de qua quaestio est, omne argentum legatum est ; ergo legata etiam ipsi est pecunia numerata quae domi est relicta.*

At, si definitio tulliana *loci* definitioni aristotelicae postponenda est, omnino cavere oportet a definitione P. Rami, aliorumque, quibus locos nec propositiones universales, seu *maximas*, uti Aristoteli, nec *terminos*, uti Ciceroni, sed quaedam *praecepta*, seu *regulas* esse visum fuit. Nam locus, quocumque modo explicetur, non aliud esse potest, nisi enunciatio universalis, quae vel argumentationem ingreditur, in eaque propositionis, seu *maioris* officio fungitur, vel extra argumentationem est, sed propositioni, seu *maiori* eius vim, et fundamentum praebet, quatenus haec est quaedam illius determinatio. At praeceptum huiusmodi propositiones non continet, sed dumtaxat aliquod principium innuit, ex quo ipsae elici possunt. E. g., si dicatur, *Inquirere oportet, an definitio accidentis conveniat subiecto*, certe hoc praeceptum non praebet tres *maximas*, seu propositiones universales, quas, ut inferius videbimus, ex definitionibus subiecti, aut praedicati, aut utriusque peti posse Stagirita demonstravit, sed dumtaxat definitionem accidentis commonstrant ceu principium, ex quo illae elici possunt. Opinio Rami, aliorumque ab ipso Aristotele, cuius topicam oppugnabant, fortasse profecta est. Namque Stagirita, uti Alexander Aphrod. primus omnium advertit [1], locos interdum, et praesertim in libro secundo non veluti propositiones, sed veluti praecepta concinnavit ;

[1]) *In lib. II Topic.*, graece, ed. Ald., p. 72, Venetiis 1524.

unde Theophrastus, uti apud eumdem Alexandrum legitur [1], παράγγελμα, et τόπος, nempe *praeceptum* et *locum* ab se discrevit, docuitque, quemadmodum locus est principium argumentationis, ita praeceptum esse principium loci, seu fontem, ex quo locus hauritur. At certe nec Aristoteles, nec eius discipulus Theophrastus praeceptum cum loco confuderunt. Nam, si quando Aristoteles praeceptum pro loco posuit, exempla adiecit, ex quibus quae sint propositiones, ad illum locum pertinentes, luculentissime patescit.

Manifestum vero est longius a vera ratione loci aberrasse Hermogenem, aliosque rethores graecos, qui locum esse *amplificationem*, αὔξησιν, *rei concessae* docuerunt. Namque αὔξησις, uti ex Cicerone vidimus, secundum ipsos antiquos rethores graecos non est locus, sed est pars orationis, quae in rebus amplificandis, augendisque occupatur, et in qua usus locorum communium maxime excellit.

Praeterea tractationem locorum potiori iure ad dialecticen, quam ad rethoricen spectare indubium quoque est. Consuetudo amandandi tractatum locorum ad rethoricen longe ante Cartesium invaluit. Re vera, Lud. Vives aegre tulit nonnullos recentes Philosophos partem inventricem logices rethoribus, qui ipsam occupare adnitebantur lubenter cessisse, atque contra utrosque in haec erupit verba: « Nam, partem hanc de dialectica inventione et retho-
« res avide occuparunt tanquam suam, et dialectici ve-
« recunde cesserunt tanquam alienam, non id recenti
« vitio, ut alia permulta, sed ab ipsis Stoicis factitato,
« qui philosophorum omnium sunt acerrimi existimati[2] ». Hi, quibus Vivesius succensuit, fortasse auctoritate Occami decepti fuere, qui, uti ante dictum est, libros *Topico-*

---

[1]) *Ibid.*

[2]) *De Aristotelis Operibus Censura*, *Opp.* vol. III, p. 29, Valentiae Edetanorum 1782; cf *De caus. corrupt. artium*, lib. III, p. 105, ed. cit.

rum aristoteliorum ab *Organo* exturbandos, atque ad rethoricam amandandos esse scripsit.

Verum, hisce vehementer obstitit ipsemet Rud. Agricola, qui, ut vidimus [1], doctrina aristotelica locorum refutata, ad tullianam proxime accessit. Hic in capite *Dialecticae inventionis* ita inscripto: *Quod nulli proprii rethorices sunt inventionis loci*, demonstravit non esse munus rethoris loca argumentorum invenire, sed tantum perspicuitati, cultuique orationis consulere. « Nam si, « ait, dialectices est munus invenire, quae de re qualibet « probabiliter dicuntur (quemadmodum Aristoteles, magnique post eum senserunt authores), inventaque diiudicare: si recte, probeque doceat id dialectice, nihil « erit utique necesse novam ullam de inventione rethori inferre mentionem. Sed perspicuitas solum, compositio, cultusque orationis suus futura sunt labor [2] ». Agricolae adsensus est Melanchthon, quippe qui scribit: « Rethorica addit elocutionem inventis a Dialectica, et vel« uti ornamentis verborum, et sententiarum vestit [3] ». Ambo hi Ciceronem exscripsisse videntur, qui fere idem, ac ipsi, discrimen inter dialecticam, et rethoricam statuit. Inquit enim: « Esse igitur perfecte eloquentis puto, « non eam solum facultatem habere, quae sit eius propria, fuse, lateque dicendi, sed etiam vicinam eius, « atque finitimam dialecticorum scientiam assumere. « Quamquam aliud videtur oratio esse, aliud disputatio, nec idem loqui esse, quod dicere, attamen utrumque in disserendo est. Disputandi ratio, et loquendi dialecticorum sit: oratorum autem, dicendi, et ornandi [4] ». Nec quemquam moveat, quod Aristoteles, aliique veteres de locis in Rethorica egerunt. Namque loci rethorici apud ipsos non sunt loci communes dialecticae, nempe τόποι, sed loci rethorices proprii, seu loci communes ad materias proprias rethorum accommodati,

---

[1]) P. 301. — [2]) Fol. 19 *verso*, et 20 *recto*.
[3]) *Dialect.*, lib. I, p. 4, ed. cit. — [4]) *Orator.*, c. 32.

quos Aristoteles *species*, εἴδη, vocavit [1]. Ita ipsemet Stagirita, cum tria genera orationum dialecticarum agnovisset, nempe *deliberativum*, *iudiciale*, et *demonstrativum*, locos proprios uniuscuiusque horum generum in lib. *I Reth.* exposuit, illos nempe, qui *utile* et *perniciosum* pro deliberativo, *honestum* et *turpe* pro iudiciali, et *iustum* ac *iniustum* pro demonstrativo spectant [2]. Ad dialecticam locos pertinere post Agricolam quoque sensere Vivesius, quem modo laudavimus [3], P. Ramus [4], aliique; licet hi, perinde ac Agricola, Ciceronem plerumque secuti, potius more rethorum, quam dialecticorum, locos tractarent.

Denique inspiciendum est, num recensio locorum sit possibilis, et, si est possibilis, num inutilis, aut etiam noxia dicenda sit. Et primo, quoniam multae sunt res, circa quas loci versantur, proindeque pene innumerae propositiones generales, seu *maximae*, quas tum experientia, ususque vitae, tum meditatio, tum lectio librorum, tum denique consuetudo sapientum suppeditare nobis possunt, haud possibile nonnullis videtur has omnes colligere, ad quemdam ordinem revocare, et prae oculis habere, ut, ubi ubi opus fuerit, adhibeantur. At, qui ita ratiocinantur, rem, de qua agunt, sese haud intelligere produnt. Nam dialectica, seu topica non sibi proponit investigare εἴδη, seu omnes propositiones universales, quae circa singularum scientiarum obiecta versantur, sed tantum τόπους, hoc est, quasdam propositiones maxime universales, quae, cum ad nullum speciale

---

[1]) « Voco, ait, Species (εἴδη) quidem unuscuiusque generis pro« prias propositiones: Locos (τόπους) vero qui communes sunt simi« liter omnium »; *Reth.*, lib. I, c. 2, § 22, ed. Didot.

[2]) Lib. I, c. 2 sqq. Hinc Tullius inquit: «Sed Aristoteles is, quem « maxime ego admiror, proposuit quosdam locos, ex quibus omnis « argumentatio, non modo ad philosophorum disputationem, sed ad « hanc, qua in causis utimur, inveniretur »; *De Orat.*, lib. II, c. 36.

[3]) P. 308.

[4]) Certe, hic in cunctis libris logicae, quorum plerosque passi m citavimus, de locis egit.

obiectum coarctentur, obiectis singularum scientiarum facile accommodantur, facultatemque inveniendi εἴδη, seu locos proprios singularum scientiarum intellectui praebent. Τόπους vero, seu locos communes ad speciales materias accommodare, ac εἴδη, seu locos proprios uniuscuiusque scientiae invenire ad illos spectat, qui illi speciali scientiae student. Baco, ut diximus [1], optavit, ut, praeter topicam generalem, topicae speciales pro singulis scientiis conderentur. At nos ei iam reposuimus [2] dubitari non posse, quin ad facilem cuiuslibet scientiae assecutionem topica propria eius valde utilis sit, sed hoc non dialectici, sed specialis scientiae cultorum munus esse oportere. Dialecticus enim non aliud agere debet, nisi ut propositiones, quas experientia, meditatione, aliisque iam dictis instrumentis adiutus novit, a singularibus materiis abstrahat, et maxime universales propositiones efficiat, quae loci communes omnium scientiarum esse possunt. Id primus Philosophorum, quantum constat, Aristoteles aggressus est, adeoque laudabili ratione perfecit, ut nihil, quod philosophi, aut rethoris intersit, in eius opere hactenus emendatum, aut additum sit. Itaque recensio locorum, si recte intelligatur, non modo possibilis, sed iam perfecta est.

Quod si ii decipiuntur, quibus recensio locorum haud possibilis esse videtur, eos quoque decipi dicendum est, qui vel inutilem ipsam, vel noxiam esse deblaterant. Inutilem esse nonnulli aiunt, quia, cum loci sint pronuntiata ex se evidentia, disputatoribus, et oratoribus, quoties illis opus habuerint, facile occurrent; noxiam autem quoque alii existimant, quia ipsa humanum ingenium veluti quibusdam vinculis constringit, prohibetque, quominus per regiones veri libere exspatietur. Sed utrumque falsum. Namque, quod ad primum attinet, quoniam loci sunt propositiones ex se perspicuae, inde fit, ut intellectus ipsis, quoties ei obviam fiunt, luben-

---

[1]) P. 153. — [2]) P. 159.

ter, et veluti sponte assentiatur. Ast id dialecticis, ac oratoribus ad facile disputandum, ei perorandum non suppetit, sed necesse est, ut ipsi propositiones, quae loci argumentorum sunt, omnes, quoad fieri potest, easque certo ordine dispositas prae oculis habeant, earumque usum, qua late patet, cognoscant. Hoc autem cuique solis suis viribus relicto aggredi nec plani, nec brevis laboris est. Thionvilleus, ut Stagiritam a quadam confusione, quae in eius *Topicis* invenitur, excusaret, huius operis difficultatem ostendit. « Illud, ait, in hoc magno opere « maxime nos commovere debet, quod portentosam fa- « cultatem observandi prae se fert. Quanta vi analysis « opus non fuit, ut principia, ex quibus iudicia nostra « proficiscuntur, sub sexcentas, easque diversas suas for- « mas colligerentur, et ad exiguum veritatum universa- « lium numerum revocarentur! Si operis difficultas con- « sideretur, venia danda est Aristoteli ob quamdam con- « fusionem, quae in illo invenitur. Haud difficile est in- « dicem conficere axiomatum scientiae, quippe quod haec « numero, et natura finita sunt; sed de indice axio- « matum probabilitatis res aliter se habet, quia multi « sunt fontes, ex quibus ipsa haurire opus est. Et sane, « in hisce quotidianis ratiocinationibus modo rationem « puram, modo analogiam, atque interdum nostrum « iudicium, interdum nostram conscientiam, interdum « cor nostrum consulamus oportet. Hinc topice ari- « stotelica cum aridis, abstractisque propositionibus a- « nimadversiones circa mores, et circa animi propen- « siones nobis exhibet [1] ». Idem de oratoribus sub exitum praeteriti saeculi Marmontelius iam in sua *Logica* observaverat. « Quisnam homo, scribit, quantavis in- « genii acie polleat, pro certo habere potest, sibi solis « suis cogitandi viribus relicto, quoties opus fuerit, « praesto fore omnia probationis, et persuasionis in- « strumenta, quae causae accommodata sunt? Forsitan,

[1]) *Op. cit.*, c. 4, p. 66, et 67.

« si causam, quam agit, solitarius, et in se receptus me-
« ditetur, ac introspiciat, inde . . . divitem copiam
« sententiarum, et cogitationum haurire poterit. At qui
« certus esse potest numquam fore, ut hoc tempore, hoc
« otio, et hac recondita meditatione destituatur? Pos-
« suntne haec omnia ei suppetere in aestu controversiae,
« aut in tumultibus tribunae, et consultationum? *Me-*
« *dium in agmen, in clamorem, in castra, atque aciem*
« *forensem?*[1] » Quod cum ita se habeat, liquet perutilem cuiuslibet scientiae investigatoribus existimandum esse tractatum locorum, ut ipsi horum diversa genera, diversosque usus, quae non sine magna difficultate, et nonnisi post diuturnum tempus cognoscere possent, addiscant, locosque ad disputandum accommodatos veluti prae manibus habeant[2].

Quod ad alterum spectat, futilis est ratio, ob quam doctrina locorum noxia esse a nonnullis dicitur. Enimvero, nihil, ut in tertia parte ostendemus, magis inventionem veri praepedit, quam nulla certa methodo uti, nihilque ipsam magis adiuvat, quam rectae, tutaeque methodo insistere. Iam, quoniam omnes nostras ratiocinationes certis, firmisque principiis innituntur, nemo non videt ei, qui cuncta illa principia novit, rationemque illis utendi callet, in promptu, et veluti paratam esse optimam methodum, cuius ope de qualibet re commode disputare potest. Aristoteles, ut diximus, hos-

---

[1]) Marmontel, *Leçons d'un père à ses enfants sur la Logique*, leç. XI, Paris 1802. Hic auctor in illa aetate, in qua philosophia aristotelica despiciebatur, et fere ignorabatur, *Organum* magno in pretio habuit, eiusque breve compendium in laudatis *Lectionibus Logicae* confecit. Nihilominus in notione *loci* explicanda, ac in locis recensendis doctrinam Ciceronis sectatus est, quippe quae magis obvia, et accommodata iuvenum ingeniis est.

[2]) Id de locis rethoricis monuit Tullius, ubi ait: « His igitur lo-
« cis in mente, et cogitatione defixis, et in omni re ad dicendum po-
« sita excitatis, nihil erit, quod oratorem effugere possit, non modo
« in forensibus disceptationibus, sed omnino in ullo genere dicendi »;
De Orat., lib II, c. 41.

ce locos et accurate recensere studuit, et ita exposuit, ut simul methodum, qua inveniri possunt, et methodum, qua illis utendum est, nos edoceret. Non modo igitur non est noxium, sed etiam valde utile doctrinam aristotelicam locorum adprime callere. Neque assentiendum est contendentibus locos esse veluti vincula, quibus humanum ingenium in inventione veritatis constringitur. Etenim Aristoteles non modo locos recensuit, eorumque usus diversos exposuit, sed etiam qua methodo ipsi inveniantur, quaque ipsis utendum sit, nos edocuit; unde quisquis topicam aristotelicam didicit, tum locorum, quos Aristoteles enumeravit, rationem sibi reddere, tum illorum numerum, si quos alios forte invenerit, augere potest. Ex quo vides doctrinam locorum aristotelicam intellectui humano non addere plumbum, quo deprimatur, sed alas, quibus ad inventionem veri assurgere valeat.

Quod si res ita se habet, nemo sane miretur cognitionem locorum maximi habitam fuisse non solum a rethoribus, sed etiam a philosophis, qui mentem humanam ad scientiam consequendam cognitione probabilium valde adiuvari iure, meritoque existimarunt. Re vera, Cassiodorus, ut vidimus [1], utilitatem dialectices ex eo demonstravit, quod immane quantum commodi ex cognitione locorum tum in scientias, tum in omnes ingenuas artes, litterasque redundet. Cassiodoro adiungere nunc lubet Melanchthonem, qui, si studiosus philosophiae aristotelicae fuit, certe Scholasticam odio prosecutus est. Ipse partem dialecticae, quae de locorum inventione tractat, aggressurus, inquit: « Quantas autem utilitates habeat haec « pars, non possumus pro dignitate dicere. Necesse est e- « nim vim horum praeceptorum de locis esse maximam, « cum non solum Dialectici, sed multo ante Rethores iu- « dicaverint eos diligentissime inculcandos esse discenti- « bus. . . Nos sive ad rethoricam, proprie pertinent,

[1]) P. 157, et 158.

« sive communes utrique arti sunt, existimamus non « tantum in Dialecticis libellis recensendos esse, sed et- « iam in omnibus parietibus scribendos, atque sculpen- « dos esse, ut semper ob oculos versentur. Nulla enim « de re dici, de nullo scripto recte diiudicari potest, « nisi referat se animus ad hos locos, eosque duces se- « quatur [1] ».

ARTICVLVS DECIMVS

De generibus argumentationum dialecticarum

Antequam locis recensendis, explicandisque manum admoveamus, opus nobis est exponere, quaenam genera argumentationum ad quaestionum dialecticarum solutionem idonea sint, et quorum instrumentorum subsidio ex *locis communibus* effici queant *loci speciales* ad singula problemata solvenda accommodati.

A prima quaestione ordiamur, cuius solutio parum difficultatis habet. Et sane, indubium est, quaecumque sit materia, circa quam investigatio intellectus versatur, semper eosdem esse oportere modos, quibus ad illam cognoscendam intellectus argumentatur. Cuius haec est manifesta ratio: Quaelibet facultas actiones suas nonnisi secundum propriam naturam exercere potest, quia actiones a facultate, tanquam a principio sui, promanant. Atqui natura intellectus non mutatur, prout mutatur materia, circa quam actiones intellectus mutantur. Quaecumque igitur sit materia, circa quam investigatio intellectus versatur, iidem sint oportet modi argumentandi, quos intellectus ad eius cognitionem consequendam adhibet. Iamvero, hi modi, quemadmodum in prima parte diximus, duo sunt, quia intellectus modo a singularibus ad universale ascendit, modo autem ab universali ad singularia, vel a magis universali ad minus universale descen-

[1]) Lib. IV, p. 157.

dit. Prior modus est, quem *inductionem*, posterior vero, quem *syllogismum* secundum Stagiritam vocavimus. Statuendum itaque est inductionem, et syllogismum esse duo genera argumentationum, quibus dialecticae quaestiones solvi possunt.

At vero, etsi eadem sint genera argumentorum, quibus intellectus in rerum cognitione utitur, cuiuscumque naturae res sint; nihilominus diversa est argumentorum vis, prout diversa est vis principiorum, ex quibus conclusiones educuntur, propterea quod, cum conclusio praemissis, quae principia eius sunt, contineatur, oportet naturam conclusionis talem esse, qualis est natura praemissarum. Iam principia, ex quibus conclusiones eliciuntur, sunt, ut suo loco ostendemus, vel *necessaria*, nempe quae *intrinsecus*, hoc est, ab ipsa natura rerum petuntur, vel *probabilia*, nempe quae *extrinsecus*, hoc est, extra naturam rerum sumuntur. Tam igitur inductiones, quam syllogismi, si semper eadem sunt ratione *formae*, certe ab se differre possunt ratione *materiae*, scilicet quod vel necessarias, vel probabiles conclusiones suppeditant. Quandoquidem autem dialectica circa probabile versatur, liquet inductiones, et syllogismos, quibus quaestiones dialecticae solvuntur, illos esse qui, cum ex probabilibus, ἐξ ἐνδόξων, proficiscantur, *probabiles* conclusiones gignunt[2], atque hac ex parte ab inductionibus, et syllogismis demonstrativis discriminari, qui necessarias conclusiones habent. Verum, ut id luculentius fiat, simulque natura dialectices magis, magisque declaretur, exponere e re erit, quid nomine conclusionis probabilis, quam argumentatio dialectica gignit, intelligendum sit. Ducem sequemur Boëtium, qui notionem argumentationis probabilis paucis, sed valde lucidis verbis illustravit.

« Ea sunt probabilia, Boëtius refert, quibus sponte, atque ultro consensus adiungitur, scilicet, ut mox ac

---

[1]) Vol. II, p. 248, et 249.

[2]) *Topic.*, lib. I, c. I, t. II, p. 79. ed, Waitz.

« audita sunt, approbentur ». Iamvero, huiusmodi ea esse manifestum est, quae, uti iam Stagirita monuit, « videntur omnibus, aut plurimis, aut doctis; et horum « aut omnibus, aut plurimis, aut celeberrimis et claris- « simis [1] ». Namque nos ita comparati sumus, ut iis, quae omnium, aut plurimorum, et praesertim, si hi sapientes, doctique sint, auctoritatem prae se ferunt, assensum sponte, lubenterque adiungamus. Probabilia autem in *necessaria*, et *non necessaria* dividuntur. Et sane, *necessarium* illud vocatur, quod non alio modo, quam quo enunciatur, esse potest; puta *Si cui rei aliquid addatur, ipsa maior fit.* Iam, si quidquam, quod omnium, vel plurimorum, et maxime sapientum consensu gaudet, eiusmodi per se est, ut aliter, ac omnes vel plurimi, iique maxime sapientes arbitrantur, esse nequeat, illud est simul *probabile*, et *necessarium.* Huius generis est enunciatio, quam modo, e. g., adduximus, quippe quod ipsa et ab omnibus hominibus conceditur, et eiusmodi est, ut illud, quod ipsa significat, aliter se habere nequeat. « Neque enim, Boëtius subdit, quisquis ab « hac propositione dissentiet, et ita se habere necesse est [2] ». Sin aliquid, quod ab omnibus, vel plurimis admittitur, eiusmodi est, ut aliter, ac ab ipsis iudicatur, se habere queat illud est *probabile*, sed non *necessarium.* Huiusmodi est hoc enunciatum: *Si mater est, diligit filium*; ipsa enim omnium assensum ad se trahit, sed, quoniam res aliter, ac enunciatur, se habere potest, firmitatem non habet, quae est propria veritatis. Quod si probabile est vel necessarium, vel non necessarium, vicissim necessarium quoque est vel probabile, vel non probabile. Primum est illud, quod, dum aliter, ac enunciatur, esse nequit, omnium, vel plurimorum, maximeque sapientum consensum habet. Hoc genus necessarii cum probabili ne-

---

[1]) *De diff. top.*, lib. I, p. 861, et 862, ed. cit.
[2]) *Topic.*, lib. I, c. I, § 7, ed. Didot.
[3]) *Op. cit.*, lib. I, p. 861.

cessario confunditur, unde illustrari potest eodem exemplo, quod ante adduximus, nempe : *Si cui rei aliquid addatur, res maior efficitur*. Alterum est illud, quod aliter, ac enunciatur, esse nequit, sed non facile ab omnibus, vel saltem a pluribus admittitur. Exemplum e causa defectus solis Boëtius sumpsit, quod est huiusmodi: *Obiectu corporis lunaris defectus solis evenit*. Hinc vides propositionum alias esse *probabiles, et non necessarias*, alias *probabiles, et necessarias*, alias denique *necessarias, et non probabiles*. His addi possunt propositiones *nec probabiles, nec necessariae*, nempe illae, quae, dum a plurimis, et maxime sapientibus non admittuntur, non modo non significant aliquid, quod aliter, ac enunciatur, esse non potest, sed ne aliquid quidem, quod ita est, ut enunciatur. Brevius Boëtius : « Neque necessaria ve« ro, neque probabilia sunt, quae neque in opinione « hominum, neque in veritate consistunt, ut hoc, ha« bere Diogenem cornua [1] ». Exemplo esse potest quoque illud Anaxagorae: *Nivem non esse albam, sed nigram* [2]; nam, quamvis Anaxagoras unus veterum sapientum fuerit, tamen nivem esse nigram nec verum est, nec ulli sapientes, immo nec ulli homines concedunt.

Omittimus hic propositiones nec probabiles, nec necessarias, quippe quae, uti Boëtius advertit [3], cum Sophi-

---

[1]) *Op. cit.*, lib. II, p. 862.

[2]) Cf Cic. *Acad. Quaest.*, lib. II, c. 23, et 31, ed. Ernesti; Sext. Emp., *Pyrrh. Hypotyp.*, lib. I, c. 13, sect. 33; Lact., *Instit. div.*, lib. III, c. 23. Anaxagoram ad hoc paradoxum dogma tuendum doctrina *homoeomeriarum* impulit. Nam, cum putasset omnes res ex homoeomeriis, ὁμοιομερείοις, sive ex *partibus similibus* constare, inde inferre debuit nivem, quamvis alba videatur, tamen natura sua esse nigram, quia aqua, ex cuius particulis conflatur, nigra est. Hanc ob causam ab Hornio (*Hist. phil.*, lib. III, c. 18, p. 210, ed. cit.), a Bayleo (*Diction.*, art. *Anaxagoras*, not. D), aliisque post Sextum Emp. (*Adv. Mathem.*, lib. VII, sect. 89 sqq) inter Scepticos numeratus est. De homoeomeriis, quarum notionem alibi explicabimus, legesis, praeter alios multos, Swellengrebel, *Dissert. exhibens Veterum de elementis placita*, pars I, c. 2, § 5, p. 27 sqq, Traiecti ad Rhenum 1844.

[3]) *Op. cit.*, lib. II, p. 862, ed. cit. Locum mox afferemus.

starum propriae sint , vix nomen propositionum merentur. Quod ad propositiones necessarias, et probabiles attinet , hae quidem , ut colligere ex dictis pronum est , se invicem non expellunt , quia , si probabile , et necessarium ad cognitionem nostram relata spectentur , non repugnat id , quod est necessarium , esse quoque probabile. Cuius rei plana , luculentaque ratio haec est: Essentia propositionis necessariae in eo posita est, quod illud, quod ipsa significat, aliter ac enunciatur, esse nequit, et nonnisi accidens eius est ipsum in omnium, vel saltem plurimorum opinione versari; atque e contrario, essentia propositionis probabilis in eo consistit, quod illud, quod ipsa significat, in omnium,vel saltem plurimorum opinione versatur, et nonnisi accidens eius est ipsum eiusmodi esse, ut aliter, ac enunciatur, esse non possit. Ex quo intelligitur propositiones necessarias, et probabiles non ex eo, quemadmodum vulgo putatur, differre, quod illae significant aliquid, quod non potest aliter esse , ac enunciatur, hae vero aliquid, quod aliter potest esse, ac enunciatur, sed ex eo, quod illae significant aliquid, quod aliter, ac enunciatur, esse nequit, atque hae aliquid, quod in omnium, vel saltem plurimorum, maxime sapientum, opinione versatur, sive illud, quod non potest aliter esse, ac enunciatur, sit ab omnibus, vel saltem a plurimis concessum, aut reiectum, et sive illud, quod ab omnibus, vel saltem a plurimis conceditur , sit aut eiusmodi , ut aliter, ac enunciatur, esse non possit, aut eiusmodi , ut aliter esse possit.

Quandoquidem huiusmodi est essentiale , ac verum discrimen, quod inter propositiones necessarias , et propositiones probabiles intercedit , plura inde perspicere licet, quae ad praesentem rem faciunt. Primum est, quarumcumque argumentationum , si principia sunt propositiones necessariae, necessarias quoque esse conclusiones, sive hae sint probabiles, sive non probabiles, et, si principia sint propositiones probabiles , probabiles etiam esse conclusiones , sive hae sint necessariae , sive non neces-

sariae. Alterum, quod a primo fluit, est, argumentationes dialecticas ab *apodicticis*, seu demonstrativis distingui, quod conclusiones dialecticarum, sive circa materiam necessariam, sive circa materiam non necessariam versentur, semper veluti probabiles ab intellectu cognosci, quia intellectus illas a principiis probabilibus elicit, atque e contrario conclusiones apodicticarum, sive consensu omnium, vel saltem plurimorum, maxime sapientum comprobatae, sive illo destitutae considerentur, semper uti necessarias ab intellectu cognosci, quia intellectus illas semper ex principiis necessariis eruit. Tertium, quod ex duobus prioribus enascitur, est, nos, cum conclusiones omnium dialecticarum argumentationum esse probabiles secundum Aristotelem asserimus, haud nobis velle argumentationes dialecticas semper in iis versari, quae sunt non necessaria, quia illarum materia, ut modo diximus, esse potest vel necessaria, vel non necessaria, sed illud dumtaxat nobis velle, sive materia argumentationis dialecticae sit necessaria, sive non necessaria, eius conclusiones semper ab intellectu, prout sunt probabiles, non vero prout sunt necessariae, apprehendi, quippe intellectus illas ex principiis extra naturam rerum positis cognoscit. Quartum denique est, argumentationes dialecticas tum quoque, cum circa materiam necessariam versantur, imbecillam, non vero firmam cognitionem, hoc est, *opinionem*, non vero *scientiam* gignere, quia nos tum solum cognitione firma, seu scientifica rei potimur, cum rem ex principiis propriis eius cognoscimus.

Iuvat totam hanc rem exemplo illustrare. Si quis scire volens, num anima humana sit immortalis, immortalitatem eius aut ex consensu omnium gentium, aut ab auctoritate nobilissimorum sapientum, aut ab aliis id genus momentis colligat, dialecticam argumentationem conficit, et dumtaxat rudem, sive ut logice loquamur, probabilem cognitionem immortalitatis animarum assequitur, quia consensus omnium gentium, aliaque id genus principia, a natura animae non sunt petita. At,

si hac probabili cognitione adiutus naturam animae scrutetur, eamque, utpote ex partibus physicis haud constantem, immortalem esse concludat, argumentationem *apodicticam*, seu demonstrativam conficit, et cognitionem perfectam, seu scientificam immortalitatis animae assequitur, quippe quod ipsam ex natura eiusdem animae deducit. Ex quo vides hanc conclusionem: *Anima est immortalis*, esse in se semper unam, eamdemque, sed, cum relata ad cognitionem nostram spectatur, esse *probabilem*, si *dialectice*, nempe si e principiis extra naturam animae petitis, et *necessariam*, si *apodictice*, nempe e principiis animam constituentibus eliciatur[1].

Quandoquidem argumentationum dialecticarum genera principiis nituntur naturae longe diversae, ac illa, quibus demonstrationes fiunt, ipsa peculiaribus quibusdam nominibus donantur. Iam nostra interest breviter exponere, quamobrem propria quaedam nomina argumentationibus dialecticis data fuerint. Etenim pleri-

---

[1]) Ex his omnibus magis, magisque intelligere licet illud discrimen, quod inter dialecticam, itemque rethoricam, quae ipsi valde affinis est, metaphysicam, quae philosophia a peripateticis dicebatur, et sophisticam intercedit. Audiatur Boëtius: « Quatuor igitur facultatibus, earumque velut opificibus disserendi omnis ratio subiecta est, id est, Dialectico, Oratori, Philosopho, Sophistae. Quorum quidem Dialecticus, atque Orator in communi argumentorum natura versatur. Vterque enim sive necessaria, sive minime, probabilia tamen argumenta sequitur. His igitur illae duae species argumenti famulantur, quae sunt probabile ac necessarium, probabile ac non necessarium. Philosophus vero ac demonstrator de sola tantum veritate pertractat, atque sint probabilia, sive non sint, nihil refert, dummodo sint necessaria. Hic quoque his duabus speciebus utitur argumenti, quae sunt probabile ac necessarium, necessarium ac non probabile. Patet igitur, in quo Philosophus ab Oratore ac Dialectico in propria consideratione dissideat, in eo scilicet, quod illis probabilitatem, huic veritatem constet esse propositam. Quarta vero species argumenti, quam neque argumentum quidem recte dici supra docuimus, Sophisticis solet esse attributa »; *Op. cit.*, lib. II, p. 862.

que recentes, post paucos non magni nominis antiquos, cum perviderent argumentationes dialecticas, nec non rethoricas, quae magnam cum dialecticis adfinitatem habent [1], diversis, ac demonstrativas, sive *scientificas*, vocibus saepe designari, formas quoque essentiales utrarumque ab se differre sibi persuaserunt.

Ad inductionem quod attinet, haec, prout ad dialecticam pertinet, peculiare nomen haud sortita est. Cuius rei duplex ratio, ni fallimur, reddi potest. Prima in eo consistit, quod inductio tam in *dialectica*, sive in parte logicae *inventrice*, quam in *demonstratione*, sive in parte logicae *iudicatrice*, ex principiis eiusdem naturae, nempe ex singularibus proficiscitur, cum e contrario syllogismus in dialectica proficiscatur a propositionibus universalibus probabilibus, atque in demonstratione a propositionibus universalibus necessariis. Secunda ratio in eo posita est, quod inductio, quamvis in probatione dialectica conclusionem probabilem, et infirmam, ac in probatione *apodictica*, seu in *demonstratione* necessariam, et firmam conclusionem habeat [2], tamen in hac, perinde ac in illa, scientiam non gignit. Nam scientia, cum sit cognitio rerum per suas causas, non gignitur, ut inferius dicemus, per inductionem, hoc est, cum a singularibus ad universale fit progressio, sed per syllogismum, hoc est, cum a magis universali ad minus universale, hoc est, a causa ad effectum regressus fit [3]. Ex quo et illud intelligis, si genera argumentorum spectaveris, quibus topice, et demonstratio utuntur, unam ab

---

[1]) Vid. Arist., *De arte rethorica*, lib. I, c. 1, § 1, et c. 2, § 7, ed. Didot.

[2]) Huius discriminis ratio in eo posita est, quod dialectica inductionem *imperfectam*, et demonstratio inductionem *perfectam* adhibet. Vid. ea, quae de utraque inductione secundum Scholasticos diximus p. 326.

[3]) Scientia, quemadmodum inferius videbimus, duplici methodo perficitur, scilicet *progressiva*, quae inductioni, et *regressiva*, quae syllogismo innititur.

altera proprie non distingui ratione inductionis, sed ratione syllogismi, quia non inductio, sed syllogismus, illud praestat, cuius gratia topice a demonstratione differt, hoc est, quod in topica probabilitatem, et in demonstratione scientiam parit.

Nos non latet Aristotelem ad inductionem revocare aliud genus argumentationis, quod παράδειγμα, seu *exemplum*, appellat [1], quodque probabilem conclusionem habet. Verum enimvero, exemplum adeo exiguam probabilitatem gignit, ut potiori iure ad rethoricam, quam ad dialecticam spectet. Etenim ipsum, uti alias vidimus [2], conclusionem elicit a propositione universali, quam ab uno, vel perpaucis singularibus confecit; ast huiusmodi propositio universalis, quae ab uno, vel perpaucis singularibus conficitur, minimam, vel certe parvam probabilitatem habet, ut longissime ab illa necessitate absit, quam scientia expostulat. Iam, topice, si probabilitate contenta est, procul dubio huiusmodi probabilitatem sectatur, quae quodammodo ad necessitatem accedit, quia ipsa viam ad scientiam parare debet. Contra ea, rethorice, quoniam ad persuadendum unice spectat, probabilitatem, qualiscumque est, sectatur, dummodo finem persuadendi assequi valeat. Exemplum igitur est argumentatio propria rethorum, non vero dialecticorum [3].

---

[1]) *Anal. Prior.*, lib. II, c. 24, t. I, p. 257, edit. Waitz, et *De Arte rethorica*, lib. II, c. 20, ed. Didot.

[2]) Vol. II, p. 372.

[3]) Hinc dialectica, si in ipsa spectes vim cognitionis, quam gignit, medium locum tenet inter scientias philosophicas, et rethoricam. Nam, dum ab illa certitudine cognitionis recedit, qua scientiae philosophicae gaudent, exiguam illam probabilitatem refugit, de qua rethorica contenta est. Id fere docuit s. Thomas hoc in loco: « Po« nuntur dialectica, rethorica, et physica secundum tres modos pro« cedendi in scientia, quorum unus est per demonstrationem ad scien« tiam causandam, quod pertinet ad physicam, ut sub physica in« telligantur omnes scientiae demonstrativae. Alius modus est ex « probabilibus ad opinionem faciendam, quod pertinet ad dialecti« cam. Tertius modus est ex quibusdam coniecturis ad suspicionem

Id comprobare licet auctoritate eiusdem Stagiritae. Qui quidem, si notionem *exempli* tradidit in *Anal. Prior.*, in quibus cunctas formas argumentationis exposuit, in *Reth.* exemplum *inductionem rethoricam* ῥέθορικὴν ἐπαγωγὴν nuncupavit [1], et de illo, ceu genere argumenti, quod oratoribus proprie accommodatum est, disseruit [2]. Cuius rei illud quoque argumento esse potest, quod et idem Aristoteles diversas species, pluresque usus exemplorum in *Reth.* [3] recensuit, et post eum Rethores, puta, ut nonnullos notiores nominemus, Auctor *Reth. ad Herennium* [4], Cicero [5], et Quintilianus [6],

---

« inducendam, vel ad aliqualiter persuadendum, quod pertinet ad « rethoricam »; 2ª 2ae, q. XLVIII, a. 1 c.

[1]) Lib. I, c. 2, § 8, ed. Didot.

[2]) Lib. II, c. 20, § 1, et 9, ed.cit. Cf lib. III, c. 7, § 5, et *Probl.* Prob. VIII, c. 3. « Plerique graecorum, Quintil. ait, dixerunt παράδειγμα ρεθορικὴν ἐπαγωγὴν »; *Instit.*, lib. V, c. XI, ed. Burm.

[3]) Praesertim lib. I, c. 20.

[4]) Vid. lib. IV, c. 45. Hoc opus, quod sub Ciceronis nomine circumferebatur, non esse eius, sed cuiusdam scriptoris aequalis hodie inter eruditos convenit. G. I. Vossius, post alios multos, illud Cornificio iuniori tribuerat (*De rethoricae nat. et const.*, liber unus, c. 13, *Opp.*, vol. III, p. 340, et 341, ed.cit.). At plerique odierni Interpretes auctorem *Rethoricorum ad Herennium* fuisse M. Ant. Gniphonem, cuius scholam Cicero, iam praetor, frequentavit (Magrob. *Saturn.*, lib. III, c. 12, et Sveton., *De illust. Gram.*, c. 7) post Schutzium arbitrantur. Cf ipsum Schutz (Prooem. ad *Cic. Rethorica*, t. I, p. 57 sqq, ed. cit.), Fuhrmann (*Enchir. litt. class.*, germ., t. II, p. 88), et Mongersten (*Comment. De arte Veterum mnemonica*, pars I, p. 12, Dorpati 1835). Car. Van Heusde primo coniecturam Schutzii valde probabilem esse censuit (*Op. cit.*, c. 3, p. 149, not. 1, et p. 171), deinde in disquisitione *De L. Aelio Stilone* (p. 84 sqq) hunc fuisse laudati operis auctorem ex ipsis locis Ciceronis probare studuit, atque haud infeliciter, iudice Baumhauero (*De vi arist.* etc., c. 2, p. 55, not. 3), probavit.

[5]) « Exemplum est, ait, quod rem auctoritate, aut casu alicuius « hominis, aut negotii confirmat, aut infirmat »; *De Invent. reth.*, lib. I, c. 30. Cf *Part. Orat.*, c. II, et *Topic.*, c. 10, ed. Olivet.

[6]) *Inst. Orat.*, lib. V, c. II, ed. Burm. Ibi exemplum ab eo definitur « rei gestae, aut ut gestae, utilis ad persuadendum, id quod intenderis, commemoratio ».

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

copiosius, diligentiusque, quam Philosophi, hac in re versati sunt. Nihilominus observandum cum Alberto M. est exemplum, si ex ea parte spectetur, quatenus conclusionem ex propositione iam concessa elicit, ad dialecticam quoque pertinere. Nam si is, qui cum disputatur, non concedat propositionem universalem, quae ex uno, pluribusve similibus conficitur, nulla ex ea conclusio elici potest, quia unum, plurave similia, quae enumerantur, naturam rei controversae minime attingunt. Ita non licet concludere, quod obest Atheniensibus bellum contra Thebanos gerere, nisi, quoniam obfuit Thebanis contra Phocenses pugnare, concedatur obesse cuique populo bellum contra finitimos gerere. Iam, cum ex concessis concludere ad dialecticam quoque spectet, nemini dubium esse potest, quin exemplum ex ea parte spectatum, quatenus ab aliquo concesso conclusionem elicit, topicae etiam conveniat. « Notandum « autem, concludit Beatus Doctor, cum exemplum nullam « secundum se faciat necessitatem, quod principaliter « nec pertinet ad dialecticum, nec ad demonstratorem, « sed ad rethorem; secundum autem quod non ex se, « sed ex praeconfessione facit probabilitatem, potest re« ferri ad dialecticum [1] ».

Sed res de syllogismo aliter se habet. Nam syllogismus dialecticus, cum conclusionem diversae naturae, ac demonstrativus, habeat, propriis quibusdam vocibus designatur, ut a demonstrativo discriminetur. Huiusmodi voces sunt *enthymema*, ac *epicherema*. De enthymemate nihil disserere hic opus est. Etenim iam demonstratum a nobis fuit, quamvis in syllogismis, qui *enthymemata* vocantur, vel propositio, vel assumptio saepe omittatur, tamen naturam enthymematis in eo proprie sitam esse, quod ex *verisimilibus* vel ex *signis* conclusionem elicit; 2° quandoquidem *verisimilia*, et *signa* sunt principia, quae ex naturis rerum haud petuntur,

[1]) *Prior. Analyt.*, lib. II, tract. VII, c. 5.

conclusiones enthymematum esse semper probabiles [1]. Hinc, si syllogismi, qui probabilem conclusionem habent, sunt dialectici, aut oratorii, nemini dubium esse potest, quin enthymema sit genus argumenti dialecticorum, atque oratorum proprium. Itaque non aliud hic nobis agendum est, quam ut de epicheremate quidquam dicamus.

Epicherema, ἐπεχείρημα, apud antiquos *syllogismum dialecticum* fuisse extra omnem controversiam positum est. Id enim post Aristotelem, a quo epicherema συλλογισμὸς διαλεκτικὸς vocatum est [2], commune non modo graecis eius interpretibus, sed cunctis quoque latinis rethoribus fuit. Fere omnes recentes statuunt epicherema esse argumentationem, cuius propositioni, aut utrique ratio additur, ita ut ex quatuor, aut quinque, non vero ex tribus componatur. At omnino praepostera est haec notio epicherematis, quam ipsi ni fallimur, a rethoribus latinis mutuati sunt. Re vera, Epicherematos, Quintilianus ait, et quatuor et quinque et sex etiam factae « sunt partes a quibusdam [3] ». Revera, Auctor *Rethor. ad Heren.* scripserat epicherema esse planam, ac absolutam argumentationem, quippe quae non solum ex suis partibus, sed etiam ex partium approbationibus, ubi opus est, constet. En eius verba : « Absolutis- « sima, et perfectissima argumentatio est ea, quae in « quinque partes est distributa ; propositionem, ratio- « nem, rationis confirmationem, exornationem, com- « plexionem [4] ». Cicero, qui, ut valde probabile est, Auctorem *Rethor. ad Heren.* audivit [5], in lib. I *De Invent.* monuit non convenire inter omnes de numero partium, ex quibus epicherema constat. « Nam partim quinque « eius partes esse dixerunt; partim non plus, quam in

---

[1]) Vid. vol. II, p. 365 sqq.
[2]) *Topic.*, lib. VIII, c. II, t. II, p. 234, ed. Waitz.
[3]) *Inst. Orat.*, lib. V, c. 10 ed. Burm.
[4]) Lib. II, c. 18.
[5]) Vid. p. 324, not. 4.

« tres partes posse distribui putarunt [1] ». Expositis vero, quae utrinque adducuntur, rationis momentis, « Nobis « autem, inquit, commodior illa partitio videtur esse, « quae in quinque partes distributa est, quam omnes ab « Aristotele, et Theophrasto profecti maxime secuti « sunt [2] ». Quintilianus diversas rethorum opiniones de natura epicherematis, et de numero partium, ex quibus constat enarrans, nihil certi statuere videtur [3].

At vero, isthaec antiquorum rethorum, recentiumque logicorum opinio iure, meritoque ab eruditissimo Iac. Facciolato explosa fuit [4]. Et sane, certum est, quemadmodum alibi ostendimus, unam esse cuiuslibet argumentationis formam, quae neque partes habere potest pauciores tribus, neque plures, atque harum primam nominari propositionem, secundam assumptionem, tertiam conclusionem. Quod si propositioni, aut assumptioni, quae probationis indiget, aut utrique una, pluresve rationes addantur, hae rationes non sunt eiusdem argumenti novae partes; sed cum propositione, aut assumptione novum argumentum efficiunt. Ex quo intelligis argumentationem, cuius vel propositioni, vel assumptioni, vel utrique rationes adduntur, non unum, sed plures complecti syllogismos, qui ad idem probandum spectant. Res clarior evadet hoc exemplo, quod a Cicerone mutuabimur: « Melius accurantur, quae consilio gerun- « tur, quam quae sine consilio administrantur. Nam « domus ea, quae ratione regitur, omnibus instructior « est rebus, et apparatior, quam ea, quae temere, et nul- « lo consilio administratur. Exercitus is, cui praeposi- « tus est sapiens, et callidus imperator, omnibus parti- « bus commodius regitur, quam is, qui stultitia, et te- « meritate alicuius administratur. Eadem navigii ratio « est: nam navis optime cursum conficit, quae scien- « tissimo gubernatore. . . Nihil autem omnium rerum

---

[1]) C. 34. — [2]) *Op. cit.*, c. 35. — [3]) *Op. cit.*, c. V, c. 10.
[4]) *Acroases*, Acroas. XI, p. 127 sqq, ed. cit.

« melius, quam omnis mundus, administratur. . . Nam « et signorum ortus, et obitus definitum quemdam ordi- « nem servant, et annuae commutationes non modo « quadam ex necessitate semper eodem modo fiunt, « verum ad utilitates quoque rerum omnium sunt ac- « commodatae, et diurnae, nocturnaeque vicissitudines, « nulla in re unquam mutatae quidquam nocuerunt. . . « Consilio igitur mundus administratur [1] ».

Iam si, ceteris partibus huius epicherematis sepositis, solae rationes, quae propositioni adiunguntur, connexae spectentur, inde syllogismus effici potest hoc modo: *Prop.* Domus ea, quae ratione regitur etc. *Assumpt.* Atqui haec omnia *facta* evincunt ea, quae consilio reguntur, melius accurari, quam quae sine consilio reguntur. *Concl.* Ergo melius accurantur ea, quae consilio, quam quae sine consilio geruntur. Idem perspicies, si rationes, quarum ope comprobatur assumptio, cum ipsa assumptione contuleris. Etenim propositio erit probatio, scilicet complexus eorum, quae in mundo conspiciuntur, quaeque significantur illis verbis: Nam et signorum ortus etc. Assumptio autem haec: Atqui haec omnia, quae in mundo observantur, argumento sunt nihil omnium rerum melius, quam mundum, adminstrari. Conclusio denique erit illa propositio, quae officio assumptionis in epicheremate fungitur, nempe: Ergo nihil omnium rerum etc.

Ex quibus conficitur epicherema non esse unum syllogismum, sed quamdam argumentationem ex pluribus syllogismis coacervatam. At quorsum, inquies, isthaec plurium syllogismorum coacervatio? Responsio in promptu nobis erit, postquam discrimen, quod inter epicherema, et syllogismum demonstrativum intercedit, exposuerimus. Itaque sciendum est epicherema, non secus ac enthymema, a syllogismo demonstrativo differre, quod non necessa-

[1]) *De invent.*, lib. I, c. 34.

vias, uti hic, sed tantum probabiles conclusiones habet. Id a cunctis antiquis non solum logicis, sed etiam rethoribus traditum est. Aristoteles in loco, quem antea citavimus, statuit *philosophema*, φιλοσόφημα, atque *epicherema*, ἐπεχείρημα, ab se discriminari, quod ille est syllogismus *demonstrativus*, hic autem *dialecticus*, συλλογισμὸς διάλεκτικὸς. Notum autem omnibus est syllogismum demonstrativum illum esse, qui conclusionem necessariam, et dialecticum, illum qui conclusionem probabilem habet. Si exempla, quae Tullius ad notionem epicherematis declarandam attulit, mente reputaveris, epicheremata, eius iudicio, circa probabilia versari facile tibi persuadebis. Quintilianus vero, quamvis, Rethorum more, hoc est, non subtili, accurataque ratione de his agat, illud tamen discrimen, quod ex Aristotele adnotavimus, inter syllogismum, ac epicherema aperte posuit; si quidem dixit syllogismum, praeterquam quod, secus ac epicherema, plures modos concludendi habet, gignere *veritatem*, seu scientiam, epicherema *fidem*, nempe opinionem [1]. « *Epicherema* autem nullo differt a syllogismis, nisi quod « illi et plures habent species, et vera colligunt veris. E- « picherematis frequentior circa credibilia est usus [2] ».

Iam, quoniam epicherema conclusiones probabiles habet, haud difficile est intelligere, quare non tripartita, sed quinquepartita argumentatio sit. Nam, cum syllogismi, quorum praemissae sunt propositiones probabiles, parvam, vel certe non totam vim ad thesim evincendam habeant, iuvat interdum dialecticum, et oratorem alterutram, vel utramque praemissam aliis, atque aliis rationibus fulcire, atque hoc pacto adversarios plurium syllogismorum coacervatione *aggredi*, ἐπιχειρεῖν; unde isthaec argumentatio nomen *epicherematis*, sive, ut ver-

[1]) *De invent.*, lib. I, c. 34-36.

[2]) *Inst. Orat.*, lib. V, c. 14, ed. Burm. Quae *species*, ut *ibid.* in nota legitur (p. 483), a Quintiliano dictae sunt, a Dialecticis *modi* vocantur, quos suo loco explicuimus.

tit Valgius [1], *aggressionis* accepit. Re vera, verbum ἐπιχειρεῖν, uti Facciolatus advertit, idem apud graecos logicos valuit, quod in utramque partem per probabilia disputare. « Epicherema, ipse ait . . . . est syllogi- « smus dialecticus ad disputandum in utramque partem « per probabilia comparatus: qua ratione verbum ipsum « ἐπιχειρεῖν adhibetur a Diogene Laertio, a Themistio, ab « Alexandro Aphrodisiensi, et, quod in primis apud « nos valet, ab Aristotele [2] ».

Cum haec ita sint, in primis liquet naturam epicherematis non in eo consistere, quod est argumentatio quadrepartita, aut quinquepartita, sed in eo, quod est argumentatio ad probabile ducens. Namque epicherema non versatur circa probabile ex eo, quod est argumentatio quadrepartita, sed e contrario, est argumentatio quadrepartita, aut quinquepartita ex eo, quod circa probabile versatur, adeo ut numerus quaternarius, aut quinarius partium a vi probabili conclusionis, non vero haec ab illo pendeat. Atqui illud, quod in re ab alio pendet, et cuius causa in re est, essentiam rei non constituit, sed concomitatur, atque essentia rei in eo tantum agnoscenda est, quod a nullo alio principio eiusdem rei pendet, et cuius causa cetera in re sunt. Essentia igitur, seu natura epicherematis non est in eo ponenda, quod est argumentatio quadrepartita, aut quinquepartita, sed in eo, quod est argumentatio, quae circa probabile versatur.

Praeterea perspicuum est *epicherema* a *demonstratione*, sive a syllogismo demonstrativo non ideo differre, quod demonstratio est ratiocinatio tripartita, epicherema autem ratiocinatio quadrepartita, aut quinquepartita, sed quod demonstratio versatur circa necessarium, at-

---

[1]) « Epicherema Valgius *aggressionem* vocat »; Quint., *Op. cit.* lib. V, c. 10. Plures, diversaeque, quas antiqui rethores latini tradidere, interpretationes huius vocis vide, si lubet, apud eumdem Quintil., *ibid.*

[2]) *Acroases*, Acroas. XI, p. 129, ed. cit.

que epicherema circa probabile. Et sane quaelibet res, ut saepe innuimus, ab aliis per illa eadem distinguitur, ex quibus essentia eius constituitur. Epicherematis autem essentia, seu natura, quemadmodum paulo ante ostensum est, non constituitur ex eo, quod partes plures tribus habet, sed ex eo, quod circa probabile, non vero circa necessarium versatur. Itaque epicherema a demonstratione distinguitur non ex eo quod plures, quam syllogismus demonstrativus, partes habet, sed ex eo quod non habet, uti syllogismus demonstrativus, conclusionem necessariam, sed probabilem. Hocce discrimen inter epicherema, ac syllogismum apodicticum iam Caecilium adnotasse a Quintiliano accepimus, qui ita scripsit: « Hanc (ἀπόδειξιν seu *demonstrationem*) et ab *epi-* « *cheremate* Caecilius puta differre solo genere conclu- « sionis, et esse *apodixim* seu *imperfectam*, epicherema [1] ». Et sane, si demonstratio, ac epicherema differunt *solo genere conclusionis*, illud, ex quo differunt, non forma, sed materia sit oportet, quia conclusio unius ratiocinationis a conclusione alterius nonnisi ob materiam differre potest. Iam, quandoquidem, omnibus fatentibus, demonstratio circa materiam necessariam, atque epicherema circa materiam probabilem versantur, consequitur epicherema, Caecilii sententia, a demonstratione differre, quod non necessariam, uti demonstratio, sed probabilem conclusionem habet. Epicherema autem ab eodem Caecilio *imperfecta demonstratio* non inscite nuncupata fuit. Namque epicherema, quippe quod, perinde ac omnis demonstratio, ex notis ignotum colligit, quaedam demonstratio dici potest; verum, cum probabile ad necessarium, ceu imperfectum ad perfectum, se habeat, ipsum

[1]) *Op. cit.* lib. V, c. 10. In lectione huius loci secuti sumus Facciolatum (*Rudimenta logicae*, pars III, c. 2, p. 79, not. 7, ed. cit.), et I. Matth. Gesnerum (*Inst. Orat.* lib. XII, ed., et comment. perpet. illustravit I. M. Gesn., Gottingae 1738, et Oxonii 1806); namque in edit. cit., ac in aliis legitur: *apodixin*, *imperfectum epicherema*. Lectionem Facciolati, et Gesneri probare videtur Trendelenburgius in *Elem. log.*, § 33, p. 104, not. 1, ed. cit.

imperfecta demonstratio dicenda est, quippe quod conclusionem non necessariam, uti vera, perfectaque demonstratio, sed probabilem habet.

Ex his, quae hactenus de generibus argumentationum dialecticarum statuimus, concludere nobis licet genera argumentationum dialecticarum esse ambo illa, per quae, ut in prima parte *Logicae* diximus, facultas ratiocinandi explicatur, scilicet inductionem, et syllogismum, sed syllogismum, prout ad naturam dialecticae accommodatur, modo enthymema, modo epicherema nuncupari.

ARTICVLVS DECIMVS PRIMVS

Instrumenta, quorum ope locos ad solutionem quaestionum dialecticarum opportunos invenire licet, exponuntur

Cognitis generibus argumentorum ad solutionem quaestionum dialecticarum ideoneos, exponere iuvabit quosdam generales modos, quibus loci in cunctis huiusmodi quaestionibus commode inveniri possunt. Aristoteles hosce modos procul dubio innuit, ubi recensionem locorum aggressurus, « instrumenta (ὄργανα), per quae no« bis copia suppetet syllogismorum, et inductionem », enumeravit [1]. Et sane, generales modi, quibus *loci*, ad cunctas quaestiones dialecticas solvendas opportuni inveniuntur, instrumenta syllogismorum, et inductionum re ipsa sunt, quia loci, cum sint propositiones universales, seu *maximae*, principia suppeditant argumentis, quibus cunctae dialecticae quaestiones solvuntur. Id certe Averroes haud latenter insinuavit; hic enim postquam doctrinam aristotelicam instrumentorum exposuit, inde confecit instrumentis inveniri *locos particulares*, seu proprios uniuscuiusque loci universalis, qui, cum et ipsi propositiones universales sint, loco ceu proposi-

[1]) *Topic.*, lib. I, c. 11, § 1, ed. Didot.

tioni magis universali subiiciuntur. « Haec sunt, ait, in-« strumenta, quibus inveniuntur loca particularia unius-« cuiusque quaesiti locorum universalium [1] ». Exemplo rem declaremus. Locus certe est haec propositio: *Contraria contrariis insunt.* Iam, quandoquidem ambigua, sive, ut graeca voce utamur, *homonyma* multa sunt contraria, puta *acuto*, si de sono agatur contrarium est *grave*, sin de *sapore*, *obtusum*, sin denique de *pondere*, *leve*, liquet *ex distinctione ambiguorum* multas propositiones, seu locos effici posse, quibus locus ille e contrariis petitus ad multas cuiusque generis quaestiones solvendas accommodari potest.

Quoniam doctrina instrumentorum est quasi apparatus, sive introductio ad doctrinam locorum, recensioni locorum aliquid de instrumentis, quibus ipsi comparantur, praemittamus oportet.

---

[1]) *Tract. cit.*, ibid.

[2]) In notione aristotelica *instrumenti* explicanda a Thionvilleo, quem saepe laudavimus, dissentimus. Hic enim, postquam monuit nullum interpretem *Topicorum* investigasse, qua in re instrumenta a locis differant, et quinam nexus inter utraque intercedat, hanc investigationem aggressus est, eamque haud negligendam esse dixit, quia, cum instrumenta sint quoque propositiones, quarum ope quaestiones dialecticae solvuntur, ipsa a locis haud differre nonnullis visum est. Iam, ipse contendit instrumenta esse quasdam propositiones particulares, quibus quaestiones dialecticae ad certam, definitamque materiam pertinentes solvuntur, et locos esse propositiones quasdam universales, quae disputatoribus principia ad cuiuslibet generis quaestiones solvendas suppeditant. E. g., haec propositio: *Contraria contrariis insunt*, est locus; at, si haec generalis propositio ad notiones *boni* et *mali* accommodetur, et dicatur: *Si bonum iuvat, malum nocet*, haec alia propositio est instrumentum. Hinc decrevit secundum Aristotelem 1° instrumenta esse rationes, seu *methodos particulares*, et locos esse *methodos generales* inventionis, adeo ut hi *topicam generalem*, illa vero quasdam *topicas speciales* constituant; 2° instrumenta et locos ita ad se invicem referri, ut instrumenta, si peculiari materia, circa quam versantur, expolientur, loci fiant, et loci, si ad materiam quamdam specialem coarctentur, instrumenta evadant; 3° Aristotelem prius de instrumentis, quam de locis, tractasse, quia intellectus humanus, cum a

Instrumenta, ex quibus magna argumentationum dialecticarum copia nobis suppetit, quatuor secundum Stagiritam [1] numerare possumus, scilicet *delectum propositionum*, *distinctionem ambiguorum*, *inventionem differentiarum*, et *scientiam similitudinum*. Iamvero delectum propositionum esse instrumentum argumentationum dialecticarum perutile adeo patet, ut fere demonstratione non egeat. Nam, cum propositio, uti ad hanc rem Albertus M. advertit, sit principium *immediatum*, ac *integrale* cuiuslibet ratiocinationis [2], profecto disputator, cui magna copia propositionum in promptu est, ratiocinationes ad cuiuslibet generis quaestiones solvendas nullo negotio conficere potest. Non aliter de tribus reliquis instrumentis sentiendum est. Haec enim, ut ipse Stagirita monuit, ad primum *quodammodo*, τρόπου τινὰ,

---

particularibus ad universalia assurgat, primo invenit instrumenta, deinde ex cognitione instrumentorum ad inventionem locorum pervenit (*Op. cit.*, c. 3, p. 51-54). Ast haec omnia adamussim consentanea veritati non sunt. Namque instrumenta, quemadmodum et ex dictis patet, et clarius ex dicendis patebit, non sunt ipsae propositiones speciales, quae ex locis ad peculiarem materiam accommodatis fiunt, sed sunt media, quorum ope loci in quatuor generibus quaestionum dialecticarum inveniuntur, et multiplicantur. Nec aliter locus superius citatus Averrois, quem Thionvilleus se sequi dixit, intelligendus est. Aristoteles vero doctrinam instrumentorum tractatui de inventione locorum praemisit, quia ipsam veluti communem locis, atque utilem horum inventioni consideravit. Quandoquidem notio aristotelica instrumenti, quam tradidimus, ex lectione topicorum satis patescit, interpretes in ea declaranda parum laborasse nemo iure mirabitur. Nihilominus ab ipsis discrimen, quod inter instrumenta, et locos exposuimus, brevissime quidem, sed luculenter indicatum fuit. Satis est nominare inter interpretes mediae aetatis Albertum M., qui doctrinam de instrumentis, et de ceteris in libro primo ab Aristotele expositis *artem generalem*, et doctrinam de inventione locorum *artem specialem* vocavit (*Op. cit.*, lib. II, tract. 1, c. 1), inter recentes Balforeum (*Op. cit.*, p. 28, ed. cit.). Atque inter hodiernos Saint-Hilaireum, *De la log. d'Arist.*, Part. 2, sect. 1, c. 6, t. I, p. 343, et 344, et sect. III, c. 11, t. II, p. 77, ed. cit.

[1]) *Topic.*, lib. I, c. 11, § 1, ed. Didot.

[2]) *Op. cit.*, lib. I, tract. IV, c. 1; cf tract. III, c. 1.

revocantur [1], quippe quod ex ipsis propositiones sumere promum est. E. g. *Aut honestum, aut utile, aut iucundum est eligendum*, est propositio ducta ab *homonymia*, sive *ab eo, quod multiplicem sensum habet*, ἀπὸ τοῦ πολλαχῶς λεγομένου, quia *bonum*, cum vel honestum, vel utile, vel iucundum esse possit, nomen ambiguum est. Praeterea, *sensus differt a scientia, quia qui scientiam amisit, illam rursus acquirere potest, sed qui sensum amisit, adquirere illum non potest*, est propositio *a differentiis*, ἀπὸ τῶν διαφορῶν, petita. Denique, *Salubre ad sanitatem similiter se habet, ac id, quod firmam valetudinem habet, ad ipsam valetudinem*, est propositio, quae *a similibus*, ἀπὸ τῶν ὁμοίων, derivatur [2]. Ex quibus omnibus intelligitur totam doctrinam instrumentorum eo spectare, ut disputatores facultate sibi propositiones ad solutionem quaestionum necessarias parandi instruat.

A primo instrumento, nempe *delectu propositionum* ordiamur. Vt quibus ex fontibus propositiones eligendae sint, patescat, necesse est nobis in memoriam revocare, cuiusnam naturae sint propositiones dialecticae, seu probabiles. Propositiones probabiles, ἐνδόξοι, ut diximus, sunt, quae omnium, aut plurimorum, et praesertim sapientum, consensu comprobantur. Iam, si res ita est, liquet dialectico tum rationem habendam esse eorum, quae in vulgi opinione versantur, tum maxime exquirenda placita doctorum, qui usque ad aetatem suam floruere. E doctoribus plurimi, quoad fieri potest, et celeberrimi omnium consulendi sunt [3]. Interdum vel unius viri, cuius spectata est, et perspecta sapientia, opinionem adducere iuvabit, quia *dictum*, εἰρημένον, alicuius viri nobilis, ἐνδόξου, ut scite monuit Aristoteles, facile admittitur [4]. Huc spectant et usus historiae scien-

---

[1]) *Op. cit.*, lib., et c. citt.
[2]) Arist., *ibid.*
[3]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 12, § 1.
[4]) *Op. cit.*, lib., et c. citt., § 4.

tiarum, de quo paulo ante disseruimus, et vis auctoritatis, de qua nonnihil in *Introductione* innuimus.

At, si disputatori propositiones, quae probabiles sunt, eligere cordi maxime esse debet, negligendae ab eo non sunt propositiones, quae ad illarum similitudinem accedunt. Aristoteles huiusmodi esse dixit opinionem, quae nos res extrinsecus obiectas cernere *recipientes aliquid*, *nec emittentes*, εἰσδεχόμενοί τι, οὐκ ἐκπέμποντες decernit [1], quia magis probabile visum ipsi est visionem fieri imaginum in oculos incursione, quam emissione radiorum ex oculis [2].

---

[1]) *Op. cit.*, lib., et c. citt., § 2.

[2]) Aristoteles hoc in loco opinionem de visione, quam Plato post Pythagoreos, et Empedoclem tuitus est, quamque Stoici instaurarunt, reprehendit. Pythagorei putarunt visionem existere, cum ignis ex oculis exiens ad rem visui obiectam progreditur, atque ab hac repercussus ad oculos revertitur, imaginem rei, quam tetigit, secum ferens (Laert., lib. VIII, segm. 29, et praesertim Plut., sive, ut alii volunt, Pseudo-Plut., *De placit. phil.*, lib. IV, c. 14). Empedocles vero putavit visum effici per concursum emanationum a corporibus procedentium, et ignis ex oculis, veluti lucis a lanterna egredientis, adeo ut sine corporis emanationibus ignis ab oculis effluens nihil cerneret, atque emanationes sine igne ab oculis egresso non cernerentur (Arist., *De sensu et sensili*, c. 2, ed. Didot; Theophr., *De sensu et sensilibus*, Fragm., § 12, ed. Philippson, in Τ"λη Α'υθρωπίνη, pars II, p. 97, Berol. 1831; Plut., *Op. cit.*, lib. cit., c. 13). Pythagoreorum, et Empedoclis sententiam Plato tuitus est hocce modo: Ignis minime urens per totam rerum universitatem effusus invenitur, eiusque pars in oculis immissa τὴν ὄψιν, *ignem visualem*, sive τὸ τῆς ὄψεως ῥεῦμα, *effluxum ignis visualis* efficit (*Tim.*, p. 45 B, ed. H.S.). Iam visio efficitur, cum ignis, seu lumen interius, φῶς οἰκεῖον, et ignis, seu lumen exterius, φῶς ἀλλότριον, in unam lineam rectam concurrunt, atque in puncto, in quo coniunguntur, corpus efformant, quod per lumen exterius ad rem oculis obiectam, et per lumen interius ad animam refertur (*Soph.*, p. 266, C, ed. H. S.). Hinc Gellius: « Plato existimat genus quoddam ignis, lucisque de oculis « exire: idque coniunctum, continuatumque vel cum luce solis, vel « cum alterius ignis lumine, sua vi, et externa nixum, efficere, ut, « quaecumque ostenderit, illustraveritque, cernamus » (*N. A.*, lib. V, c. 16; cf Theoph., *Op cit.*, § 5, p. 89; Chalcidium, *Comm. in Tim.*, p. 228-340, ed. Meursius, Lugd. Batav. 1617; Plotin., *Enn.* IV, lib. V,

Illud quoque cavendum est, ut propositiones, *quam maxime universales*, μάλιστα καθόλου, sumantur[1]. Nam quoniam propositio, quo magis universalis est, eo plures propositiones minus universales continet, perspicuum est propositionis, quo magis universalis est, eo maiorem, et frequentiorem usum in quaestionibus dialecticis esse, quia

---

c. 1, ed. cit.; Nemesium, *De natur. hom.*, c. 7, p. 180, ed. Matthaei, Lipsiae 1802). Coniunctio ignis externi, ac interni, ex qua Plato visionem repetebat, a veteribus πλατονικὴ συναύγεια dicta fuit (Plut., *Op. cit.*, lib. IV, c. 13; Nemes., *ibid.*; Stob., *Eclog. Phys.*, t. II, p. 1108, ed. Heeren. Cf Mancini Ravennatis *Synaugia platonica, seu Tractatus de modo quo fit visio*, Ferrariae 1591, et Martin, *Études sur le Timée de Platon*, not. LI, t. II, p. 157, Paris 1841). Fere eadem sententia Stoicis placuit. « Stoici, idem Gellius inquit, causas « esse videndi dicunt, radiorum ex oculis in ea, quae videri queunt, « emissionem, aerisque simul intentionem » (*ibid.*; cf Plut., *Op. cit.*, lib. cit., c. 15, et Galen., *De decretis Hippocrat., et Plat.*, lib. VII, *Opp.* t. I, p. 313-315, Basil. 1538). Aristoteles vero sententiam Empedoclis, et Platonis vehementer oppugnavit (*De sens. et sensili*, c. 2); sed cavit, ne ad Democritum, aliosque Atomorum propugnatores accederet, qui visionem per *simulacra*, εἴδωλα, e rebus obiectis in oculos sese inferentia fieri autumabant (Theoph., *Op. cit.*, § 50, p. 126, et 127, ed. cit.; Plut., *Op. cit.*, lib. cit., c. 13, et 14; Gell., *ibid.*; Apul., *Apolog. cit.*, t. cit., p. 136). Itaque visio, eius sententia, nec per emissionem radiorum ab oculis, nec per simulacra a rebus obiectis emanantia fit, sed res obiecta suo pulsu movet *medium*, τὸ μεταξὺ, quod inter oculum, et rem obiectam intercedit, atque hic pulsus a medio cum oculo communicatur. Medium vero est omne corpus *pellucidum*, τὸ διαφανὲς, sive omne corpus, quod, cum per se lucidum non sit, lucis in se recipiendae capax est, cuiusmodi sunt aer, aqua, vitrum, glacies, aliaque permulta. Color denique est quaedam species, seu forma lucis, quam superficies rei obiectae in medio determinat. Si res visui obiecta non est per se lucida, ipsa colorem tantum determinat, sed necesse est, ut medium a re per se lucida pellucidum fiat; sin vero est per se lucida, simul medium *actu* pellucidum efficit, et colorem in eo determinat. Res per se lucidae sunt ignis, et aether, seu materia corporum coelestium (*De An.* lib. II, c. 7, *De sensu* etc., c. 2, et *De coelo*, lib. I, c. 3, § 6, ed. Didot.). Cf de hac historia Martin, *Op. cit.*, not. cit., ac Ed. Henr. Baumhauer, *Specimen continens sententias veterum Philosophorum graecorum de visu, lumine, et coloribus*, passim, Traiecti ad Rhenum 1843. — [1]) *Op. cit.*, lib., et c. citt., § 7.

ipsa, quo magis universalis est, eo plures disputatori, quoties opus ei est, propositiones suppeditat. Ita qui novit *relatorum*, τῶν πρός τι, eamdem esse scientiam, is simul non novit eamdem quoque esse *contrariorum*, τῶν ἐναντίων, scientiam: sed qui novit *oppositorum*, τῶν ἀντικειμένων, eamdem esse scientiam, is una novit *contrariorum*, et *relatorum* scientiam esse eamdem, quia, cum *contraria*, et *relata* sint duo genera oppositorum, hae duae propositiones universales: *Relatorum eadem est scientia*, et *contrariorum eadem est scientia*, continentur hac propositione magis universali: *Oppositorum eadem est scientia* [1].

Vt propositionum, quas nacti sumus, usus facilior, et fructuosior fiat, ipsae in primis ad diversa genera scientiarum, ad quas pertinent, revocandae sunt, inspiciendumque est, quae illarum ad logicam, quae ad physicam, quae denique ad aliam aliquam scientiarum, quae encyclopaediam constituunt, proprie spectent. Ita enim disputator, quomodo, et quando ipsis utendum sibi sit, prae oculis habebit [2]. Praeterea, dividendae ipsae sunt, *quoad dividi possunt*, ἕως ἂν ἐνδέχηται διαιρεῖν, quia, quo longior est alicuius propositionis divisio, eo plures ab ea propositiones elicientur, quae ad faciliorem, et luculentiorem solutionem quaestionum dialecticarum plurimum conferunt. Ita, postquam hanc propositionem: *Eadem est scientia contrariorum*, novimus, nos quam maxime iuvat, expensis generibus contrariorum, ipsam in has plures minus universales, quas continet, dividere; puta *Eadem est scientia boni, et mali*, *Eadem est scientia albi, et nigri*, et, ceteris missis, *Eadem est scientia frigidi, et calidi* [3].

Ad reliqua tria instrumenta progrediamur, ex quibus, ut modo ostensum est, facultas propositiones deligendi nobis quoque datur. Horum primum, quemadmodum

[1]) Arist., *Op. cit.*, lib. et c. citt., § 7, ed. cit.
[2]) Arist., *ibid.*, § 5.
[3]) Arist., *ibid.*, § 7. Cf de delectu propositionum Albert. M., *Topic.*, lib. I, tract. IV, c. 2.

diximus, est *distinctio ambiguorum*, sive, ut Aristotelis verbis utamur, *illorum*, *quae multis modis dicuntur*, τῶν πολλαχῶς λεγομενῶν. Iamvero, quo ex distinctione ambiguorum propositiones sumi queant, oportet ea omnia cognoscere, quorum ope ambiguitas vocum detegi potest, rationesque, λόγους, callere, ex quibus diversae ambiguitates constituuntur, atque ab se invicem discriminantur. Aristoteles hoc opus copiose, et accurate persecutus est [1]; quocirca eum ducem, nonnullis levioris momenti omissis, sequemur.

Atque in primis ambiguitas vocum *a contrariis* perspici potest. *Contraria*, ἐναντία, uti alias videbimus, ea dicuntur, quae se ab eodem subiecto invicem expellunt; puta *calor*, et *frigus*, quia fieri nequit, ut idem corpus sit simul *calidum*, et *frigidum*. Horum autem duo sunt genera. Nam contrariorum alia sunt, inter quae non est ullum *medium*, μέσον, ita ut alterutrum illorum subiecto inesse necesse sit; alia vero, inter quae unum, vel plura media sunt, ita ut necesse non sit alterutrum subiecto inesse. Prioris generis contraria sunt *par*, et *impar*, quia numerum aut parem, aut imparem esse oportet; posterioris autem contraria sunt *albedo*, et *nigredo*, quia plures alii colores inter istos medii sunt, ideoque necesse non est, ut corpus aut album sit, aut nigrum [2].

Iam, si ea contraria spectentur, inter quae non est ullum medium, primo veluti *homonymum*, sive ambiguum illud nomen habendum est, cui multa vel re, et nomine, vel saltem re contraria sunt. Cuius rei aperta ratio est, quod non possent alicui nomini contraria esse plura nomina, quae diversa significant, nisi illud muliplicem significationem haberet. Hinc, quoniam *acuto* in voce contrarium est *grave*, ac in gladio *obtusum*, et, quo-

[1]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 13, ed. cit.

[2]) Arist., *Categ.*, c. 10, t. I, p. 112, ed. Waitz, et c. 3, § 5-7, ed. cit. Cf Waitz, in l. c., t. cit., p.310, et 311.

niam *fusco* contrarium est *candidum*, quod alia ratione de colore, alia autem de voce dicitur, *acutum*, τὸ ὀξύ, et *fuscum*, τὸ μέλαν, esse *homonyma*, sive *ambigua* tenendum est. Praeterea, illud, quod in una significatione contrarium habet, et in altera non habet, sine ulla dubitatione ambiguum est, quippe quod, si vox plures, diversasque significationes non habet, fieri nequit, ut ipsi modo aliquid insit contrarium, modo nihil. Ita *voluptati*, ἡδονῇ, si ex potu percipiatur, contrarius est *dolor*, λύπη, propter sitim; sin ex contemplatione alicuius veritatis, puta *diametro non esse mensuram communem cum latere*, nihil contrarium est [1].

Quod si contraria considerentur, inter quae unum, plurave media sunt, ambiguitas vocum tribus modis dignosci ab illis potest. Etenim ambigua esse patet cum contraria, quae, si ad unum subiectum referantur, medium habent, sin ad aliud, medio carent, tum contraria, quae in diversis subiectis habent medium, sed non idem, tum denique contraria, quorum, sin in uno subiecto spectentur, plura sunt media, sin in alio, dumtaxat unum. Exempla ex iis, quae de colorum oppositione iam diximus, petere cuique proclive erit.

Ambiguitas vocum ab oppositis *secundum repugnantiam*, κατ' ἀντίφασιν, sive, ut Scholae aiunt, ex *contradictoriis* quoque perspici potest. Repugnantia, ut suo loco dicemus, ea vocantur, quorum unum alterum omnino tollit, seu negat, puta *videre* et *non videre* [2]. Iam, si unum repugnantium esse ambiguum innotescat, alterum quoque ambiguum esse pro certo habendum est. Ponamus enim unum repugnantium dumtaxat esse ambiguum; hoc profecto in una tantum, non vero in o-

---

[1]) *Op. cit.*, lib., et c. citt., § 5. Aristoteles hoc loco, observante Alberto M. (*Op. cit.*, lib. I, tract. IV, c. 3), carpit Platonem, qui, ut ab eodem accepimus (*Ethic.*, lib. X, c.5), omnem delectationem esse corpoream, seu materialem docuit.

[2]) De notione repugnantiae videsis s. Bonaventuram, In *lib. IV Sent.*, Dist. IV, pars I, q. 2; a. 2 *ad arg.*

mni sua significatione ab altero, quod non est ambiguum, tolletur. Ast id rationi repugnantiae, quae est oppositio omnium maxima, adversatur. Necesse igitur est, ut, quando unum est ambiguum, alterum quoque ambiguum sit. Ita, quoniam *non videre*, μὴ βλέπειν, modo significat non *habere visum*, τὸ μὴ ἔχειν ὄψιν, modo *non uti visu*, τὸ μὴ ἐνεργεῖν τῇ ὄψει, ideo etiam *videre*, τὸ βλέπειν, modo significare potest *habere visum*, τὸ ἔχειν ὄψιν, modo autem *uti visu*, τὸ ἐνεργεῖν τῇ ὄψει, quia, sicut τῷ *non habere visum* opponitur *habere visum*, ita τῷ *non uti visu* opponitur *uti visu* [1].

Tum quoque a *privantibus*, sive oppositis *secundum privationem*, κατὰ στέρησιν, ambiguitates vocum detegere haud difficile est. Privantium nomine ea designantur, quae defectum alicuius qualitatis denotant in subiecto, quod illam natura sua expostulat, puta *visus*, et *coecitas* in homine [2]. Iam perspicuum est, quoties unum privantium est ambiguum, alterum quoque ambiguum esse oportere, alioquin unum alterum non tolleret. E. g., si *sentire*, τὸ αἰσθάνεσθαι, est ambiguum, quia modo de anima, modo de corpore dicitur [3], ambiguum etiam esse oportet *sensu carere*, ἀναίσθητον εἶναι, quia, si sentire et corpori, et animae convenit, tam corpus, quam anima sensu carere possunt [4].

Non modo ex diversis generibus oppositorum, sed ex aliis quoque principiis ambiguitatem vocum cognoscere licet. Et primo, ex *categoriis*, quia quidquid res diversarum categoriarum denotat, est *homonymum*, seu multiplex. Quod quidem demonstratione non eget; nam,

---

[1]) *Op. cit.*, lib. et c. citt., § 8, ed. cit.

[2]) « Ad rationem privationis, s. Thomas ait, exigitur, quod aliquid « sit aptum natum habere, quod non habet »; *In lib. I Sent.*, Dist. XIII, q. unic., art. 4 *sol.*

[3]) Sentire cum de anima, tum de corpore dicitur, quia subiectum sensationis, ut in *Dynamilogia* ostendemus, non est solum corpus, nec sola anima, sed simul corpus, et anima, sive, ut Scholae aiunt, totum *coniunctum*. —[4]) *Op. cit.* lib., et c. citt., § 9.

cum categoriae ab se secundum essentiam differant, nomen, quod res diversarum categoriarum denotat, plura, diversaque significet necesse est. *Bonum*, ἀγαθόν, praeclarum huius rei exemplum est, quo utitur Aristoteles. Etenim « bonum, ut ipse ait, in cibo quidem « dicitur efficiens voluptatis; in arte medica vero effi- « ciens valetudinis; in anima denique esse eam talem, « velut temperantem, aut fortem, aut iustam. Simili- « ter vero in homine quoque. Interdum autem τό *Quan-* « *do* (τὸ ποτέ, *categ. temp.*) bono congruit, ut quod op- « portuno tempore fit, bonum; bonum enim dicitur id, « quod opportuno tempore fit. Saepe etiam τὸ *Quan-* « *tum* (τὸ ποσὸν, *categ. quant.*) bono congruit, ut, quod « fit modice: nam dicitur id, quod modice fit, bonum. « Quare homonymum est bonum [1] ».

Secundo, a *generibus mediis*, *quae non sunt subalterna*, μὴ ὑπ' ἄλληλα. Etenim, quidquid significat res diversorum generum, quorum unum sub altero non continetur, homonymum esse tenendum est, quia genera media, quorum unum sub altero non continetur, seu quae non sunt ὑπ' ἄλληλα, diversas naturas rerum significant. Ita *aries* nomen ambiguum est, quia, cum non modo ducem gregis, sed etiam quoddam sidus significet, plures res denotat, quae ad diversa genera non subalterna pertinent [2].

Tertio, a *differentiis diversorum generum non subalternorum*, μὴ ὑπ' ἄλληλα. Et sane, quandoquidem diversorum generum non subalternorum differentiae specie differunt, liquet omnem vocem, qua diversorum generum non subalternorum differentiae significantur, esse *homonymam*, quia plures res specie diversas significat. E. g., *acutum* esse homonymum vel ex eo intelligitur, quod ipsum est differentia cum vocis, tum ferri, quae ad di-

---

[1]) *Op. cit.*, lib., et c. citt., § 11, ed. cit. Id data opera ostendit in *Ethic. Nic.*, lib. I, c. 6, § 2, et 3, ed. cit.

[2]) *Ibid.*, § 12.

versa genera rerum non subalterna pertinent; vox enim a voce differt, quod haec est acuta, illa non quidem, et ferrum a ferro, quod unum est acutum, aliud non item [1].

Quarto, *a differentiis*, ἀπὸ τῶν διαφορῶν, quae in ipsis generibus sunt. Nomen enim pro ambiguo est habendum, cum plura significat, quorum non sunt eaedem differentiae; si quidem, cum differentia ad essentiam rei efficiendam concurrat, res, quarum diversae sunt differentiae, diversae sint oportet. Ita, nomen *coloris*, prout color in corpore, et in concentibus consideratur, est homonymum, quia aliud est, quo unus color ab alio in corporibus, et aliud, quo unus color ab alio in concentibus differt [2].

Praetermissis aliis levioribus huiusmodi principiis, e re esse arbitramur facili, appositoque exemplo patefacere, quomodo ab *homonymorum*, sive ambiguorum distinctione propositiones comparari queant. Si in disputationem adducatur, utrum bellum sit *optabile*, seu *eligendum*, observandum est, *optabile*, αἱρετόν, esse *homonymum*, quia ipsum, uti Aristoteles docuit, est vel *honestum*, καλὸν, vel *iucundum*, ἡδὺ, vel *utile*, συμφέρον [3]; unde hoc argumentum, cuius materia est falsa, confici potest: *Illud optabile, sive eligibile est, quod est vel honestum, vel iucundum, vel utile. Atqui bellum nec honestum, nec iucundum, nec utile est. Bellum igitur non est aliquid optabile.*

Ne vero quis nobis, quasi quisquilias philosophiae peripateticae refricantibus, succenseat, monendum putamus multa alia, praeter propositionum dialecticarum copiam, commoda illis disputatoribus suppetere, qui homonymorum vim, potestatemque probe callent, eorumque, quoties opus fuerit, diversas significationes exponere valent. Ipsa ad tria revocari possunt. Horum primum est, quod

---

[1]) *Ibid.*, § 17.
[2]) *Ibid.*, § 18.
[3]) *Op. cit.*, lib I, c. 11, § 2, ed. cit.

potestatem homonymorum cognoscere est *utile ad perspicuitatem*, χρήσιμον πρὸς τὸ σαφές, propterea quod is, qui vim vocum ambiguarum cognoscit, haud difficulter intelligit, quid sit illud, de quo disputatur. Secundum est, quod syllogismi fiant *secundum rem*, de qua disputatur, non vero *secundum nomen* solum, κατ' αὐτὸ τὸ πρᾶγμα καὶ μὴ πρὸς τοὔνομα. Nam, si, ob ignoratam vim alicuius vocis ambiguae, incertum est id, de quo disputatur, inde fit, ut argumentatio non dirigatur ad ipsam rem, sed in verbis ludat. Tertium est, quod a captiosis argumentationibus non fallimur, πρὸς τὸ μὴ παραλογισθῆναι. Et sane, cum pleraeque captiosae argumentationes, uti antea vidimus [1], ab ambiguitate vocum ducantur, is, qui potestatem verborum ambiguorum novit, ab illarum laqueis facile se expediet [2].

Ad duo postrema instrumenta progrediamur, nempe *differentias*, τὰς διαφορὰς, et *similitudinem*, τὴν ὁμοιότητα, quae parum difficultatis habent. Atque in antecessum secundum Aristotelem monemus differentias in iis, quae parum inter se distant, et similitudines in iis, quae multum inter se distant, maxime exquirendas esse [3]. Namque, ut scite in h. l. Alexander Aphrod. advertit, quisquis in aliqua scientia, aut arte proficere vult, in difficilioribus primum exercere sese debet, quippe quod « facilis « a difficilioribus ad faciliora transitio est [4] ». Atqui difficilius est videre differentias in iis, quae parum, quam in iis, quae multum differunt, atque e contrario difficilius est

[1]) P. 45 sqq.

[2]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 16, § 1, et 2, ed. cit. His tribus Aristoteles quartum adiecit, nempe, ut alios, si quando res ita postulat, decipiamus (*ibid.*). Ast hoc proprium est Sophistarum, et perraro dialecticum decet, quia ambiguis ob finem decipiendi adversarium uti non licet, « nisi, quemadmodum Albertus M. ait, opponenti, qui scit « per experientiam proterviam respondentis, quod non possit alias « propter respondentis importunitatem de proposito disputare »; *Op. cit.*, lib. I, tract. IV, c. 10.

[3]) *Top.*, lib. I, c. 14, § 3, et c. 15, § 3, ed. cit.

[4]) Ῥᾳδία γὰρ ἡ ἀπὸ τῶν χαλεπωτέρων ἐπὶ τὰ ῥᾴω μετάβασις; ed. cit.

scere similitudines in iis, quae multum, quam in iis, quae parum differunt. Oportet igitur, ut differentiae primum in iis, quae parum differunt, et similitudines primum in iis, quae multum differunt, exquirantur.

Iam, quod ad differentias attinet, duo prae oculis habenda sunt. Quorum primum est differentias quaerendas esse *in ipsis generibus*, ἐν αὐτοῖς τε τοῖς γένεσι, hoc est, in iis, quae eidem generi subiiciuntur; puta quid differant *iustitia*, *et fortitudo*, quae ad genus virtutis pertinent. Alterum est quaerendas esse differentias *eorum*, *quae non magnopere inter se distant*, τῶν μὴ πολὺ λίαν διηστηκότων, hoc est, si differentiae in iis, quae ad diversa genera spectent, quaerantur, haec sibi quodammodo affinia esse oportere; puta quid intersit inter cognitionem *sensilem*, et cognitionem *intellectilem*, quae ad diversa genera cognitionis spectant [1]. Horum duorum praeceptorum ratio ex eo, quod secundum Alexandrum monuimus, petenda est; nam differentias eorum, quae vel eodem genere continentur, vel ad genera ab se non valde remota pertinent, perspicere haud facile est.

Vtilitatum autem, quae ab hocce instrumento in disputationem derivantur, praecipuae sunt duae, eaeque magni momenti. Namque inventio differentiarum primo utilis nobis est ad construendos syllogismos *de eodem*, *et de diverso*, seu quibus aliqua esse eadem, aut diversa probandum est; si quidem ea, quae differre invenimus, diversa, et quae non differre novimus, eadem esse colligimus. E. g., si quaeratur, num *iustitia sit eadem*, *ac fortitudo*, non potest quaestioni huic responderi, nisi, u-

[1]) *Op. cit.*, c. 14, ed. cit. Quo haec omnino intelligantur, advertendum est plura non posse inter se differentia dici, nisi cognoscatur aliquid in ipsis esse, in quo conveniunt. « Differentia, inquit s. Tho« mas, in his quaerenda est, quae in aliquo conveniunt; oportet e« nim aliquid in eis assignari, secundum quod differant, sicut duae « species conveniunt in uno genere »; *Cont. Gent.*, lib. I, c. 17. Brevius alibi: « Ibi quaeritur differentia, ubi est convenientia »; I, q. XC, a. 1 ad 3.

trum ipsae inter se differant, necne, innotescat. Secundo, utilis nobis est ad rerum notiones perspiciendas; namque, cum essentiae rerum non semper ex se nobis patescant, illas, uti alias videbimus, *ex differentiis uniuscuiusque propriis*, ταῖς περὶ ἕκαστον οἰκείαις διαφοραῖς, secernere solemus.

Restat, ut de quarto instrumento, nempe de *similitudine* disseramus. Iam similia primum quaerenda sunt in iis, quae ad diversa genera pertinent, eaque inter se ita comparanda, ut, quemadmodum unum ad alterum, ita aliud ad aliud se habeat. Ab huiusmodi similibus Aristoteles monuit petitum esse illud, quod saepe in suis libris inculcavit, scilicet: *Quemadmodum se habet scientia ad scientiae obiectum*, sive, ut Scholae aiunt, *scibile*, ἐπιστητόν, *ita sensus ad sensui obnoxium*, sive *sensibile*, αἰσθητόν. Praeterea, similia quaerere etiam iuvat in iis, quae eiusdem sunt generis, puta in *homine*, in *equo*, et *cane*, quae eodem genere *animalis* continentur, ut quid sit, in quo conveniunt, patescat [1].

Cognitio autem similium primo utilis est ad argumentationes per inductionem, sive, ut ad verbum vertamus, *inductivas*, πρὸς τε τοὺς ἐπακτικοὺς τόπους. Enimvero, cum inductio ex pluribus particularibus universale colligat, in quo particularia conveniunt, et quae conveniunt, similia sint, profecto nos non possumus ullas inductiones conficere, si quae similia in rebus sunt, perspicere nesciamus. Secundo, cognitio similium utilis est ad syllogi-

---

[1]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 15, ed. cit. Similitudo, de qua hic agitur, non est, uti per se patet, ea, qua unum est simile alteri, sed qua duo cum tertio conveniunt; unde Rud. Agricola monuit similitudinem hic ita accipi, ut comparationem etiam contineat (*Op. cit.*, lib. I, c. 25). Duplicem similitudinem, quam innuimus, s. Bonaventura definivit his verbis: « Similitudo dupliciter dicitur. Vno modo secun« dum convenientiam duorum in tertio, et haec est similitudo secun« dum univocationem. Alio modo est similitudo secundum quod u« num est similitudo alterius, et haec similitudo non concernit con« venientiam in aliquo communi, quia similitudo se ipsa est similis, « non tertio », In *lib. I Sent.*, Dist., XXXV, a. I, q. 1 *resol.*

smos *ex hypothesi*, ἐξ ὑποθέσεως, sive, ut quoque aiunt, *ex concessione*, δι' ὁμολογίας, concludentes, quorum usus, uti alibi diximus [1], in dialectica est, quia, cum eamdem esse omnium similium rationem extra controversiam positum sit, uti rem in uno similium se habere ab adversario concessum est, ita illam in reliquis se habere contra ipsum argui potest. E. g., si omnium contrariorum eamdem esse rationem concessum sit, unam esse scientiam omnium contrariorum ex eo confici potest, quod salubrium, et insalubrium, quae sunt contraria, eadem est scientia, idque hocce modo: *Si salubrium, et insalubrium eadem est scientia, unam esse omnium contrariorum scientiam dicendum est. Atqui una est scientia salubrium, et insalubrium. Ergo una est scientia omnium contrariorum.* Tertio, cognitio similium est utilis *ad afferendas definitiones*, πρὸς τὴν τῶν ὁρισμῶν ἀπόδοσιν. Et sane, quoniam genus illud denotat, in quo species conveniunt, liquet genus ex similium consideratione colligi, quia ea, quae sibi conveniunt, similia sunt. At genus, ut suo loco dicemus, in definitione rei propositae primum locum sibi vindicat. Ergo, quin cognitio similium ad definitiones rerum inveniendas multum praesidii afferat, dubitandum non est [2].

Quoniam genera argumentorum, instrumentaque dialectica exploravimus, nihil iam vetat, quominus ad *locorum* recensionem accedamus.

ARTICVLVS DECIMVS SECVNDVS

Praecipui loci, qui ad quaestionem de accidente absoluto pertinent, exponuntur

Recensionem locorum aggredientibus animus certe nobis non est omnes, qui ad quaestiones dialecticas solvendas excogitari possunt, locos recensendi, et ex-

---

[1]) P. 352 sqq. — [2]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 16, § 8-11, ed. cit.

plicandi ; hoc enim et perlongum , et , si non impossibile, procul dubio perdifficile foret. Ipsemet Aristoteles, qui hoc opus sex integris libris persecutus est, locos, ex quibus argumenta ad singulorum problematum solutionem accommodata nobis suppetunt, non omnino, sed *fere sufficienter*, σχεδὸν ἱκανῶς, sese enumerasse ingenue asseruit [1]. Nos vero ne omnes quidem , quos Stagirita recensuit , exponemus, sed illos dumtaxat, qui non leve disputationibus philosophicis commodum afferre posse nobis visi sunt; alioquin isthaec locorum tractatio fines, quos huic operi nostro praestituimus, longe egrederetur.

Initium ab enumeratione locorum accidentis ducendum nobis esse secundum Aristotelem censemus. Primum enim , quia , observante Aristotele , difficilius est locos accidentis invenire , quam qui ad tres reliquas quaestiones de *genere*, de *definitione*, et de *proprio* pertinent. Et sane, in cuiuslibet scientiae, aut artis exercitatione , uti paulo ante ex Alexandro Aphrod. advertimus , iuvat prius difficiliora , quam faciliora , aggredi , quippe quod ei, qui in difficilioribus inveniendis se exercuit, faciliora invenire nullo negotio contingit. Iamvero, haud dubium est , quin difficilius sit locos accidentis invenire , quam qui ad caeteras quaestiones pertinent. Nam illud, quod vel ut genus, vel ut definitio , vel ut proprium convenire subiecto intelligitur, eiusmodi est , ut subiectum ab ipso *proprium denominationem* , οἰκείαν ὀνομασίαν , sumat. Puta , quoniam intelligimus τὸ *esse animal*, uti *genus*, τὸ *esse animal rationale*, uti *speciem*, et τὸ *esse capax ridendi*, uti *proprium* convenire homini, idcirco absolute dicimus cum hominem esse *animal*, tum hominem *esse animal rationale* , tum demum hominem esse *capacem ridendi*. Contra ea, illud, quod veluti accidens inesse subiecto intelligimus , non semper est eiusmodi, ut subiectum ab ipso denominetur, quippe quod fieri potest, ut ipsum *non omnino*, μὴ καθόλου ,

[1]) *Op. cit.* , lib. VII, c. 5, t. II, p. 217, ed. Waitz.

sed dumtaxat *aliqua ex parte*, πῇ, vel κατά τι, subiecto insit. Ita, ex eo quod albedinem AEthiopi inesse novimus, absolute dicere nequimus *AEthiopem esse album*, quia AEthiops non omni ex parte, sed dentibus tantum albus est. Iam, si hocce discrimen inter quaestionem accidentis, et tres reliquas quaestiones intercedit, procul dubio difficilius est invenire locos, qui ad illam, quam qui ad istas pertinent. Etenim, si τὸ *esse animal*, aut τὸ *esse animal rationale*, aut τὸ *esse capax ridendi* convenire homini demonstraveris, inde sine ulla alia probatione concludere poteris hominem esse *animal*, aut esse *animal rationale*, aut esse *capacem risus*. Verum, « non satis est, Aristoteles ait, si ostendas inesse al- « bedinem, aut iustitiam, ad demonstrandum aliquem « album, aut iustum. Nam dubitare licet, an ex parte « ille albus, aut iustus sit [1] ».

Secundo autem, quia problema de accidente, uti Alexander Aphrod. advertit [2], est *communissimum, et simplicissimum problematum*, κοινότατόν καὶ ἁπλούστατον τῶν προβλημάτων, quae pertinent ad dialecticas quaestiones. Enimvero, accidens illud dicitur, quod non aliud significat, nisi quidquam subiecto inesse, aut non inesse, sive, ut Scholastici post Aristotelem aiunt, significat simpliciter inesse, aut non inesse, quia non aliud, nisi inesse est proprium notionis accidentis [3]. Genus vero, aut defini-

---

[1]) *Top.*, lib. II, c. I, § 4, ed. Didot. Explicatius Albertus M.: « In « accidentibus autem nihil prohibet aliud secundum quid inesse, et « non simpliciter, ut iustitiam secundum quid inesse, ut albedinem « convenit inesse secundum quid, quando non inest, nisi secundum « partem non principalem, a qua denominari non potest totum: et « iustitia secundum partem, hoc est, imperfecte, et non simpliciter « secundum perfectum esse iustitiae, quod est inesse secundum ha- « bitum, et secundum suae causae perfectionem, quae est assuetu- « do »; *Op. cit.*, lib. II, tract. I, c. 1.

[2]) *Op. cit.*, p. 68, ed. cit., vel *Schol.* ed. Brandis, 108 b 37.

[3]) « Dico autem, Albertus M. inquit, simpliciter inesse, quod supra « inesse nihil addit, ita quod inesse est simplex non determinatum « aliquo modo inhaerendi, hoc est, quod non inest, ut genus, nec

tio, aut proprium illud vocatur, quod significat aliquid certo, seu determinato modo convenire, aut non convenire subiecto, hoc est vel prout eius essentiam inchoat, nempe *genus*, vel prout essentiam eius perficit, nempe *definitio*, vel denique prout essentiam eius iam constitutam necessario consequitur, nempe *proprium*. Atqui illud, quod non aliud significat, nisi quidquam subiecto inesse, aut non inesse, communius est iis, quae aliquid certo quodam modo inesse, aut non inesse subiecto significant. Ea igitur, quae pertinent ad quaestionem de accidente, sunt illis communiora, quae ad quaestiones de genere, de definitione, et de proprio spectant. Iam, quandoquidem utile est prius cognoscere aliquid, prout est pluribus commune, quam prout secundum quosdam speciales modos in pluribus determinatur, nemo non videt hunc ordinem in locorum recensione servandum esse, ut primum locos accidentis, dein locos generis, definitionis, et proprii exponamus.

Loci accidentis, ni fallimur, ad duo potissima genera reducuntur. Nam propositiones universales, seu maximae erui possunt vel ex accidentibus, quae ad rem in se, sive *absolute* spectatam pertinent, vel ex accidentibus, quae ad rem pertinent, prout haec quemdam ordinem ad aliud habet. Iam, quandoquidem accidentia, quae priori modo ad rem pertinent, *absoluta*, et quae posteriori modo, *relata*, vel *comparata* vocantur, loci accidentis in locos *accidentis absoluti*, et locos *accidentis relati*, seu *comparati* dividi posse videntur. Re vera, quisquis plurimos locos accidentis ab Aristotele recensitos penitus expenderit, Alberto M.[1], et nuperrimo Thionvilleo[2] lubenter assentietur, qui Aristotelem di-

« proprium nec ut definitio, sed simpliciter inest rei, ita quod sim-
« pliciter modum dicat inhaerendi a privatione modi, qui aliud addit
« supra inhaerentiam »; *Op. cit.*, lib. II, tract. I, c. 1.

[1]) *Op. cit.* lib. II, tract. I, c. 2.

[2]) *Op. cit.*, c. 3, p. 57-66.

stinctionem locorum in locos *accidentis absoluti*, et in locos *accidentis comparati*, seu in *locos comparationis* re ipsa admisisse existimavit. Namque, uti ab eis observatum fuit, duorum librorum, in quibus de locis accidentis egit, nempe secundi, et tertii *Topicorum*, primus circa locos accidentis *absoluti*, et alter circa locos accidentis *comparati*, seu *relati* versatur [1].

Hoc notatu dignum vel ex eo est, quod rethores posteriorum aetatum illam locorum divisionem sectati esse videntur. Omnium instar sit Cicero. Is in suis *Topicis* primo locos, qui a *definitione*, ab *enumeratione partium*, a *genere*, a *speciebus*, aliisque eiusmodi sumuntur [2], dein locos *comparationis*, quos plures e numero, specie, vi, aliisque similibus discrevit [3], enumeravit. Quorum priores esse *accidentis absoluti*, posteriores vero *accidentis comparati* satis manifestum est [4].

A locis accidentis absoluti exordientes principio advertimus hosce locos commode dividi posse, secundum Albertum M., in *intrinsecos ac extrinsecos;* si quidem, uti ex dicendis patescet, alii eorum ab ipsis terminis problematis, nempe subiecto, et praedicato, alii vero ab aliis, quae extra terminos eius sunt, petuntur [5]. Ex

[1]) E re est exscribere pauca verba Alberti M., in quibus hanc distinctionem aperte insinuavit. « Primo igitur, inquit, oportet ponere « considerationes tam destructivas, quam constructivas (*nempe tam « quae ad refellendum, quam quae ad confirmandum aptae sunt*) « ad inesse, vel non inesse simpliciter: et tandem in sequenti libro « determinabimus problema de inesse ut accidens, non absolutum, « sed ad aliud comparatum »; *Op. cit.*, ibid.

[2]) C. 5-8.—[3]) C. 18.—[4]) C. 18.

[5]) *Op.cit.* ibid. Loci *extrinseci*, de quibus Albertus M. hic disseruit, confundendi cum illis non sunt, quos Cicero *extrinsecus assumtos* vocavit. Re vera, Cicero docuit « alios locos... in eo ipso, de quo ambigitur, haerere » (*internos*), ac « alios assumi extrinsecus (*externos*) » (*Topic.*, c. 19; cf c. 2, et 4). Internos illos esse voluit, qui vel ab ipsa re, de qua agitur, puta *ab enumeratione partium, a definitione*, aliisque, vel a rebus, quae ad ipsam quodammodo affectae sunt, puta a coniugatis, a similitudine, ac id genus reliquis sumuntur; externos vero, qui nec a re, de qua agitur, nec a rebus ad illam

intrinsecis illos primum adnumeramus, qui, uti Alexander Aphrod. inquit [1], ἐκ διαιρέσεως, nempe a divisione subiecti in suas partes, seu species ducuntur. Quatuor isti sunt, quorum duo priores, cum sint *negantes*, ad refellendum, et posteriores, cum sint *aientes*, ad comprobandum vim habent. Negantes sunt hi : *Quod nulli specici subiecti accidere exploratum est, ne toti quidem subiecti generi accidere dici potest*, et, *Quod alicui specierum, in quas genus dividitur, non accidere compertum est, toti generi tribui nequit.* Affirmantes vero se habent hoc modo : *Quod omnibus speciebus alicui generi subiectis accidere compertum est, toti generi etiam accidere dici potest*, et, *Quod pluribus speciebus accidere compertum est, toti generi accidere probabili-*

---

quodammodo pertinentibus, sed a rebus ab illa longe disiunctis petuntur. Horum fontem praecipuum *auctoritatem* statuit, quam vel virtus, vel ingenium, vel aetas, vel opes, vel ars, aliaque huiusmodi gignunt (*Op. cit.*, c. 4, 19, et 20). Ipse doctrinam locorum externorum in Topicam invexit auctoritate permotus quorumdam graecorum, qui illos ἀτέχνους, sive *artis expertes* vocarunt. « Quae autem, ait, extrinsecus assumuntur, ea maxime ex auctoritate ducuntur. Graeci tales argumentationes ἀτέχνους vocant, id est, artis expertes » (*Op. cit.*, c. 4). Haec divisio tulliana locorum, uti ex dictis patescit, ab ea differt, quam B. Albertus cum aliis Scholasticis proposuit; nam loci tam intrinseci, quam extrinseci, prout ab Alberto M. exponuntur, ad illorum genus pertinent, quos internos post Tullium recentes nuncupant. Nullos autem locos externos, sive ἀτέχνους dari indubium nobis videtur. Nam loci, sive propositiones universales, sive harum differentiae esse dicantur, certe peti non possunt, nisi vel ab ipsa re de qua quaestio instituitur, vel a rebus, quae ad ipsam quodammodo referuntur. Auctoritas ipsa, ne de verberibus, tormentis, aliisque, quae Tullius enumeravit (*Top.*, c. 20), dicamus, propositiones universales gignere non valet, sed dumtaxat, si iusta, legitimaque sit, fidem ipsis conciliat, quia consensus omnium, vel plurimorum, maxime doctorum, non efficit aliquid probabile, sed dumtaxat argumento est aliquid esse probabile. Hinc merito Quintilianus inter ipsos veteres divisionem locorum in internos, ac externos omisit, meliusque sibi Melanchthon (*Dial.*, lib. IV, p. 168-194, ed. cit.), P. Ramus (*Scholae in liberal. artes*, col. 210, ed. cit.), et plerique recentes sibi consuluissent, si potius Quintilianum, quam Ciceronem, sectati essent.

[1]) *Op. cit.*, lib. II, p 74, ed. cit, vel *Schol.* ed. Brandis, 109 b 12.

ter concludi potest. Ad veritatem trium priorum locorum patefaciendam argumenta, et exempla non adducimus, quippe quod ipsa cuilibet notiones generis, speciei, aliasque, quas alibi tradidimus, prae oculis habenti perspicua esse debet. Quarti autem loci utilitas ex eo efficitur, quod, quoties adversarius non possit ullam speciem proferre, cui attributum in aliis pluribus exploratum desit, sive, ut Aristoteles ait, *instantiam inferre* ἐνίστανσι [1], propositionem, nisi protervus videri velit, pro universali amplectatur necesse est [2].

Deinde locos subiungimus, qui a definitione vel accidentis, τοῦ σύμβεβηκότος, quod subiecto inest, vel subiecti, cui accidens inest, ᾧ συμβέβηκεν, vel utriusque ἀμφοτέρων, sumi possunt. Hi tres numerantur. Quorum primus est: *Quod definitioni subiecti non convenit, ne subiecto quidem convenit.* Puta, si quis a te quaerat, num *invidus sit sapiens*, responsio negans in loco, quem innuimus, tibi suppetet, quia definitio subiecti, nempe *invidi* in *sapientem*, qui est attributum, non cadit. Et sane, invidia, cum aegritudo ex rebus secundis viri boni scite definiatur, sapienti convenire non potest; alioquin sapiens improbus esset. Secundus hic est: *Si definitio attributi subiecto non convenit, huic ne attributum quidem conveniet.* Ita, si quis impius in quaestionem adducat, *an Deus rem iniustam faciat*, solutio quaestionis ex altero loco definitionis commode peti potest, quippe quod, cum praedicatum quaestionis, nempe facere rem iniustam, sit sponte, et sine causa nocere, ipsum in subiectum, nempe Deum cadere repugnat [3]. Tertius locus est huiusmodi: *Si*

---

[1]) *Topic.*, lib. II, c. 2, 4, ed. Didot. *Instantia*, ἔνστασις, ab eo definitur *argumentum ad thesim impugnandam*, ἐπιχείρημα πρὸς τὴν θέσιν (*ibid.*) Hoc adnotavimus, ut, quid significet vox *instantia* apud Scholasticos, explicaremus.

[2]) His locis quodammodo respondent illi, quos Tullius *enumerationem partium* et *partitionem*, *divisionemque* vocavit. Vid. *Topic.*, c. 2, 6 et 7.

[3]) Arist., *Op. cit.*, lib., et c. citt., § 3. In hoc exemplo afferendo non

definitio attributi definitioni subiecti non convenit, ne attributum quidem subiecto convenit. E. g., si ponatur haec quaestio, *an qui indignatur, sit invidus*, ex definitionibus *indignationis*, ac *invidiae* demonstrari potest cum, qui indignatur, non esse invidum, quia invidia est aegritudo, quae ex secundis rebus bonorum enascitur, et indignatio est aegritudo, quae ex rebus secundis improborum concipitur.

Advertendum hic est posse interdum fieri, ut tota definitio a respondente negetur, quia, cum in ipsa unum, vel plura sint obscura, id quod quaeritur, τὸ ζητούμενον per ipsam non efficitur manifestum. Quoties hoc contingit, « utile est, ait secundum Stagiritam Albertus, diffini- « tionem pro nomine obscuro ponere, cum per hoc « problema determinetur, et per hoc respondens non « habeat negandi occasionem [1] ». Quod si in novam quoque definitionem aliquod nomen obscurum irrepat, hoc quoque oportet definire, nec prius a definiendo desistere, quam prima definitio omnino declarata sit, ob idque omnis occasio propositionem negandi adversario erepta [2]. Hinc probe monuit idem Albertus definitionem, ex qua tres loci modo recensiti sumuntur, late esse accipiendam, hoc est, prout quamlibet declarationem nominis significat [3]. Hoc certe apud rethores latinos occurrit. Nam Cicero inter locos numeravit non modo *de-*

---

tam Aristotelem, quam Albertum M. (*Op. cit.* lib. et tract. citt., c. 4) secuti sumus. Nam θεὸν ἀδικεῖν apud Aristotelem non valet *Deum rem iniustam facere*, sed *iniuria Deum afficere*. Ipse enim probare vult non posse *Deum iniuria affici*, θεὸν ἀδικεισθαι, quia non potest *Deo noceri*, βλάπτεσθαι τὸν θεὸν. Re vera, verbum *passivum* ἀδικέομαι, non aliud valet, quam *iniuriam afficior*, *iniuriam patior*, *laedor*. At, quandoquidem hoc exemplum est falsum, vel saltem ambiguum, nos cum Alberto M. ἀδικεῖν neutro modo accepimus, quo *esse iniustum*, sive, quod idem valet, *rem iniustam facere* significat, proindeque exemplum ab Aristotele allatum paulum immutavimus.

[1]) *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 4.

[2]) Vid. Arist., *Op. cit.*, lib. II, c. 2, § 3, ed. Didot.

[3]) *Op. cit.*, loc. cit.

finitionem, de qua dictum est, sed etiam *notationem*, qua « ex vi verbi argumentum aliquod elicitur [1] », et Quintilianus definitionem, sive, ut ait, *finitionem*, quam inter locos argumentorum posuit, non solum a vi ipsius rei definitae, sed etiam a vi vocis, qua significatur, sive ab *etymologia* peti posse docuit [2].

Postquam locos a definitione enascentes exposuimus, ad locos, qui a genere, et specie sumi possunt, explicandos progrediamur necesse est, quia si definitio, uti Alberti M. verbis utamur, « totum esse rei dicit [3] », genus, et species partes τοῦ *esse* rei denotant. Loci, qui ad genus, et speciem pertinent, duo sunt. Horum primus, qui ad genus spectat, hic est: *Quod de genere dicitur, etiam de specie dici potest.* E. g., si quaeratur, num in sensu sint *integritas*, et *peccatum*, ὀρθότης καὶ ἁμαρτία, nempe num sensus proprium sit iudicare *recte*, *aut non recte*, ὀρθῶς καὶ μὴ ὀρθῶς, quaestionem solvere licet, a genere ad speciem argumentando hunc in modum: *Iudicari recte, aut non recte potest. Atqui* « *iudicare est genus* « τοῦ *sentire; sentiens enim iudicat quodammodo* [4] ». *Er-*

---

[1]) *Topic.*, c. 2, ed. Oliv. In quo hoc exemplum attulit: « Cum lex « assiduo vindicem assiduum iubeat, locupletem iubet locupleti. Lo- « cuples enim est assiduus, ut ait AElius, appellatus ab aere dando ». Alii legunt *ab asse dando* (vid. Olivetum, not. in l. cit.). De hac lege XII Tab., quam Tullius commemorat, et de vi vocis *assiduus* legesis Gellium, *N. A.*, lib. XVI, c. 10.

[2]) Hic, postquam argumenta, quae ex finitione sumuntur, exposuit, illico subdit: « Finimus autem aut vi, ut superiora, aut ετυμολογία, ut « *assiduum* ab aere dando, et *locupletem* a locorum, *pecuniosum* « a pecorum copia »; *Inst. Orat.*, lib. V, c. 10. Quod Quintilianus hic ἐτυμολογίαν graece dixit, Cicero, ut modo vidimus, *notationem* verterat, quia etymologia, sive interpretatio nominis rei veritatem denotare solet.

[3]) *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 6.

[4]) Id autem, uti Albertus M. h. l. advertit (*Op. cit.*, loc. cit.), non est intelligendum, « de sentire sensus particularis, quia iste non pec- « cat in proprio sensato », sed « de sentire sensus communis, qui « componit, et dividit sensata particularia »; unde de his iudicat. Quoniam autem iudicium sensus longe inferius est iudicio intelle-

go sensui convenit recte, aut non recte indicare. Alter locus, qui a specie depromitur, ita se habet: *Quaecumque accidunt speciei, ea etiam generi accidere necesse est.* Ita, si quis probare debet dispositionem, διάθεσιν, esse malam, aut bonam, conficere potest hocce argumentum, quod a specie ad genus progreditur: *Scientia est bona, aut mala; atqui scientia est species dispositionis; ergo dispositio est bona, aut mala* [1].

Iamvero, horum locorum prior potius ad refellendum, quam ad confirmandum, et alter potius ad confirmandum, quam ad refellendum accommodati sunt. Quod ut probe intelligatur, advertendum est in genere duo considerari posse, scilicet vel illud, quod eius essentiam constituit, aut ipsam necessario consequitur, vel aliquid, quod essentiae accidere potest, seu quod accidens eius est. E. g. ad animalis essentiam pertinet vitam, et sensum habere, sed ei accidit esse in harundine *volatile*, in equo *quadrupes*, in homine *bipes*, quia nec ad essentiam animalis pertinet, nec essentiam animalis consequitur *volare*, aut *quatuor*, vel *duos pedes* habere. Quandoquidem autem nihil potest accidere generi, prout in se, sive in essentia sua spectatur, sed tantum prout in singulis suis speciebus determinatum intelligitur, ideo B. Albertus M. docuit genus priori modo sumi *secundum simplicitatem substantiae ipsius*, seu prout genus est, a suisque speciebus distinguitur, et posteriori sumi *in ambitu suae generalitatis*, hoc est, *prout dicit ambitum communitatis ad continendas species.* Iam, si genus priori modo accipiatur, argumentatio, quae a genere ad singulas species fit, procul dubio tam ad confirmandum, quam ad refellendum valet. Nam, cum nulla res sine essentia sua esse, et intelligi possit, pro certo habendum est, ubicumque genus invenitur,

---

ctus, idcirco sensus *quodammodo*, πως, iudicare ab Aristotele dictus fuit. Sed de hac re plura in *Dynamil.*, in qua quantum haec doctrina Aristotelis a veterum, recentiumque Sensistarum placitis differat, patefaciemus.

[1]) *Op. cit.*, lib. II, c. 4, § 2.

ibi inveniri omnia, quae essentiam generis efficiunt, atque ubi genus inveniri repugnat, ibi ne illa quidem omnia, quae essentiam efficiunt, posse inveniri. Atqui singulae species genus, cui subiiciuntur, per aliquam differentiam determinatum continent [1]. Ergo unicuique speciei omnia, quae genus constituunt, convenire, et omnia, quae generi repugnant, repugnare pro certo habendum est. Inde patet genus, si priori modo accipiatur, ad confirmandum, ac refellendum simul esse opportunum, idque ob haec duo axiomata: *Quidquid de genere sic accepto dicitur, de singulis speciebus quoque dicatur oportet*, et, *Quidquid dici non potest de genere sic accepto, ne de ulla quidem specie dici potest.* Exemplum a necessario consequentibus essentiam sumamus, quippe quae ad topicam magis spectant. Puta, si probandum sit prudentiam esse laude dignam, potest probari hoc modo: *Virtus est laudanda; atqui prudentia est virtus; ergo prudentia est laudanda.* Sin refellendus sit, qui dicat prudentiam esse dignam reprehensione, potest confici hocce argumentum: *Virtus non est reprehendenda; atqui prudentia est virtus; non est igitur reprehendenda prudentia.*

Verum, quoniam dialectica probabilibus, non vero necessariis argumentis utitur, genus, ex quo loci originem ducunt, posteriori modo accipiendum est. Iam, si genus hoc modo accipiatur, certe ipsum ad confirmandum non valet. Etenim id, quod accidens generis est, non invenitur in cunctis speciebus eius, quia cunctis speciebus alicui generi subiectis, ut modo diximus, commune est illud, quod vel essentiam generis constituit, vel ipsam necessario consequitur, sed non illud, quo essentia a genere denotata in unaquaque illarum determinatur. Atqui, si hoc ita est, dici non potest aliquid accidere alicui speciei ex eo tantum, quod accidere generi compertum est, quia fieri potest, ut in alia quidem spe-

[1]) Cf quae diximus vol. I, p. 276 sqq.

cie, non vero in illa, de qua quaestio est, inveniatur. Ergo argumentatio, quae a genere posteriori modo accepto ad speciem efficitur, vim ad confirmandum non habet. Id opportuno exemplo B. Albertus illustravit hunc in modum: « . . . non est necessarium quod quaecumque praedicata generi insunt, et speciei insint . . . quia animal in ambitu suae generalitatis est et volatile, et quadrupes : et utrumque horum inest generi : homo autem species est animalis, neque est volatile, neque est quadrupes : et sic non sequitur a genere semper ad speciem affirmando [1] ». At, si argumentatio, quae a genere ad speciem progreditur, non valet ad confirmandum, certe magnam vim ad refellendum habet. Cuius rei ratio, ut idem Albertus monuit, in hoc axiomate consistit : « Quaecumque universaliter generi non insunt, illa non insunt speciei alicui generis illius [2] ». Et sane, perspicuum est ea dumtaxat generi universaliter non inesse, quae notioni eius repugnant. Atqui illud, quod generi repugnat, ut modo ostensum est, in nulla eius specie inveniri potest. Ergo ea, quae generi universaliter non insunt, ne ulli quidem speciei eius inesse certum est. Hinc contendentem alicui speciei aliquid accidere, quod eius accidens re ipsa non est, omnino refellere nobis continget, si illud non posse esse accidens generis, cui species subiicitur, ostenderimus. E. g., si quis imbecillitatem suam nomine prudentiae excusare velit, potest refelli hac argumentatione, quae a genere ad speciem progreditur: *Imbecillitas non est virtus ; sed prudentia est species virtutis ; imbecillitas igitur non est prudentia.*

Contra ea, argumentatio, quae a specie ad genus posteriori modo spectatum procedit, valet ad confirmandum, non vero ad refellendum. Nam, quandoquidem totum genus in qualibet specie certo quodam modo determinatum invenitur, necesse est, ut quidquid accidere alicui

---

[1]) *Op. cit.*, lib. II, tract. I, c. 6. — [2]) *Ibid.*

speciei comperitur, id quoque accidens generis esse posse dicatur; unde, si concedatur aliquid esse accidens alicuius speciei, inde colligi potest illud esse accidens generis, cui illa species subiecta est. En exemplum, quo hanc rem illustravit post Aristotelem Albertus M.: « Sed « quaecumque insunt speciei, similiter illa ut tota in- « sunt etiam speciei, et generi, et sic a specie ad genus « proceditur affirmando. Si enim detur, quod homo est « studiosus, sequitur, quod animal est studiosum, ad « hoc quia homo est animal [1] ». Ad refellendum autem huiusmodi argumentationem non esse accommodatam ex se patet, quia, ut laudatus Albertus subdit: « quaecumque non « insunt huic, vel illi speciei, non necesse est etiam non « inesse generi [2] ». Enimvero, quoniam illud, quod est accidens generis, non invenitur in cunctis speciebus genere comprehensis, procul dubio ex eo, quod aliquid accidens in aliqua specie non invenitur, concludi nequit illud ne generi quidem convenire, cui illa species subiicitur. Quare, si quis contendat aliquid esse accidens alicuius generis, refelli non potest argumentando a specie ad genus, nempe quod illud accidens in aliqua specie non invenitur; fieri enim potest, ut in alia specie eiusdem generis existat. Ita, si quis inter virtutes enumeret aliquid, quod virtus non est, certe ex eo non refelletur, quod prudentiam non esse probatur; nam, si non est prudentia, potest esse temperantia, aut alia quaedam virtutis forma [3]. Tum solum, uti Quintilianus monuit, a specie ad genus argumentari licet, cum omnes species numeratae sunt, et nulli ipsarum accidens, de quo quaestio est, inesse demonstratum est. E re est Quintilianum hanc doctrinam Stagiritae exponentem audire, ut quantum notitia harum dialecticarum subtilitatum oratores iuvet, inspiciatur: « Genus, scribit, ad probandam « speciem minimum valet, plurimum ad refellendam.

---

[1]) *Ibid.* — [2]) *Ibid.*

[3]) Cf Arist., *Op. cit.*, ibid., et Albert. M., *Op. cit.*, ibid.

« Itaque *non quia est arbor, platanus est: at quod non* « *est arbor, utique platanus non est. Nec quod non* « *est virtus, utique potest esse iustitia.* . . . Contra spe- « cies firmam probationem habet generis, infirmam re- « futationem. Nam *quod iustitia est, utique virtus est:* « *quod non est iustitia, potest esse virtus, si est forti-* « *tudo, constantia, continentia* [1] ».

Cum de locis a genere, et specie sumtis actum sit [2], praeterire nolumus alios duos locos, qui huc quoque pertinent. Quorum prior, qui ad confirmandum vim habet, hic est: *Quibus genus convenit, iis aliqua specierum, in quas illud genus dividitur, conveniat necesse est.* Alter vero, qui ad infirmandum dumtaxat valet, ita se habet: *Cui nulla species convenit, ei nec genus convenire potest* [3]. Et scite. Nam, cum quidquid generi accidit, ei accidat, prout in suis speciebus determinatum intelligitur, sive, uti Albertus M. loquitur, *prout dicit communitatem ad suas species*, consequens est non posse quidquam generi accidere, quod in aliqua suarum specierum non inveniatur, atque ob hanc causam id, quod in nulla specierum alicuius generis invenitur, generi non posse attribui. Quapropter, si cui aliquod accidens generis convenire, ab eoque denominari novimus, concludere nobis licet ipsi aliquam specierum, quae illi generi subiiciuntur, etiam convenire; et, si cui nullam specierum, quae alicui generi subiiciuntur, convenire probatum est, ipsi ne genus quidem inesse. Exemplum prioris loci hoc post Aristotelem afferri solet: Si disciplinam alicui inesse nobis concedatur, probare fa-

---

[1]) Lib. V, c. 10, ed. cit.

[2]) Loci accidentis a genere sumti, quos modo recensuimus, cum locis generis confundendi non sunt, quia loci generis, uti ex dicendis patescet, non ad inveniendum, num aliquid praedicetur tanquam accidens, quemadmodum loci accidentis a genere sumti, sed num praedicetur tamquam genus, spectant.

[3]) « Non est possibile, s. Thomas ait, in genere esse, quod in nul- « la specie est »; I, q. VII, a. 3 ad 2.

esse possumus inesse illi vel grammaticam, vel musicam, vel aliam quamdam caeterarum disciplinarum, idque hoc modo: *Cui inest genus, aliquam specierum illius quoque ei inesse oportet. Atqui disciplina est genus, et grammatica, medicina, aliaeque peculiares disciplinae sunt eius species. Ergo, si Socrati inest disciplina, eum vel grammatica, vel medicina, vel alia quadam caeterarum disciplinarum pollere dicendum est.* Posterioris exemplum est huiusmodi: Si quis contendat animam moveri, egregie refelletur a nobis, si nullam speciem motus in animam cadere posse ostenderimus; conficere enim nobis licet hoc ce argumentum: *Nulla species motus, scilicet nec augeri, nec minui, nec a se ipso generari, aut corrumpi, nec alia quaevis species in animam cadere potest. Atqui, si nulla species motus in animam cadere quit, ne genus quidem, quod in ipsas dividitur, nempe motum in eam cadere possibile est. Ergo anima omnino non movetur* [1].

Dignus quoque notatu est locus, qui *a tempore* sumitur. Aristoteles, qui, uti ante monuimus, locos, praecepti cuiusdam instar, exposuit, in solutione quaestionum *ad tempus respicere*, ἐμὶ τὸν χρόνον ἐπιβλέπειν, iussit. Ex quo praecepto efficitur hic locus, qui ad refellendum plurimum valet, scilicet: *Quod aliquando non inest, non necessario inest.* Huius manifestissima ratio est, quod, si quid rei inesse necesse est, fieri non potest, ut res aliquando sine illo sit. Duo exempla, quorum unum ex rebus materialibus, ac alterum ex rebus spiritualibus suppetunt, apud Aristotelem occurrunt. Primum est, si quis autumet id, quod alitur, necessario augescere; hunc enim ex eo confutare pronum est, quod in sene-

---

[1]) Arist., *Op. cit.*, lib., et c. citt., § 3, ed. cit. Aristoteles illud, quod hic adversus Platonem innuit, probavit in *lib. I de Anim.*, c. 4. Aliud exemplum nobis sumere lubet a s. Thoma, qui hoc loco usus est, ut nullam magnitudinem infinitam esse probaret. « Non « est, ait, possibile esse aliquam magnitudinem infinitam, cum nulla « species magnitudinis (*bicubitae, vel tricubitae, sive circularis, « vel triangularis, et similium*) sit infinita »: I, q. VII, a. 3 ad 2.

cta animalia aluntur, nec tamen augescunt. Secundum est, si quis cum Platone pugnet *scire idem esse, ac reminisci*. « Hoc enim, ut ipsius Aristotelis verbis uta-« mur, praeteriti temporis est : illud vero et praesen-« tis, et futuri. Nam dicimur scire et praesentia, et « futura; velut, fore solis defectionem; meminisse autem « non contingit, nisi praeteriti [1] ».

Sunt, praeter iam recensitos, pauci alii loci de accidente absoluto intrinsecus assumti; sed hi vel admodum faciles sunt, vel potius ad Sophistarum pertinaciam infringendam, quam ad inveniendam veritatem, vim habent. Quocirca, hisce omnino relictis, illorum quosdam, qui ab *antecedentibus, et consequentibus* sumuntur, exponemus. Loci, qui ab *antecedentibus, et consequentibus* ducuntur, duplicis generis sunt, quia antecedens, et consequens possunt esse vel eiusmodi, ut unum altero contineatur, vel eiusmodi, ut unum per alterum tollatur. Iam, si unum altero continetur, inde duo loci disputatori suppetent, scilicet: *Posito antecedente, ponendum et consequens, et, sublato toto consequenti, vel parte eius, tollitur hoc ipso antecedens*. Quoniam horum enunciatorum vim, usumque in secunda parte *Logicae* ostendimus, hic dumtaxat monemus priorem locum ad confirmandum, et posteriorem ad refellendum vim habere. Prior valet ad confirmandum ; nam, si adversarius concedat antecedens, inde consequens, de quo quaestio erat, ἀμέσως, *immediate*, hoc est, sine ulla probatione inferri potest, idque ex vi illius pronunciati, quod, concesso antecedente, consequens etiam concedendum est. Posterior valet ad refellendum ; nam, si quis aliquid, quod falsum est, tueatur, facile refellitur, si id, quod ex eo consequitur, vel omnino, vel ex parte falsum esse ostendatur, idque ex vi alterius pronunciati, quod, sublato toto antecedente, vel parte eius, antecedens quoque tolla-

---

[1]) Lib. cit., c. 4, § 6, ed. Didot. Cf Albert. M., *Op. cit.*, lib. II, tract. I, c. 6.

tur oportet. Exemplum, quo Aristoteles usus est, B. Albertus exposuit hunc in modum: « . . . qui dixit hoc « antecedens quod est hominem, dixit etiam per con- « sequens, quod est animal, et quod est animatum, et « quod est consequens ad animal, et quod est bipes, « quod est differentia ipsius, et quod est disciplinae « susceptibile, quod proprium ipsius: et ideo ponitur, « ipso posito. Propter quod, quolibet illorum consequen- « tium unico interempto, interimitur antecedens ipsum. « Si enim non est animal, non est homo: si non est « animatum, non est homo; et sic de aliis [1] ».

Sin antecedens, et consequens sibi sint contraria, duo alii loci inde sumi queunt, iique sunt: *Si unum contrariorum inest subiecto, alterum non inest*, et, *Si contrariorum unum non inest, alterum inest*. Horum prior ad confirmandum, alter autem ad refellendum vim habet. Nam, si nobis concedatur aliquid subiecto inesse, inde probare possumus contrarium non inesse subiecto; puta si quis *binarium esse parem* nobis concedat, inde probare possumus *binarium non esse imparem*, et conficere hoc argumentum: *Si binarius est par, binarius non est impar*. Si quis vero neget aliquid subiecto inesse, refelli ex eo potest, quod contrarium subiecto non est, puta si quis contendat *binarium non esse parem*, egregie refelli potest, si *binarium non esse imparem* demonstretur, quia inde argumentari licet hoc modo: *Si binarius non est impar, binarius est par* [2].

Hisce locis intrinsecis accidentis absoluti enumeratis,

---

[1]) *Op. cit.*, lib. et tract. citt., c. 8.

[2]) Vid. Arist., *Op. cit.*, lib. cit., c.6, § 1,ed. cit. Locus ad refellendum, uti ex se patet, in iis contrariis solum valet, inter quorum extrema nullum medium est; sed de hac re inferius. Illud hic monendum est cum Alberto M. hos locos ab illis differre, qui ab oppositis,ut mox dicemus, sumuntur: « Locus autem iste,B.Albertus ait, « ab oppositis sumptus hic ponitur inter locos intrinsecos: quia non « trahitur consideratio ab oppositis, secundum quod sunt opposita, « sed ab antecedente, et consequente, quod est alii oppositum»;*ibid.*

ad extrinsecorum recensionem progrediamur. Horum pars, quae potior, et notatu digna est, ab *appositis* derivatur, quia ea, quae subiecto, et praedicato opponuntur, potiori modo extra terminos problematis esse intelligitur. Sed, antequam locos huius generis exponamus, ordinis ratio iubet nonnihil innuere de locis, qui *a diversis*, sive, ut Scholae aiunt, *a disparatis* ducuntur, quia, observante Alberto M. [1], illi loci ad istos facile reducuntur. Et sane, diversa, atque a Scholasticis *disparata* ea vocantur, quae, quamvis inter se differant, tamen secum re ipsa non pugnant, puta *lapis*, et *planta*. Opposita autem ea dicuntur, quae secum omnino pugnant; puta *albedo*, et *nigredo*, *rationale*, et *non rationale*, aliaque huiusmodi. Iam liquet omne oppositum esse disparatum, quia ea, quae sibi opponuntur, aliquo modo inter se differant necesse est. Atqui, si omne oppositum est disparatum, necesse est, ut omne oppositum ad disparatum reducatur. Loci igitur, qui ab oppositis ducuntur, ad locos a disparatis petitos revocantur.

Iam, loci, qui a disparatis ducuntur, quadripartitae illi innituntur rerum naturalium distinctioni, scilicet, quod ipsarum aliae accidunt *necessario*, ἐξ ἀνάγκης, aliae *plerumque*, ἐπὶ τὸ πολύ, sive, ut Scholae aiunt, *in pluribus*, aliae *raro*, seu ἐπ' ἔλαττον, *in paucioribus*, aliae denique *ad utrumlibet*, ὁπότερ' ἔτυχεν, hoc est, quod perinde accidere, ac non accidere possunt. Ad hanc rerum distinctionem recte intelligendam nosse oportet, quot modis aliquid alicui inesse possit. Iam, aliquid alicui inesse potest vel secundum substantiam, vel secundum aliquid, quod substantiae addi intelligitur. Si primum, inest ei *necessario*, puta hominem esse animal, quia res sine sua substantia nec esse, nec cogitari potest; sin alterum, *contingenter*, quia res sine iis, quae extra substantiam eius sunt, esse, et intelligi potest. Iam id, quod rei inest necessario, inest ei *semper*, quia « necessitas, uti

[1]) *Op. cit.*, lib. cit., tract. II, c. 1.

« ad hanc rem Albertus M. scribit, causat et totalitatem « subiecti ita quod inest omni, et totalitatem temporis, « ita quod inest semper, quod est de ratione ipsius [1] ». Quod autem *contingenter* inest rei, non inest ei *semper*, quia id, quod in re esse contingit, non invenitur in omnibus individuis, quae ad illius rei naturam pertinent. « Quod accidit, Aquinas subdit, alicui naturae, non « invenitur universaliter in natura illa : sicut habere « alas, quia non est de ratione animalis, non convenit « omni animali [2] ». Iam, si id, quod inest rei, non inest ei semper, restat, ut vel *plerumque*, vel *raro*, vel *ad utrumlibet* ipsi insit. Et sane, si res ad accidens communе recipiendum est disposita, accidens in ea invenitur *plerumque*, si dispositio adeo valida est, ut ad necessitatem accedat, puta *sitim aqua restingui*, et *raro*, si dispositio est debilis, puta *substantias bitumineas, et sulphureas comburi* ; sin res ad accidens recipiendum non inclinat, sed tantum *in potentia* [3] ad ipsum est, nec plerumque, nec raro in ea invenitur, sed ad utrumlibet est, quia aeque potest ei inesse, aut non inesse, puta *hominem esse medicum* [4].

Ex quatuor hisce modis, quibus aliquid alicui inesse intelligitur, quatuor *maximae* existunt. Prima est haec : *Quod rei necessario inest, ei nec plerumque, nec raro, nec ad utrumlibet inest;* secunda autem, *Quod rei plerumque inest, ei nec necessario, nec raro, nec ad utrumlibet inest*; tum tertia, *Quod rei raro inest, ei nec necessario, nec plerumque, nec ad utrumlibet inest;* quarta demum, *Quod rei ad utrumlibet inest, ei nec necessario, nec plerumque, nec raro inest.* Iam in primis per-

---

[1]) *Op. cit.* ibid. — [2]) I, q. LI, a. 1 c.

[3]) Apposite s. Thomas: « Quod ad utrumlibet est aequaliter se « habens, est quodammodo potentia respectu utriusque »; In *lib. II Sent.*, Dist. XXV, q. I, a. 1 *sol.*

[4]) Vid. Arist., *Op. cit.*, lib. II, c. 6, § 3, ed. cit.; cf Albert. M., *Op. cit.* ibid.

spicuum est huiusmodi *maximas* esse enunciationes disparatas, quia, « constructo uno, uti B. Albertus ait, « destruitur reliquum de eodem, nec aliquod unum est « susceptibile horum simul [1] ». Re vera, si quid rei *necessario* inesse dicatur, id ipsum ei nec *plerumque*, nec *raro*, nec *ad utrumlibet* inesse simul dicitur; si quidem fieri non potest, ut aliquod rei *necessario*, simulque *plerumqne*, aut *raro*, aut *ad utrumlibet* conveniat. Secundo, perspicuum quoque est huiusmodi *maximas*, quae ad locum a disparatis sumtum pertinent, non valere ad confirmandum, sed dumtaxat ad refellendum. Nam, cum consequens in illis non asserat aliquid, sed neget, non potest, illarum ope, demonstrari aliquid rei aut necessario, aut plerumque, aut raro, aut ad utrumlibet inesse, sed refelli commode potest, qui contendit alicui rei, e. g., necessario aliquid inesse, quod ipsi non necessario, sed vel plerumque, vel raro, vel ad utrumlibet, aut plerumque inesse alicui rei illud, quod necessario, aut raro, aut ad utrumlibet inest, et sic de caeteris. Quoniam de re satis perspicua agitur, satis est unum exemplum afferre. Si quis tueatur hominem necessario esse album, facile refelletur hoc argumento a disparatis sumto: *Quod necesse est rei inesse, semper inesse ipsi debet; atqui esse album homini non semper inest, uti de AEthyope manifestum est; ergo non est necesse, ut homo sit albus* [2].

Ad ea autem, quae non solum diversa, sed opposita quoque sibi sunt [3], progredientes advertimus opposita hoc in loco spectanda esse cum ex eo, quod ipsis inest, hoc est, *secundum inhaerentiam*, tum ex eo, quod ipsa consequitur, hoc est, *quantum ad suam consequentiam* [4].

---

[1]) *Ibid.* — [2]) Vid. Arist., et Alb. M., *ll. cit.*

[3]) Nihil vero prohibere, quominus intellectus circa utrumque oppositorum versetur, iam monuit s. Bonaventura: « Potentia cogni« tiva consimili actu, et consimili ratione negotiari potest super op« positorum utrumque»; In *lib. III Sent.*, Dist. XXVI, a. II, q. 2 *ad arg.*

[4]) Vid. Albert. M., *Op. cit.*, lib. II, tract. II, c. 2.

Si priori modo opposita consideraverimus, ex his sex contrariorum complexorum species, quae ad genus oppositorum pertinent, existere comperiemus; si quidem aut attributa cum contrariis subiectis coniunguntur, aut ambo contraria cum uno subiecto comparantur, aut unum attributum cum contrariis subiectis confertur, atque huius trimembris divisionis unumquodque membrum in duo rursus dividitur. Et sane, contraria cum contrariis subiectis coniungi possunt duplici modo, quia unum praedicatum contrarium in prima enunciatione cum uno subiecto, et in secunda cum altero subiecto contrario coniungi potest, et vicissim. Puta, quoniam *iustum*, et *iniustum*, necnon *laudare*, et *vituperare* sunt contraria, licet inde duas species enunciationum contrariarum efficere, in quarum una *laudare* cum subiecto *iustum*, et *vituperare* cum subiecto *iniustum*, in altera autem *laudare* cum subiecto *iniustum*, et *vituperare* cum subiecto *iustum* coniungitur.. Hinc duo genera contrariorum existunt, scilicet *Laudare iustum*, et *vituperare iniustum*, et *Laudare iniustum*, et *vituperare iustum*. Ambo autem contraria cum eodem subiecto duobus quoque modis coniunguntur, quia, cum duo subiecta sint contraria, ambo attributa in una specie enunciationum contrariarum cum uno subiecto, et in altera cum altero subiecto coniungi possunt. Vnde duo alia genera contrariorum complexorum emergunt, scilicet tertium, quod est huiusmodi: *Iustum laudare et iustum vituperare*, et quartum, quod ita se habet: *Iniustum laudare, et iniustum vituperare*. Denique idem attributum cum duobus subiectis secundum duos modos coniungitur, quippe quod, si duo attributa contraria sunt, unum illorum in una specie enunciationum contrariarum cum duobus subiectis contrariis, alterum vero in altera specie enunciationum contrariarum cum iisdem subiectis coniungi potest. Ex his enascuntur quintum, et sextum genus contrariorum, puta *Iustum laudare, et iniustum laudare*, et, *Iustum vituperare, et iniustum vituperare*.

Iam quatuor posteriora genera contrariorum procul dubio repugnantiam, ἐναντίωσιν, faciunt, quia, si duo contraria attributa cum eodem subiecto, vel unum attributum cum duobus subiectis contrariis coniunguntur, procul dubio una enunciatio alteram tollit. Verum, duo priora veram repugnantiam haud prae se ferunt, quia *specie*, non *re* faciunt repugnantiam. Et sane, *specie* repugnantiam faciunt, quippe quod ex contrariis verbis constant; at non *re*, quia, cum contraria sibi sint et ambo subiecta, et ambo attributa, unum contrariorum complexorum alterum non destruit. Cuius rei illud argumento est, contraria in ipsis, ut ab exemplis iam allatis perspicitur, eiusmodi esse posse, ut ambo expetenda, vel fugienda sint. Hinc contraria complexa proprie sunt, uti Lovanienses aiunt, « enunciationes, in qui« bus duo contraria de uno subiecto enunciantur, aut « idem praedicatum de duobus contrariis . . . Quod si « duo contraria de duobus contrariis enunciantur, non « erunt contraria. Neque enim secum pugnabunt in ve« ritate et falsitate [1] ».

Ab hac, ut cum Alexandro Aphrod. loquamur [2], *coniugatione contrariorum*, ἀπὸ τῆς συμπλοκῆς τῶς ἐναντίων, tres propositiones generales, seu *maximae* nascuntur, quae non parum utilitatis in disputationibus habent. Harum prima est: *Contrariorum contraria sunt attributa cum affirmantia, tum negantia*, puta *Si iustus est laudandus, iniustus est vituperandus*, et, *Si iustus non est vituperandus, iniustus non est laudandus.* Altera est: *Eidem subiecto attributa contraria inesse nequeunt; quocirca, si unum subiecto inesse comperitur, alterum ipsi non inesse pro certo habendum est*; e. g. *Si iustus est laudandus, iustus non est vituperandus*, et, *Si iniustus est vituperandus, iniustus non est laudandus.* Tertia denique

[1]) *Commentaria in omnes libros Aristotelis de dialectica*, Com*in lib. II Topic.* c. II, p. 366, et 367, Lovanii 1568. Vid. Arist., *Op. cit.*, lib. cit. c. 7, § 1, et Albert. M., *Op. cit.*, ibid.

[2]) *Op. cit.*, p. 99, ed. cit.

est: *Idem attributum contrariis subiectis inesse non potest;* puta *Si iustus est laudandus, iniustus non est laudandus*, et, *Si iniustus est vituperandus, iustus non est vituperandus*. Iam perspicuum est hosce locos ad confirmandum, perinde ac ad refellendum esse accommodatos. Enimvero, ut tertii loci exemplum afferamus, si quis tibi concesserit iustum esse laude dignum, potes eum ad fatendum cogere iniustum non laudem, sed vituperium mereri, quis hocce attributum, *esse laude dignum*, duobus contrariis, nempe *iusto*, ac *iniusto* convenire non potest. Contra ea, illum, qui iniustum laudem mereri contenderit, commode refellere poteris ostendendo iustum esse laude dignum, quia, si laudem mereri iusto convenit, iniusto, cuius notio notioni iusti est contraria, convenire non potest [1].

Illud hic cum laudatis Lovaniensibus [2] monemus hosce locos a coniugatione contrariorum petitos circa ea dumtaxat versari, quae ad regulas morum pertinent; nam circa ea, quae ad naturas rerum spectant, non semper in ipsis ratio contrariorum invenitur. Ita, si quis tibi concedat *album esse dulce*, inde inferre non potes *nigrum non esse dulce*, ac eum, qui contendat *nigrum esse dulce*, non refelleres, si *album esse dulce* ostenderis, quia *nigrum*, et *album* non ex parte saporis, sed ex parte coloris contraria sibi sunt.

Ad eamdem contrariorum coniugationem quatuor alii loci referuntur, quia scitu digni sunt. Horum duo priores innituntur pronuntiato, quod ante innuimus, quodque Aristoteles hoc in loco ita effert: « *Impossibile est contraria simul eidem inesse* [3] ». Et sane, si contraria

---

[1]) Cf Arist., et Albert. M., *ll. citt.*

[2]) *Op. cit.*, ibid., p. 367.

[3]) *Op. cit.*, lib.II, c.7, § 2. Hoc pronuntiatum s. Augustinus paulum immutavit hocce modo : « Hoc in multis, ac pene in omnibus « contrariis reperitur, ut in una re simul esse non possint » (*Enchir. de Fide, Spe, et Charitate*, c.14, n.4). Id, observante s. Bonaventura, « tamquam vir prudens ingenio », praestitit, ut declararet « il-

simul eidem subiecto inesse repugnat, inde patet pro locis habendas esse hasce duas propositiones universales, quarum prima cum altera illarum, quae a coniugatione contrariorum petuntur, consentit, scilicet, *Non potest aliquid alicui inesse, si contrarium eius ipsi inest*, et, *Illud subiecto haud inesse tenendum est, quo posito, sequitur contraria eidem inesse.* Hi duo loci ad refellendum utiles sunt. Nam, cum adversarius contendit aliquid alicui rei inesse, quod ipsi non est, iuvat ad eum refellendum ostendere aut contrarium eius, quod adversarius contendit, eidem rei inesse, aut, si ponatur inesse rei id, quod adversarius contendit, duo contraria simul in eadem re admittenda esse. Duo posteriores innituntur huic alii effato: *Contraria natura sua versantur circa idem subiectum*, sive, ut ait Aristoteles, *Idem est contrariorum capax*[1]. Cuius manifesta est ratio. Nam, quandoquidem contraria ea sunt, quae in eodem subiecto se expellunt, necesse est, ut subiectum, in quo est unum contrariorum, capax quoque sit alterius in se recipiendi. Ita ille, in quem ignorantia cadere potest, capax scientiae esse debet. Duorum locorum, qui ab hoc principio ortum, et vim sumunt, unus est hic: *Si contrarium attributi non potest esse in re subiecta, in qua attributum esse dicitur, ne ipsum quidem attributum in ea esse certum est*; alter autem: *Quod potest unum contrariorum recipere, potest et aliud.* E. g., si quis secundum Platonem contendat odium sequi iram, ex priori loco potest ad eum refellendum confici hocce

---

« lam maximam dialecticorum in his oppositis tenere, quae oppo-
« nuntur oppositione formali, sicut opponitur virtus, et vitium, gra-
« tia, et culpa. In his autem oppositis, quae non opponuntur ratione
« eius, quo sunt, sed ratione eius, ad quod sunt, non est intelligen-
« da illa regula; nam illa simul possunt stare, sicut stat gratia cum
« concupiscentia »; In *lib. II Sent.*, Dist. XXIV, a. 2, q. 2 *resol.*

[1]) *Op. cit.*, lib., et c. citt., § 4. Quod s. Thomas explicuit hoc modo: « Dicendum, quod contraria sunt circa idem, quando subie-
« ctum aequaliter se habet ad utrumque contrariorum »; 2ª 2ae, q. XXIV, a. 10 ad 1.

argumentum: *Si odium iram sequeretur, odium ad eamdem, ac ira, facultatem animae, scilicet irascibilem, pertinere deberet. Atqui odium ad eamdem, ac ira, facultatem animae, quae irascibilis dicitur, non pertinet. Ergo odium iram non sequitur.* Assumptio probatur hoc modo: *Odium est contrarium amori: atqui amor, concedentibus Platonicis, est in ea facultate, sive, ut aiunt, parte animae, quae concupiscibilis dicitur; ergo odium non est in eadem facultate animae, ac ira, nempe in irascibili, sed in eadem facultate, ac amor, nempe in concupiscibili.* Si quis vero ignorantiam in partem animae rationalem, sive in facultates intelligendi animae cadere posse neget, licet eum refellere hoc brevi argumento, quod a posteriori loco vim sumit: *Quod est capax scientiae, est etiam capax ignorantiae; atqui anima rationalis, uti in confesso est, capax est scientiae; ergo capax ignorantiae quoque dicenda est.* Ex quibus intelligitur hos duos posteriores locos, perinde ac priores, potius ad refellendum, quam ad probandum, valere. Nam, si ostensum fuerit subiecto repugnare contrarium attributi, quod adversarius ei inesse contendit, inde concludi potest ipsum attributum subiecto non convenire, quia contraria, ut modo diximus, circa idem subiectum versantur. At, si contrarium alicuius attributi subiecto non repugnare demonstratum sit, non potest inde concludi ipsum attributum convenire subiecto, sed tantum posse convenire, hoc est, non repugnare, quemadmodum contrarium non repugnat, quia ab eo, quod est *in potentia*, ad id quod est *in actu*, vitiosa, et sophistica progressio est. Puta, si quis demonstret scientiam repugnare parti concupiscibili animae, inde adversarium refellere potest, qui illi ignorantiam inesse vult, quia haud possibile est, uti diximus, subiecto aliquid inesse, cuius contrarium ipsi repugnat. Contra ea, si quis demonstret scientiam non repugnare parti rationali animae, certe concludere potest in anima ignorantiam posse inveniri, quia, cum scientia, et ignorantia contraria sibi sint, sub-

iectum , quod est capax scientiae , capax quoque ignorantiae sit oportet ; sed concludere non potest animam ignorantia re ipsa laborare, nisi hoc ante demonstraverit, quia statuere nobis non licet aliquid alicui inesse ex eo tantum, quod ei inesse posse novimus [1].

Postquam locos , qui ab oppositis in se spectatis petuntur , exposuimus ad locos , qui a consecutionibus oppositorum originem ducunt , explicandos gradum faciamus oportet. Qui ut probe intelligantur , praemittendum est cum Alberto M. [2] consecutionem, ἀκολουθήσιν, proprie inter ea esse , quorum unum consequitur alterum , et vicissim; puta *Si est homo, est capax ridendi, et, si est capax ridendi,est homo.*Haec consecutio confundenda non est cum consecutione simplici, seu non propria, scilicet illa , in qua unum sequitur alterum , sed non vicissim. Cuius exemplum est: *Si est homo, est animal.*Nam, quandoquidem homo non est omne animal , sed quoddam animal , τὸ *esse animal* sequitur τὸ *esse hominem* , sed τό *esse hominem* non sequitur τό *esse animal*; unde dici non potest: *Si est animal, est homo.* Consecutio autem proprie dicta , quemadmodum monuit post Stagiritam idem B. Albertus, duplex est , quia unum aliud consequi potest , et vicissim vel *ordine directo* , ἐπὶ ταὐτὰ , vel *ordine inverso* , ἀναπάλιν, sive, ut ad verbum Albertus vertit , vel *in se ipso* vel *e contrario.* In Scholis prior *directa*, altera autem *indirecta* audiit. Directa illa vocatur, in qua, non mutato ordine terminorum, unum est alteri consequens , et oppositum unius est consequens opposito alterius. Huiusmodi est exemplum, quod modo adduximus: *Si est homo, est capax ridendi, et, si non est homo, non est capax ridendi.* Indirecta vero illa dicitur , in qua , mutato ordine terminorum , affirmationem affirmatio , et negatio negationem ita sequitur ,

---

[1]) Cons. Arist., *Op. cit.*, lib., et c.citt., § 2-4, ed. cit., et Albert. M, *Op. cit.* ibid.

[2]) *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 3.

ut, sicut affirmationem antecedentis sequitur affirmatio consequentis, ita negationem consequentis negatio antecedentis sequatur. E. g., *Si est homo, est animal*, et, *si non est animal, non est homo*. Hanc distinctionem consecutionis in directam et in indirectam praemittere opus nobis fuit, quia, prout diversa sunt genera oppositorum, loci vel a consecutione directa, vel ab inversa, vel ab utraque petuntur [1].

Et sane, quod ad ea opposita attinet, quae contradicentia dicuntur, locus a consecutione illorum indirecta, non vero directa sumitur. Enimvero inter locos numeranda est haec propositio universalis : *In quibuscumque terminis affirmatio est vera, in iisdem vera etiam est negatio inversa; unde ad talem affirmationem sequitur semper talis negatio.* Puta, *Si est homo, est animal*, et, *Si non est animal, non est homo.* At perperam inter locos numeratur haec alia propositio : *In quibuscumque terminis affirmatio est vera, in iisdem vera est negatio directa*; puta, *Si est homo, est animal, et si non est homo, non est animal.* Cuius discriminis ratio ab illa regula desumenda est, quam de ratiocinatione connexa statuimus, nempe : *Sublato consequente, tollitur una antecedens, sed, posito consequente, non ponitur antecedens* [2]. Perspicuum vero est locum, quem diximus, ad confirmandum valere, quippe quod, concessa veritate antece-

---

[1]) Vid. Arist., *Op. cit.*, lib.cit., c. 8, § 2, ed. cit., et Albert.M., *Op. cit.*, ibid.

[2]) Apposite s. Thomas: « In illis, quae se habent secundum addi« tionem unius ad alterum, est consequentia in contrario, non con« sequentia in ipso, sicut patet in homine, et animali, sicut enim « se habet homo ad animal, ita se habet non homo ad non animal » (*In lib. III Sent.*, Dist. XXX, q. 1, a. 3 ad 7). Re vera, hoc connexum: *Si est homo, est animal*, non habet consequentiam, seu reciprocationem in se ipso, sed in sui contrario, quia dici non potest: *Si est animal, est homo*, sed tantum: *Si non est animal, non est homo*. Legere quoque iuvabit, quae sanctus Doctor monuit in 1ª 2ae, q. C, a. 7 ad 1.

dentis, sine ullo medio concluditur veritas consequentis [1].

Quod si opposita spectaveris, quae contraria dicuntur, ex his duos locos ad probandum, eorumque unum a consecutione directa, alterum ab indirecta sumi posse facile comperies. A directa sumitur hic locus: *Si uni contrario aliud, quod est ei omnino contrarium, consequens est, etiam contrarium huius est contrarium illius.* Exempli loco ab Aristotele affertur haec quaestio, *num ignavia sit fugienda.* Nam, si consideretur fortitudinem, quae est contraria ignaviae, esse virtutem, et omnem virtutem esse eligendam, itemque virtutem esse contrariam vitio, ac eligendum esse contrarium fugiendo, potest inde confici hoc argumentum: *Si fortitudo est virtus, ignavia est vitium, quia ignavia, et fortitudo sibi contrariae sunt. Atqui, si fortitudo est virtus, est eligenda, et, si ignavia est vitium, est fugienda, quia uti virtuti est omnino contrarium vitium, ita eligendo est omnino contrarium fugiendum. Ergo ignavia est fugienda.* A consecutione autem indirecta sumitur hic alter locus, qui aeque ad probandum valet, scilicet: *Si quid in attributo non est contrarium omnino, sed ex parte contrario subiecti, contrarium praedicati non est consequens contrario subiecti, sed contrarium subiecti est contrario attributi consequens.* Puta, si quis tibi concedat hanc propositionem: *Si est firma constitutio,* εὐεξία, *est bona valetudo,* ὑγίεια, inde non potes ordine directo inferre hoc consectarium: *Si est infirma constitutio,* κακοεξία, *est morbus,* νόσος, *nempe non bona valetudo,* quia, uti Albertus M. advertit, « inter sanum, et aegrum est me« dium [2] », sed tantum inverso ordine: *Si est morbus, nempe non bona valetudo, est infirma constitutio.* Scite

---

[1]) Cons. Arist., *Op. cit.*, lib. et c. citt., § 1, et Albert. M., *Op. cit.*, lib. et tract. citt., c. 4. Hic locus valde opportunus est ad explicanda illa verba I. C.: *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, quia conficere licet hoc connexum: *Si ex Deo est, verba Dei audit, et, si verba Dei non audit, ex Deo non est.*

[2]) *Op. cit.*, lib. cit., tract. II, c. 3.

Aristoteles monuit hanc consecutionem indirectam *raro*, σπάνιον, sed directam *in plurimis*, τοῖς πλείστοις, inter disputandum incidere, quia, cum directa naturalem ordinem ratiocinandi sequatur, indirecta autem inversum, illa est ista facilior inventu, et potior ad convincendum [1]. His duobus locis duo alii respondent ad refellendum accommodati. Nam, si contrarium contrario consequens nec ordine directo, nec inverso est, liquet nec contrarium unius contrarii contrario alterius consequens esse; unde, quoties in huiusmodi contrariis adversarius contrarium unius contrarii contrario alterius esse consequens contendat, facile refelletur, si contrarium unius contrarii contrario alterius nec ordine directo, nec inverso *consequens esse* ostensum fuerit [2].

Ex iis vero, quae *secundum habitum*, *et privationem*, κατὰ τὴν ἕξιν, καὶ τὴν στέρησιν, opposita sunt, atque uno verbo *privantia*, στερητικὰ, quoque dicuntur, suppetit disputatori hic locus satis per se perspicuus: *Si habitus habitum sequitur, etiam privationem sequitur privatio, et vicissim, si privatio privationem sequitur, etiam habitum sequitur habitus.* E. g., *Si visus est sensus*, *privatio visus est quoque privatio sensus*, atque e contrario, *Si privatio visus est privatio sensus, etiam visus est sensus* [3].

Denique consideranda sunt opposita secundum relationem, seu *relata*, τὰ πρός τι, ex quorum consecutione directa efficitur hic locus: *Si duo sibi conveniunt, etiam relata illorum sibi conveniunt.* Puta, *Si triplum est multiplex, subtriplum est submultiplex.* Hoc in exemplo *triplum*, et *subtriplum*, itemque *multiplex*, et *submultiplex* relata sunt; unde, si concedatur triplex

---

[1]) Vid. Arist. et Albert. M., ll. cit.—[2]) Cf Arist., *ibid.*, § 2.

[3]) *Ibid.*, § 3. « In privative oppositis, s. Bonaventura inquit, tenet « consequentia e contrario, non in ipso » (*In lib. IV Sent.*, Dist. XXII, a. 3, q. 1 *ad arg.*). Et sane, perperam diceretur: *Si visus est sensus, sensus est visus*, sed scite dicitur: *Si visus est sensus, privatio visus est privatio sensus.*

*

esse multiplex, subtriplum esse submultiplex quoque concedendum est [1].

Vt hi loci, qui ab oppositis ducuntur, recte, utiliterque adhibeantur, haec prae oculis habenda sunt. Primo, tam in contrariis, quam in relatis duo observare oportet. Primum est, ne extrema unius repugnantiae sub membro alterius continentur; alterum vero, ut idem modus in utraque repugnantia existat. E. g., quamvis virtus, et vitium, ac avaritia, et profusio sint contraria; tamen recta non est consecutio in hoc connexo: *Si avaritia est vitium, profusio est virtus*; quia profusio, cum et ipsa vitium sit, sub membro antecedentis, quod est vitium, continetur. Falsa quoque est consecutio in hoc altero connexo: *Si timiditas in defectu consistit, fortitudo consistit in excessu*, quia fortitudo, et timiditas non veluti defectus, ac excessus, sed veluti virtus, et vitium sibi opponuntur. Quod vero ad privantia, consecutio est vera, cum privatio superioris habitus per privationem inferioris habitus contrahitur; unde non valet haec consecutio: *Si videns sentit, coecus caret sensu*, quia ex eo, quod videns sentit, non sequitur coecum carere omni sensu, sed tantum sensu visus [2].

Hanc doctrinam aristotelicam locorum, qui ab oppositis eorumque consecutionibus hauriuntur, copiose exponere nobis visum est, quippe quod inde magna argumentorum copia dialecticis ad inventionem veri suppetit. Id nos monuit s. Augustinus, ubi de contrariis, quae sunt potior pars oppositorum scripsit: « A contra-« riis notis pleraque intelliguntur ignota » [3].

Restat, ut recensitis locis alios perpaucos addamus omnibus obvios, quia utilitate sua non carent. Et primo, locos, qui *a coniugatis* sumuntur, innuemus, quia horum utilitas a nonnullis impugnata est. Coniugata,

---

[1]) *Ibid.*, § 4. Cf s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. IV, a. I, q. 1 *resol.*
[2]) Cons. Balforeum, *Op. cit.*, lib. II, p. 59, ed. cit.
[3]) *De Gen. ad litt.*, lib. VIII, c. 16, n. 34.

συστοιχα, sunt, uti ante innuimus [1], ea, *quae ab eodem diversis modis deducta fluunt;* puta a *iustitia iustum*, *iustus*, aliaque huiusmodi. Aristoteles his adiunxit *casus*, πτόσεις [2], sive, ut in hoc loco *casus* accepit, adverbia a principali aliquo nomine inflexa, puta *iuste* a *iustus*, et *fortiter* a *fortis* [3], eaque a coniugatis discrevit, eo quod non veluti ab eodem fonte manantia, sed veluti a verbo, vel nomine inflexa considerantur. At Tullius subtilis huius discriminis rationem non habuit, quia quae casus Aristoteles vocavit, a coniugatis non separavit [4].

Sunt, qui cum Quintiliano locum a coniugatis sumtum veluti ridiculum traducunt, quia quisquis unum coniugatum admittit, alterum quoque sine probatione admittat necesse est [5]. Sunt et qui cum Rud. Agricola [6], si hunc locum non reiiciunt, certe haud frequentem eius usum in disputando esse contendunt, eodemque, ac Quintilianus, momento rationis nituntur, nempe quod, cum coniugata aeque nota, ac ignota sint, adversarius, qui unum illorum concedit, aut negat, vel ex hoc ipso concedit, aut negat alterum. At res secus visa fuerat Aristoteli, qui locum a coniugatis utilem esse dialectico censuit, necnon Ciceroni, qui illius, perinde ac reliquorum locorum, usum oratoribus commendavit [7].

Quid de coniugatis Tullius artis oratoriae studiosos breviter docuit, iam vidimus [8]; necesse modo est, ut Stagiritae doctrinam, quae ad rem nostram facit, explicemus. Ex coniugatis duo loci, Stagiritae iudicio [9], dialectico suppetunt, eorumque uni ad probandum, al-

---

[1]) P. 290.

[2]) Quam lata sit huius vocis significatio apud Aristotelem, diximus in vol. II, p. 49.

[3]) Lib. cit., c. 9, § I.—[4]) *Topic.*, c. 3.

[5]) « His, ait, illud adiicere ridiculum putarem, nisi eo Cicero uteretur, quod *coniugatum* vocant: ut, *Eos, qui rem iustam faciant, iuste facere*, quod certe non eget probatione »; *Inst. Orat.*, lib. V, c. 10.

[6]) *De inv. dial.*, lib. I, c. 10.—[7]) Vid. II. citt.—[8]) P. 290.

[9]) *Op. cit.*, ibid. Cf Albert. M., *Op. cit.*, lib. et tract. citt., c. 5.

teri ad refellendum vis inest. Primus est huiusmodi : *Si coniugata attributi , et subiecti sibi conveniunt, subiectum quoque , et praedicatum sibi convenire certum est*; secundus est hic : *Si coniugata subiecti, ac attributi sibi non conveniunt, ne subiectum quidem, ac attributum sibi convenire dicendum est.* Horum ratio ex eo petenda est , quod , cum coniugata ab eodem fonte promanent , una , eademque illorum ratio esse debet. Hinc, si adversarius praedicatum subiecto inesse neget , quod ipsi vere inest , iuvat ad eum convincendum ostendere eorum coniugata, si qua sunt , sibi convenire ; sin contendat inesse subiecto praedicatum, quod ipsi vere non inest , omnino refelletur , si eorum coniugata sibi non convenire ostendatur.

Opinio Quintiliani, cui Agricola, aliique ex parte adstipulati sunt, tum futili rationis momento nititur, tum summorum Philosophorum , et Oratorum auctoritati adversatur. Et sane , quod ad primum attinet , quamvis coniugata per se aeque nota , ac ignota sint, tamen fieri potest , ut non sint aeque nota , ac ignota iis , quibuscum disputatur , unde ab uno ad alterum arguere contra illos iuvabit. Cuius rei praeclarum exemplum est apud Tullium in lib. V *de Finibus* [1] ; in hoc enim Stoicos , qui illum a se fictum sapientem , licet pauperem , esse beatum autumabant , reprehendit hoc argumento a coniugatis sumto : « Paupertas si malum « est , mendicus beatus esse nemo potest , quamvis sit « sapiens ». Quod ad secundum spectat, inter Philosophos satis est nominare Platonem , quippe cuius nullus est, observante Thionvilleo [2], dialogus, in quo a coniugatis argumenta non capiantur , atque inter Oratores Tullium , qui et praecepta exemplis ad oratorum usum accommodatis declaravit [3], et ipse in suis philosophi-

[1]) C. 28, ed. Ernesti.—[2]) *Op. cit.* , c. 4, p. 67.

[3]) Exemplo, quod e *Topicis* antea excripsimus, lubet hoc alterum addere: *Non est Lucilii pecus illud: . . . ego liberum puto esse; qua lubet, pascitur; De Orat.*, lib. II, c. 70, ed. Oliv.

eis [1], oratoriisque [2] libris locum a coniugatis saepe adhibuit. Et, ne caeterorum dicendi generum auctores omnino taceamus, quis ridiculum, aut futile dixerit illud Chremetis apud Terentium : *Homo sum, humani nihil alienum a me puto* ? [3] Quisnam ridiculum, aut futile illud Propertii: *Libertas quoniam nulli iam restat amanti, Nullus liber erit, si quis amare volet* ? [4] :

Praeterea *ab adiectione*, ἐκ τῆς προσθέσεως, utiles loci disputatori quoque suppeditant. Quorum prior est: *Si quid alteri adiectum facit ipsum tale, illud quoque esse tale putandum est.* Huius loci ratio in eo agnoscenda est, quod « semper, Stagirita aiente, per quod unumquod- « que est, et illud magis [5] ». E. g., *Si virtus accedens homini facit hominem bonum, consequens est virtutem quoque esse bonam.* Alter est: *Si quid alicui rei adiectum facit eam magis talem*, μᾶλλον τοιοῦτον, *illud quoque esse tale pro certo habendum est.* Cuius ratio eadem fere est, ac illa, quam modo adduximus ; nam, cum res non possit aliud alicui largiri, nisi quod in se habet, illud, quod rem facit talem, tale et ipsum esse debet. Puta, *Si honor adiectus virtuti hanc, quae per se optabilis est, optabiliorem facit, honor quoque optabilis sit oportet* [6]. Advertendum tamen est huius loci in iis dum-

---

[1]) Vide exemplum, quod e lib. V *de Finibus* modo adduximus.

[2]) Puta, in *Orat. pro Marcello* (c.32), ubi ait: « Ingratus est, in- « iustusque civis, qui *armorum* periculo liberatus, animum tamen « retinet *armatum* ».

[3]) *Heautontimorumenos*, Act. I, Sc. I.

[4]) *Eleg.*, lib. II, Eleg. XXIII, vv.23, et 24, ed. Kuinoel, Augustae Taur. 1822.

[5]) ἀεὶ γὰρ δὶ ὃ ὑπάρχει ἕκαστον, ἐκεῖνο μᾶλλον ὑπάρχει ; *Anal. Post.*, lib. I, c. 2, § 15, ed. Didot.

[6]) S. Thomas scite monuit hunc locum esse verum in iis, quae sunt eiusdem ordinis, non vero in iis, quae sunt diversorum ordinum: « Di- « cendum, ait, quod cum dicitur, propter quod unumquodque, illud « magis, veritatem habet, si intelligatur in his, quae sunt unius or- « dinis, puta in uno genere causae. Puta, si dicatur, quod sanitas « est desiderabilis propter vitam, sequitur quod vita sit magis desi- « derabilis. Si autem accipiantur ea, quae sunt diversorum ordi-

taxat usum esse, in quibus *magis incrementum*, τὴν τοῦ μᾶλλον ὑπεροχήν, fieri possibile est ; quocirca in quantitatibus, quae nec remitti, nec intendi queunt, non est adhibendus [1]. Exempla a Balforeo mutuemur. « Non est « enim, hic ait, si quadratum additum quadrato, illud « oblongum facit, sequitur quadratum ipsum esse ob- « longum: nec si binarius adiectus ternario efficiat qui- « narium, ideo binarius quinarius erit [2] ». Ex quo intelligitur, cur hi loci nullam vim ad refellendum habeant. Nam, quoniam non omnia aliquam intentionem, et remissionem admittunt, idcirco ex eo, quod aliquid est tale, concludi nequit ipsum alteri additum efficere quoque istud tale.

Praetermissis caeteris locis, a progressione gradus comparativi ad gradum positivum sumi etiam potest locus ad probandum opportunus. Qui quidem est huiusmodi: *Id, quod est magis, et minus tale, tale et ipsum est.* Puta, *Si eruditio est optabilior divitiis, ipsa quoque optabilis dicenda est.* Veritas huius loci ex se perspicua est, quia gradum comparativum sine positivo nec esse, nec intelligi posse omnes profecto norunt. Ne hunc quidem locum ad refellendum valere eadem, quam paulo ante attulimus, ratio suadet. Si enim non omnia intendi, et remitti queunt, consequens est non posse aliquid dici magis, et minus tale ex eo tantum, quod est tale. Ita, « homo, uti Aristoteles ait, non di-

---

« num, non habet veritatem: ut, si dicatur, quod sanitas est deside- « rabilis propter medicinam, non ideo sequitur quod medicina sit « magis desiderabilis, quia sanitas est in ordine finium, medicina « autem in ordine caussarum efficientium » (I, q. LXXXVII, a. 2 ad 3; cf *In lib. III Sent.*, Dist. XXVIII, q. I, a. 1 ad 2). Ex hoc, uti alias videbimus, s. Thomas ostendit Deum non posse dici *primum cognitum*, licet omnia propter ipsum cognoscamus, quia Deus non est in ullo ordine rerum creatarum, sed extra, et supra omnes ordines rerum. Vid. I, q. LXXXVIII, a. 3 ad 2.

[1]) *Op. cit.*, lib. cit., c. II, p. 1, et 2, ed. cit.

[2]) *Comment. in lib. II Topic.*, p. 64, ed. cit.

« citur magis, et minus, non tamen propterea non est « homo [1] ».

ARTICVLVS DECIMVS TERTIVS

Loci, qui ad accidens comparatum pertinent, explicantur

Hactenus de locis accidentis absoluti; in praesentia illos, qui circa accidens comparatum versantur, explicemus oportet. Vt, quaenam sit materia huius tractationis, et quisnam nexus eius cum tractatione articuli praecedentis perspiciatur, mente reputandum est omne problema esse vel *speculativum*, vel *practicum*, prout illud, quod in controversiam revocatur, pertinet vel ad intellectum *theoreticum*, sive ad intellectum, qui in cognitione rerum dumtaxat se continet, vel ad intellectum *practicum*, sive ad intellectum, qui cognitionem rerum ad actiones accommodatam considerat [2]. Priori genere problematum quaeritur, num cognitio rei, de qua disputatur, sit naturae eiusdem rei consentanea, necne; posteriori autem, num res sit eligenda, an fugienda. Iam, quoniam cognitio, prout naturae rei consentanea, aut dissentanea est, *vera*, aut *falsa* vocatur, et res, prout electione, aut fuga digna est, dicitur *bona*, aut *mala*, sequitur omne problema theoreticum circa veritatem, aut falsitatem logicam rei, atque omne problema practicum circa bonitatem, aut malitiam rei versari. Hinc problema ab Alberto M. scite definitum fuit *speculatio contendens ad electionem, vel fugam, vel ad veritatem, et scientiam* [3]. Res autem, prout logice verae,

---

[1]) *Op. cit.*, lib. et c. citt., § 3.

[2]) Ne putes intellectum theoreticum, et intellectum practicum esse duas facultates; namque intellectus, ut in *Dynam.* ostendemus, unica facultas est, quae ab utroque modo, quo operatur, duplicem denominationem accipit.

[3]) *Topic.*, lib. I, tract. III, c. 2; cf *ibid.*, lib. III, tract. I, c. 1.

aut falsae sunt, non considerantur *comparate*, hoc est, prout ordinem habent ad aliud, sed *absolute*, hoc est, prout quemdam ordinem ad se habent. Ex quo vides, si loci accidentis absoluti ad rerum veritatem perspiciendam, scientiamque assequendam spectant, locos accidentis comparati versari circa res, prout hae sunt eligendae, aut fugiendae, seu prout sunt bonae, aut malae.

Quae cum ita sint, manifestum in primis est tractationem huius articuli cum tractatione articuli praecedentis arcte connecti. Nam, quoniam electio, et fuga cognitionem sequuntur, ratio ordinis expostulat, ut, postquam locos accidentis, qui ad cognitionem rerum spectant, exposuimus, statim locos recenseamus, qui circa illarum electionem, vel fugam versantur. Praeterea perspicuum est locos accidentis comparati, de quibus acturi sumus, ad solutionem quaestionum, seu problematum ethicorum proprie pertinere, quia cognitio rerum, prout hae sunt bonae, aut malae, obiectum ethices est. Nemo autem miretur nos secundum Aristotelem de locis ad solutionem quaestionum ethicarum, et non caeterarum sive rationalium, sive experimentalium accommodatis acturos. Nam, cum scientiarum aliae sint speculativae, aliae autem practicae, praeter locos communes scientiarum, cum speculativarum tum practicarum, qui quidem omnes speculativi sunt, illos quoque nosse oportet, qui, si non ad quaestiones singularum scientiarum practicarum, saltem ad quaestiones generales, et communes ipsarum solvendas spectant. Accedit, quod, observante Alberto M.[1], quaestiones ethicae, cum omnes ad unicam formam electionis, ac fugae revocentur, hac ex parte consideratae determinatam materiam habent; unde illas quibusdam *maximis*, seu locis includere nobis licet. Verum, quandoquidem quaestiones, quae sunt propriae scientiarum speculativarum, ad unicam formam non reducuntur, in ipsis determinata, omnibusque

[1]) *Op. cit.*, lib. III, tract. I, c. 1.

communis materia considerari nequit; quare locos generales, et cunctis scientiis speculativis communes, seu quamdam topicam generalem, quae cunctas scientias speculativas complectitur, conficere haud possibile est, sed duntaxat peculiares topicae generibus quaestionum, in quibus singulae versantur, accommodatae construi queunt.

Hisce praestitutis, ad praecipuorum locorum accidentis comparati recensionem accedamus. Qua in re breviter versabimur, quia plerique illorum adeo sunt perspicui, ut ne declaratione quidem egeant.

Primo, si bonum consideretur, prout ad nos pertinet, locus nobis inde suppetit, qui huiusmodi est: *Bonum, quod est diuturnius, et constantius, magis eligendum est, quam quod est minus diuturnum, aut minus constans.* Ratio ea est, quod bonum fluxum, et caducum, si cum bono constanti, et firmo comparetur, quodammodo malum est. Ita bona animi bonis corporis, aut fortunae praeferenda sunt, quia illa firma, et constantia, isthaec fluxa, et caduca sunt. Sin bonum consideretur, prout ab aliis eligi illud conspicimus, plures inde existent loci. Quorum primus est: *Id, quod vir prudens eligit, melius est, quam quod a viro haud prrspectae prudentiae eligitur.* Et iure, quia qui prudens est, rationem eligendorum noscit, et servat [1]. Alter est: *Id, quod vir bonus eligit, melius est, quam quod vir bonitate morum haud notus eligit.* Cuius ratio in ea consistit, quod vir bonus ad recte agendum comparatus est. Tertius ita se habet: *Quae viri praestantes in unaquaque arte caeteris praeferunt, caeteris meliora putanda sunt.* Quod quidem ex se patet, quia quisquis in aliqua scientia adprime eruditus est, in iis, quae ad ipsam pertinent, quid bonum, quidve malum sit, ignorare non potest. Quartus est: *Id, quod omnibus probatur, melius est exstimandum, quam quod pluribus, atque id, quod pluribus, melius quam quod pau-*

[1]) « Ad prudentiam, s. Thomas ait, pertinet recte iudicare de singulis agibilibus, prout sint nunc agenda »; *Qq. dispp., De Virtut.*, q. I, a. 6 ad 1.

cis. Huius quoque loci manifesta ratio est; namque id, quod omnium, vel saltem plurium auctoritate firmatur, probabile est, atque e contrario id, quod paucorum calculo nititur, improbabile [1]. Quatuor hi loci, aliique eiusmodi, quos omisimus, uti Albertus M. scite monuit, unicum e pluribus conflatum re ipsa constituunt, quippe quod omnes ab eligentium auctoritate, et praestantia originem, et vim sumunt. Enimvero in hisce locis, « Eligens, uti Albertus ait, per exemplum est ratio, « et regula electionis debitae [2] [3].

Sed bonum non modo, prout ad nos pertinet, vel ab aliis eligitur, sed etiam, prout ipsum in se est, consideratum locos dialecticis suppeditat, sive proprietates eius essentiales, sive accidentales prae oculis habeantur.

Primus locus est huiusmodi: *Quod est per se in aliquo genere bonorum, magis expetendum est, quam quod der aliud*; puta, *Iustitia quolibet iusto est optabilior*. Cuius loci haec perspicua ratio reddi potest, quod, cum illud, quod per se est in aliquo genere bonorum, secundum suam naturam bonum sit, semper bonum est [3]; sed e contrario id, quod est bonum per aliud, aliquando potest non esse bonum *absolute*, seu per se spectatum. Ita, quamvis punitio iusta, prout est effectus iustitiae, sit bona, tamen per se, sive absolute spectata non est bona [4]. Secundus locus est: *Id, quod est propter se bonum, optabilius eo est, quod est bonum propter aliud*; puta, *Valetudo exercitatione optabilior est*, quia haec ad illam gignendam, conservandamque spectat. Veritas huius loci obvia cuique est. Nam, quoniam bonum per aliud dicitur illud, quod medium est ad assequendum bonum per se, illud minus, quam istud, bonum esse debet, quia finis est quolibet medio nobilior. Ex his intelligis, cur

---

[1]) Vid. Arist., *Op.* cit.,lib. III, c. 1, § 3.

[2]) *Op. cit.*, lib. et tract. citt., c. 2.—[3]) Vid. Albert. M., *ibid.*

[4]) En pronuntiatum universale apud s. Thomam: « Quod conve- « nit alicui secundum se, nunquam ab eo separari potest »; I, q. L, a. 5 c.

beatitudo sit homini qualibet alia re optabilior, eiusque idcirco summum bonum ; illa enim est ultimus finis hominis [1].

Vtilis locus dialecticis ex causa effectrice boni quoque occurrit. Qui ita se habet : *Quod est causa boni per se, optabilius est eo, quod est causa boni per accidens.* E. g., *Virtus est magis optabilis, quam fortuna;* nam virtus per se est causa boni, sed fortuna eis, qui bene ipsa utuntur, bonum, ac eis, qui male, malum gignit [2]. Alios locos ad quaestiones ethicas solvendas petere licet cum ab eo, quod bonum est naturale, tum a praestantia subiecti, in quo bonum est, tum quoque a fine. Ex primo capite existit hic locus: *Naturalia bona optabiliora sunt adventitiis;* puta, *Naturalis, decor melior est decore per fucum quaesito.* Et sane, cum ars naturam imitetur, ideo naturalia artificiosis perfectiora sunt [3]. Ex altero autem hic locus: *Quod in praestantiori, et honorabiliori subiecto invenitur, vel quod proprium eius est, melius est, quam quod in deteriore invenitur, vel proprium huius est.* E. g., *Cognitio intellectiva potior est sensitiva*, quia intellectus sensui longe praestat [4]. Hae satis per se perspicua sunt: nam, cum accidens subiecto inhaereat, ab eoque sive ex vi eiusdem subiecti, sive ob exteriorem actionem fluat, naturae subiecti quodammodo particeps esse debet. Denique finis tres locos nobis suppeditat. Quorum primus est: *Finis optabilior iis est, quae ad eum destinantur*, puta, *Bona animi optabiliora sunt bonis corporis*, quia « omnia bo- « na corporis, uti iam advertit s. Thomas, ordinantur « ad bona animae, sicut ad finem [5] ». Alter est: *Id, quod ad finem proprius accedit, magis eligendum est, quam quod longius ab ipso recedit.* E. g., *disciplina militaris potior est emptione armorum*, quia disciplina militaris, cum sit armorum emptione posterior, ad victoriam pro-

---

[1]) *Op. cit.*, lib. et c. citt., § 5, et 6. — [2]) *Ibid.* § 8.
[3]) *Ibid.*, § 8.—[4]) *Ibid.* § 11.—[5]) 1ª 2ae, q. II, a. 5 c.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

pius, quam emptio armorum, accedit. Tertius denique est: *Quae ad meliorem finem ducunt, optabiliora sunt iis, quae ad minus nobilem;* puta, *Ea, quae ad finem vitae, nempe ad beatitudinem spectant, sunt iis praeferenda, quae ad honores comparandos, vel divitias cumulandas spectant.* Ratio horum locorum in eo posita est, quod perfectio cuiuslibet rei in consecutione sui finis consistit: ex hoc enim principio sponte sua fluit 1° quamlibet rem eo nobiliorem esse, quo nobilior est finis, ad quem ipsa spectat, 2° finem esse nobiliorem mediis, per quae ad finem pervenitur, 3° unumquodque medium eo esse nobilius, quo propius ad finem accedit [1].

Locus utilis a comparatione efficientium, ποιητικῶν, cum fine etiam sumitur. Si enim efficientia cum fine, quem sibi proponunt, comparemus, nobis occurrit hic locus: *Duorum efficientium illud, quod meliorem, quam aliud, finem sibi proponit, optabilius alio est.* Ex hoc loco probare pronum est efficientia felicitatis longe praestantiora esse efficientibus valetudinis, quia felicitas, quam illa sibi proponunt, longe praestat valetudini, quae horum finis est [2].

A consequentibus, ἀπὸ τῶν παρεπομένων, duos locos haurire licet. Primus ita se habet: *Illud, ex quo maius bonum consequitur, illi, ex quo minus, anteferre oportet.* Ob huius maximae, seu loci vim Cicero existimavit consilium Solonis, quo Areopagitas constituit, maius bonum Atheniensibus fuisse, quam Themistoclis victoriam ad Salamina, quia haec semel, illud semper civitati profuit [3]. Secundus est huiusmodi: *Illud, ex quo minora mala consequuntur, illi, ex quo maiora fluunt, anteponendum est.* E. g., *Viduitas zelotypiae praeferenda est,* quia plura incommoda ab ista, quam ab illa, fluunt [4].

Locus quoque a temporis adiuncto, περιστάσει, dialectico suppetit, qui huiusmodi est: *Vnumquodque tum*

---

[1]) *Ibid.* § 14-16. — [2]) *Ibid.*, § 18. — [3]) *De officiis*, lib. I, c. 22.
[4]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 2, § 1.

magis expetendum est, cum est opportunum, ac usui accommodatum. Ita, *temperantia* optabilior est in iuvene, quam in sene, quia iuvenes ex vehementibus animi affectibus magis, quam senes, perturbantur [1]. Praeterea a difficultate boni comparandi locus sumi potest, isque est: *Id, quod difficilius paratur, optabilius est illo, quod facilius.* Et sane nos « Magis, aiente Aristotele, « diligimus ea, quae haud facile acquirimus [2] », quia, « Quod difficilius quaeritur, uti advertit s. Augustinus, « dulcius invenitur [3] ».

Ceteros omnes locos enumerare, qui ad bonum spectant, ratio huius nostri operis non sinit, neque id fortasse iuvat, quia illi facile in cuiusque mentem veniunt. Hinc locis iam enumeratis quatuor alios, qui a divisione rerum expetendarum nobis suppeditant, adiiciemus. Quidquid expetitur, aut honestatis, aut utilitatis, aut voluptatis gratia expeti inter ethicae tractatores convenit; unde bonum ab eis in *honestum*, *utile*, ac *delectabile* dividi solet [4]. Iam, si hae diversae boni rationes secum comparatae spectentur, plures inde loci capi possunt et valde utiles, et adeo evidentes, ut ne declaratione quidem egeant. Primus est: *Quod est et honestum, et utile, et iucundum, optabilius est, quam quod ad unum, vel duo horum valet, et quod ad duo optabilius, quam quod ad unum.* Alter vero: *Id, quod in unoquoque horum generum alteri excellit, huic praeferendum est*; puta ex duobus honestis id, quod est honestius, ex duobus utilibus id, quod est utilius, ac ex duobus iucundis id, quod est iucundius. Tertius est: *Trium generum boni unum altero optabilius est, prout unum alteri praestat.* Ita, id, quod honestum est, magis expetendum est, quam

---

[1]) *Ibid.*, § 5. — [2]) *Ibid.*, § 14.

[3]) *Enarr. in Psal. CIII*, Serm. II, n. 1.

[4]) Arist., *Ethic.*, lib. VIII, c. 2, et Cic., *De invent.*, lib. II, c. 51 sqq. Cf s. Thom. 1ª 2ae, q. V, a. 6 c.; *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. XXIV, a. 6 c., et alibi.

quod est utile, et id, quod est utile, magis, quam quod est iucundum. Quartus denique: *Id, quod aliquid magis optabile impedit, magis fugiendum est, quam quod minus optabile.* Puta, id quod impedit virtutem, magis fugiendum est, quod impedit voluptatem [1].

ARTICVLVS DECIMVS QVARTVS

Loci, qui a genere ducuntur, recensentur

Si e locis accidentis argumenta petuntur, quibus aliquid rei simpliciter inesse probatur, loci generis, proprii, ac definitionis argumenta nobis suppeditant, quibus aliquid rei inesse probatur vel ita, ut essentiam rei inchoet, vel ita, ut cum re reciprocetur, vel ita, ut totam rei essentiam constituat. Illis itaque enumeratis, explicatisque, hosce eo ordine exponemus, ut primo generis, dein proprii, demum definitionis rationem habeamus. Cuius rei ratio, praeter aliam ante adductam [2], haec quoque assignari potest, quod quaestiones de accidente, de genere, et de proprio ad quaestionem de definitione solvendam spectant, eaque continentur. Namque id, quod inest rei, uti definitio, quemadmodum ad h. l. Albertus M. advertit [3], rei ipsi inesse intelligitur tum uti accidens, quia definitioni id, quod cunctis modis inhaerendi commune est, nempe *inesse simpliciter*, convenit, tum uti genus, quia definitio essentiam rei, quam inchoatam genus denotat, determinatam, absolutamque complectitur, tum denique uti proprium, quia definitio cum re definita, perinde ac proprium, cum subiecto, de quo dicitur, reciprocatur. Quocirca, quemadmodum locos accidentis, ita locos generis, et proprii prius, quam locos definitionis exponamus necesse est. Brevius vero in horum cum re-

---

[1]) Arist., *Op. cit.*, lib. cit., c. 3, § 17.
[2]) P. 347 sqq.—[3]) *Op. cit.*, lib. IV, tract. I, c. 1.

censione, tum explicatione versabimur, quia ex omnibus, quae de universalibus Porphyrii disseruimus, pronum cuique disputatori est illos tam ex se invenire, quam, si propositi ab aliis ei fuerint, intelligere.

Locos generis, non secus ac locos accidentis, in *intrinsecos*, ac *extrinsecos* commode dividi posse cum eodem Alberto M. [1] arbitramur, propterea quod ipsi, ut videbimus, peti possunt tum ab elementis, quae genus constituunt, vel ab iis, quae aliquod elementorum generis consequuntur, tum ab aliis principiis, quae extra genus, et cuncta genus consequentia versantur.

Locorum intrinsecorum, quos elementa genus constituentia disputatoribus suppeditant, potissimi, nisi nostra nos fallit opinio, hi sunt. Primus: *Si id, quod genus esse dicitur, dici non potest de aliqua specie eius, aut de aliquo eius individuo, quod illi generi subiici putatur, illud re vera genus non est.* Ratio huius loci est, quam hic Aristoteles attulit [2], quamque nos alibi explicuimus [3], scilicet, « quod genus de omnibus sub ipso spe« ciebus praedicatur ». E. g., si quis velit examini subiicere sententiam Epicuri bonum esse genus voluptatis contendentis [4], inquirere potest, *sitne aliqua voluptas, quae non sit bonum*, εἴ τις ἡδονὴ μὴ ἀγαθόν. Nam si invenerit esse aliquam voluptatem, quae bonum dici nequit, quemadmodum procul dubio inveniet, bonum non esse genus voluptatis contra Epicurum concludere poterit.

Alter locus est: *Illud, quod non dicitur ratione eius quid est*, ἐν τῷ τί ἐστι, *sive secundum essentiam de omnibus sibi subiectis, genus horum non est* [5]. Quod quidem manifestum per se est, quia genus, cum essentiam rerum, quas ambitu suo continet, licet inchoatam, denotet, de omnibus speciebus, individuisque sibi subie-

[1]) *Op. cit.*, ibid.—[2]) *Op. cit.*, lib. IV, c. 1, § 2.
[3]) Vol. I, p. 240 sqq.
[4]) Cf Ritter, et Preller, *Hist. phil. graec., et rom.*, c. IX, n. 386, p. 422 sqq, ed. cit.
[5]) *Op. cit.*, lib. et c. citt., § 3.

ctis secundum essentiam dici debet [1]. E. g., si quis, instituta quaestione, *num moveri*, κινεῖσθαι, *sit genus animae*, sententiam asserentem Platonis tueatur [2], refelli ex eo potest, quod *moveri* non praedicatur de anima ratione essentiae, sive *eius quid est*, ἐν τῷ τί ἐστι, sed ratione actionis, vel passionis, sive veluti *quidquam agens*, vel *patiens*, τι ποιοῦν ἢ πάσχον [3]. Tertius est: *Id, cui definitio accidentis convenit, non est genus.* Cuius ratio ex se patet; namque « accidens. . . contingit inesse alicui, « et non inesse [4] », sed genus, uti ante diximus, rei subiectae semper inest. Quartus ita se habet: *Putandum non est aliquid illorum genus esse, cum quibus in eadem categoria non est.* Nam, quandoquidem singulae species genus per aliquam differentiam determinatum continent, necesse est, ut genus eiusdem, ac species, quae ipsi subiiciuntur, categoriae sit. Puta, *Bonum, aut honestum non est scientiae genus*, quia scientia ad categoriam relationis, bonum autem, aut honestum ad categoriam qualitatis pertinet. Idem de cunctis categoriis tenendum esse Aristoteles monuit his verbis: « Vt universaliter autem « loquar, sub eadem divisione, qua species, genus esse « debet; nam, si species substantia erit; et si quale quid « species est, etiam genus quale quid erit. Velut si « album quale quid, etiam color. Similiter vero in re- « liquis quoque [5] ». Quintus est huiusmodi: *Si quid particeps est naturae, proindeque definitionis alterius, huius genus esse nequit.* Ratio huius loci est, quod, uti alibi diximus [6], species essentiam rei, non quidem inchoatam, uti genus, sed per aliquam differentiam determinatam, perfectamque denotat: unde in singulis speciebus id, quod genus denotat, invenitur, sed non vicissim. « Patet igitur, Aristoteles ait, species quidem « participes esse generum; genera vero specierum non

---

[1]) Vid. vol. I, pp. cit.

[2]) Cf *Phaedr.*, et *De legibus*, lib. X. *In lib. V De leg.* anima αὐτοκινήθετος ab eo vocatur.

[3]) *Ibid.*, § 3. — [4]) *Ibid.*, § 4. — [5]) *Ibid.*, § 5. — [6]) Vol. I, p. 282.

« similiter; nam species quidem recipit definitionem ge-« neris; genus autem non recipit speciei definitionem [1] ». Enimvero, definitione hominis continetur definitio animalis, sed animal non est particeps eius, quo homo a ceteris animalibus discriminatur. Hoc loco egregie illos refelli posse Aristoteles advertit, qui contendebant *aliquid*, τι, esse genus *entis*, *et unius*, τοῦ ὄντος ἢ τοῦ ἑνὸς, quia, cum quidquid est, proindeque ipsum τὸ *aliquid* sit ens, et unum, genus definitiones suarum specierum admitteret [2]. Sextus locus est: *Si de illo, quod species alicuius generis esse ponitur, nulla species eiusdem generis esse dicatur, hoc genus non esse illius genus pro certo habendum est.* Et sane, cum genus in species dividatur, « necessarium est, aiente Aristotele, id, quod « genus participat, etiam alicuius ex speciebus parti-« ceps esse ». Ita, si quis contendat cum Platone motum esse genus voluptatis [3], eum refellere ex eo nobis licet, quod voluptas non est ulla species motus [4].

A numero subiectorum, de quibus genus dicitur, duo alii loci nobis suppetunt. Quorum unus est: *Si species de pluribus praedicetur, quam id, quod veluti genus eius esse sumitur, hoc genus eius non esse pro certo habeatur*; alter vero: *Si id, quod genus esse sumitur, non dicatur de pluribus, quam id, cuius dicitur esse genus, illud non esse re ipsa genus pro certo habendum est.* Horum locorum ratio ex eo petenda est, quod genus, uti ostendimus [5], latius, quam species, patet; nam, si genus latius patet, quam species, consequens est speciem non posse dici de pluribus, quam genus, et genus de pluribus dicendum esse, quam speciem. Ita *ens*, quod nunquam genus est, non posse dici genus *opinabilis*, τοῦ δοξαστοῦ, ex eo etiam probatur, quod, uti alias videbi-

---

[1]) *Ibid.*, § 6.—[2]) *Ibid.*

[3]) De voluptate Plato maxime disputavit in *Philebo*, de quo legesis Trendelenburg, *De Platonis Philebi consilio*, Berolini 1837. Cf *De republ.*, lib. IX, p. 580 D sqq, ed. H. S.

[4]) *Ibid.*, § 8.—[5]) Vol. I, p. 233, et p. 307-308.

mus, dum est *scibile*, τὸ ἐπιστητὸν, sive id, quod est obiectum scientiae, est dumtaxat *ens*, sed *opinabile*, δοξαστον, sive id, cuius opinionem habere possumus, est non solum ens, sed etiam non ens; unde id, quod sub opinionem cadit, speciem esse entis putandum non est. Item *ens* ne *unius* quidem genus dici potest, quia unum, perinde ac ens, de omnibus praedicatur [1].

Quoniam plerosque locos, qui ab elementis generis suppeditant, explicuimus, opus nobis est praecipuos locos recensere ab iis petitos, quae generis elementa consequuntur. Horum primus est: *Si species designati cuiusdam generis habeat aliud genus, quod nec continet illud genus designatum, nec ab illo continetur, genus, quod designatur, re ipsa non est.* Veritas huius loci ex eo patescit, quod haud possibile est quidquam ad duo genera pertinere, si horum generum unum altero non contineatur. Aristoteles scite advertit hunc locum valde opportunum esse ad Socratis opinionem refellendam, qui scientiam esse genus iustitiae docuit [2]. Nam, quandoquidem virtutem esse genus iustitiae in confesso est, dici non potest scientiam etiam esse eius genus, nisi sub virtute, veluti sub genere superiori, contineri simul dicatur. Atqui neutrum horum generum, nempe scientiae, et virtutis sub altero contineri manifestum est. Falsus igitur est Socrates, quod scientiam esse genus iustitiae putavit [3].

Huic loco alios eiusdem generis addimus, qui ex dictis facile declarari possunt. Itaque secundus est: *Si omnia superiora eius, quod genus esse sumitur, de subiecta specie secundum essentiam non dicantur, id argumento est illud huius re ipsa non esse genus.* Ratio huius est, quod genus, ut modo diximus, in singulis suis speciebus invenitur. Alter est: *Illud, quod genus esse poni-*

---

[1]) Arist., *Op. cit.*, lib. et c. citt., § 9.

[2]) Socrates docuit iustitiam sub scientia, veluti sub genere, contineri, quia, teste Platone (*Phaed.*, p. 68 sqq, ed. H. S.), omnem virtutem in scientia positam esse sensit.

[3]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 2, § 1.

tur non est veluti genus habendum, si vel ipsum, vel aliquid, quod superius est, particeps definitionis speciei subiectae sit. Hic locus axiomati paulo ante commemorato nititur, nempe quod definitio speciei definitioni generis non convenit [1]. Ea, quae speciei generis subiiciuntur, locos tertium et quartum dialectico suppeditant. Tertius huiusmodi est: *Si nec illud, quod veluti genus sumitur, nec quidquam eorum, quae superiora illo sunt, de omnibus, quibus species tribuitur, secundum essentiam praedicari potest, illud certe huius speciei genus non est.* Quartus vero: *Si illud, quod veluti genus sumitur, et unumquodque eorum, qua illo superiora sunt, de specie subiecta secundum essentiam praedicetur, illud genus huius speciei re ipsa esse tenendum est* [2].

Hi duo loci, uti ex se patet, vim suam ab eo sumunt, quod, si genus in qualibet sua specie secundum essentiam invenitur, quaelibet species etiam secundum essentiam invenitur in omnibus individuis sibi subiectis: quapropter, si genus secundum essentiam in qualibet specie invenitur, necesse est, ut secundum essentiam in cunctis individuis cuiuslibet specierum suarum inveniatur. Perspicuum autem est horum locorum primum ad refellendum, ac alterum ad probandum valere, quia illo negatur esse genus id, quod veluti genus ab adversario sumitur, hoc autem aliquid re ipsa genus esse probatur [3].

Ex locis intrinsecis utiles quoque ad quaestiones dialecticas solvendas ii sunt, qui a comparatione differentiae cum genere, aut cum specie ducuntur. Horum primus est: *Si id, quod veluti genus sumitur, differentiam esse comperiatur, illud re ipsa non esse genus tenendum est* [4]. Huius rei ratio est, quod differentia, ut B. Albertus advertit [5], significat potius qualitatem essentialem, quam essentiam, quia ipsa reducens ad actum

---

[1]) *Ibid.*, § 2. — [2]) *Ibid.*, § 3. — [3]) *Ibid.*, § cit. — [4]) *Ibid.*, § 5.
[5]) *Op. cit.*, lib., et tract. citt., c. 4.

id, quod *potestate* est in genere, genus determinat, ac ipsum idcirco *quale* efficit, sive, ut aiunt, *qualificat* [1]. Ita rationalitas addita animali efficit, ut animal sit rationale, sive *homo*. Vt hunc locum aliquo exemplo declaremus, contendentibus immortale esse genus, quo Angeli veluti species continentur, reponi potest immortale esse differentiam, qua Angelus ab homine discriminatur, proindeque ab ipsis genus cum differentia confundi.

In hoc primo loco differentia spectatur, prout constituit speciem : at si ipsa consideretur, prout genus in suas species dividit [2], alter utilis locus inde existit, isque est : *Si differentia eius, quod genus esse ponitur, particeps est, id, quod genus esse sumitur, procul dubio genus non est.* Et sane, differentia, cum genus determinet, aliquid generi largitur, ex quo istud determinatur ; tantum abest, ut ipsa particeps generis sit. Generis vero *immediate* particeps est species, quia in hac genus per differentiam determinatum invenitur, et *mediate* particeps est individuum, quia genus, ut paulo ante advertimus, per speciem in individuis invenitur [3]. Hoc ex loco, e. g., refelli posset, qui numerum esse genus imparis contenderet, quasi par, et impar veluti species ad numerum se haberent; nam, cum impar sit differentia numeri, sive id, quo numerus impar a pari discriminatur, numerus genus imparis proprie dici nequit.

Tertius locus est : *Si quod genus esse ponitur, speciem esse deprehendatur eius, cuius ipsum ponitur esse genus, illud non esse genus pro certo habendum est.* Qui vero cognoscere velit, num quidquam re ipsa sit species eius, cuius ipsum sumitur esse genus, inquirere debet, num minus late pateat, quam id, cuius sumitur esse genus. Nam, si minus late pateat, id certo argumento est ipsum esse speciem eius, cuius genus esse

[1]) Cf vol. I, p. 242, not. 3, et 4, et p. 618.

[2]) De duplici hoc munere differentiae legesis id, quod diximus vol. I, p. 278.

[3]) Arist., *Op. cit.*, ibid., § 6. Vid. Albert. M., *Op. cit.*, ibid.

sumitur, quia species de paucioribus, quam genus, praedicatur. Aristoteles, hunc locum solemni exemplo illustrare volens, advertit facile posse, ipsius ope, refutari sententiam Platonis asserentis *lationem*, φορὰν, esse genus mutationis loci, quia lationem esse speciem mutationis loci indubium est. Et sane, quoniam omnia, quae feruntur, locum mutant, sed non omnia, quae locum mutant, feruntur [1], latio minus late, quam mutatio loci, patet [2].

Quartus locus est huiusmodi: *Si id, quod esse genus sumitur, particeps est differentiae, illud non esse genus evidens est.* Huius loci ratio in eo posita est, quod genus, uti ex disputatis in prima logicae parte perspicitur, cum per differentiam coarctetur, differentia superius, communiusque est. E. g., si quis dicat numerum esse genus imparis, ex eo refelli potest, quod, cum impar sit differentia numeri, numerus genus eius esse nequit [3].

Sed de locis intrinsecis satis, superque ad rem nostram dictum est. Restat, ut quosdam ex locis extrinsecis enumeremus. Inter locos extrinsecos illi potissimum spectandi sunt, qui a diversis oppositorum generibus trahuntur: quocirca nos, reliquis omissis, hoc dumtaxat explicabimus.

A contrariis ordiamur. Horum plures, variique loci nobis suppetunt, prout diversa est ratio, ex qua considerantur. Nam primo in contrariis considerari possunt vel extrema, vel media, quae inter ea interiacent, quia, uti ante monuimus, non solum *immediata*, sed etiam *mediata* contraria existunt [4]; secundo, contrariorum alia

---

[1]) Vid. Arist., *Natur. Auscult.*, lib. V, c. 2, § 10, ed. Didot.

[2]) *Topic.*, lib. et c. citt., § 7. « Hoc peccato, ait Albertus M., « Plato peccavit, quando lationem, quae est idem, quod vectio (sicut « movetur id, quod vehitur) dixit esse loci mutationem: vectio enim, « sive latio quaedam mutatio secundum locum est, et est in minus, « quam loci mutatio » (*Op. cit.*, lib. et tract. citt., c. 4). Aristoteles φορὰν esse propriam τῶν ἀψύχων, *inanimatorum*, dixit. Vid. *Op. cit.*, ibid.

[3]) Arist., *Op. cit.* ibid., § 6.—[4]) P. 339.

sunt in eodem genere, alia autem in diverso genere, alia denique sunt ipsa genera [1]. Iam, si hae divisiones contrariorum prae oculis habeantur, intelligitur e contrariis diversos locos generis suppetere nobis oportere, prout vel extrema, vel media contrariorum considerentur, et prout contraria vel ad idem genus, vel ad diversum pertinent, vel ipsa sunt genera.

Quod ad contraria immediata pertinet, si ipsa in eodem genere sunt, nobis suppetit hic locus: *Si illud, quod veluti genus sumitur, contrarium non habeat, sed species contrarium habeat, quod genere sumto non continetur, id certo argumento est illud, quod veluti genus sumtum est, non esse re ipsa genus* [2]. E. g., eum, qui habitum esse genus scientiae contendunt, confutare licet hac argumentatione: *Si habitus est genus scientiae, id, quod est scientiae contrarium, habitui etiam contrarium sit oportet. Atqui scientiae contraria est ignoratio, habitui autem nihil est contrarium. Ergo habitus genus scientiae non est.*

A contrariis vero, quae ad diversa genera pertinent, hauritur hic alter locus: *Si tam genus, quam species aliquid contrarium habeant, sed contrarium speciei sub contrario generis non est, id, quod genus esse sumtum est, genus re vera non est.* Ita, si quis *scientiam* esse genus *iustitiae* sanxerit, ex eo refelli potest, quod contrarium iustitiae, nempe *iniustitia* contrario scientiae, nempe *inscitia* non continetur [3]. Quod quidem concludi potest hoc argumento: *Si scientia esset genus iustitiae, iniustitiam quoque sub inscitia esse oporteret. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens.*

Duorum locorum, quae modo recensuimus, ni fallimur, brevis, manifestaque ratio haec est, quod, cum species genus peculiari modo contractum denotet, ne-

---

[1]) Arist., *Op. cit.*, lib. cit., c. 3, § 6-11.

[2]) *Ibid.* § 7. Ex quo vides, quamvis scientia sit habitus, tamen habitum non esse genus eius proprie dictum.

[3]) *Ibid.*

cesse est, ut illud, quod est contrarium speciei, contrarium quoque generi sit. Aristoteles ipsos inductione niti asseruit, quam Balforeus opportunis exemplis declaravit hoc modo : « Nam, si omnia percurramus, « semper reperiemus contrarias species sub eodem ge« nere contineri, si generi nihil est contrarium, ut « virtus, et vitium sub habitu, albor, et nigror sub co« lore : quia habitui, et colori nihil est contrarium. « Contra vero, si generi aliquid est contrarium, con« trariae species sub contrariis generibus esse deprehen« dentur. Sic, quia virtuti vitium contrariatur; et iusti« tia, prudentia, fortitudo subsunt virtuti tanquam ge« neri; etiam iniustitia, imprudentia, ignavia sube« runt vitio tanquam generi [1] ».

Quod si contraria sint ipsa genera, ab eis trahitur tertius iste locus : *Id, cuius contrarium nullo genere continetur, non est species*. Exemplum nobis suppeditare possunt notiones *boni*, et *mali*, quia bonum, et malum ambo genera sunt [2]. Et sane, si quis pugnaret malum esse speciem, commode refelli ex illo loco posset. Nam, quoniam contrarium mali, nempe bonum nullo genere

---

[1]) *Comment. in lib. IV Topic.*, p. 107, ed. cit.

[2]) Bonum, et malum, uti Albertus M. ad hanc rem advertit (*Op. cit.*, lib. et tract. cit., c. 1), sunt dumtaxat genera, quippe quod, dum ipsa ad nullum aliud referuntur, alia ad ipsa referuntur, praesertim in iis, quae ad mores pertinent. Hanc rem fusius, ac enucleatius s. Thomas exposuit in hoc praeclaro loco: « Genus dupliciter potest acci« pi. Vno modo proprie, prout praedicatur de pluribus in eo quod « quid est, et sic neque bonum, neque malum sunt genera, quia sunt « de transcendentibus. Alio modo communiter, ut genus dicatur o« mne id, quod sua communitate multa ambit, et continet, et sic bo« num, et malum dicuntur genera omnium contrariorum, quia ut in « Physic. dicitur, omnia contraria hoc modo se habent, quod alterum « est nobilius, et alterum vilius, ita quod vilius privationem in se in« cludit, sicut nigrum respectu ad album, et frigidum in respectu « ad calidum... et per hunc modum semper alterum contrariorum « pertinet ad bonum, et reliquum ad malum » ; *In lib. II Sent.*, Dist. XXXIV, q. 1, a. 2 ad 1.

continetur, sequitur ne ipsum quidem malum ullo genere contineri, quia eadem est ratio contrariorum [1].

Ad contraria mediata progredientibus primus occurrit nobis hic locus: *Si inter species contrarias, non autem inter genera medium interiectum sit, aut si inter genera contraria, non autem inter species medium sit interiectum, ea, quae veluti genera sumuntur, re ipsa non esse genera pro certo habendum est.* Hic locus vim suam ab eo haurit, quod par est ratio generis, et speciei, quae generi subiicitur; quapropter, si quid medium sit inter species contrarias, aliquid quoque medium inter genera, quibus illae species subiiciuntur, sit oportet; et vicissim, si quid est medium inter genera contraria, aliquid medium esse oportet inter species, quae ipsis subiiciuntur. Rationem horum pronuntiatorum perspicere haud difficile est. Et sane, quod attinet ad primam partem huius loci, cum species illae sint, in quas genus dividitur, consequens est non posse aliquid medium esse inter contrarias species, nisi quid medium inter genera ipsarum sit. Quod vero ad alteram partem spectat, cum unumquodque genus in suis speciebus aliquo modo determinatum inveniatur, necesse est, ut, si quod medium inter contraria genera intercedit, aliquod medium quoque intercedat inter species, quae illis subiiciuntur. Exemplum Aristoteles nobis indigitavit in *virtute*, et *vitio*, atque in *iustitia*, et *iniustitia*, quae species virtutis, et vitii sunt, quia utrisque interiectum est medium per negationem, κατὰ ἀπόφασιν, hoc est, aliquid, quod non est nec virtus, nec vitium, itemque aliquid, quod non est nec iustitia, nec iniustitia [2].

---

[1]) Arist., *Op. cit.* ibid., § 8.

[2]) *Ibid.*, § 9. Exemplum, quod Aristoteles attulit, Albertum M. exposuit his verbis: . . . « utrumque enim est aliquid medium virtu« tis quidem, et vitii indifferens, quod nec vitium, nec virtus est, vel « bonum in genere: sed potentia est utrumque. Iustitiae autem, et « iniustitiae medium est, quod nec communicativum, nec distributi« vum est »; *Op. cit.*, lib., tract., et c. citt.

Alter locus est : *Si medium aliter inter genera, aliter inter species intercedat, illa genera non esse harum specierum genera certum est.* Ratio huius loci, observante Aristotele, in hoc consistit, quod « in quo extrema sunt, « in eo quoque est medium interiectum [1] ». Quod ut probe intelligatur, mente recolendum est medium in contrariis sumi partim per *abnegationem*, κατὰ ἀπόφασιν, partim *ut subiectum in extremis*, ὡς ὑποκείμενον, hoc est, uti Albertus M. hoc explicuit, « *per extremorum participationem*, quia « id, quod extrema participant, subiicitur eisdem ut « principiis constituentibus ipsum [2] ». Priori modo, e. g., medium est in *virtute*, et *vitio*, quia medium inter utrumque est id, quod nec virtus, nec vitium est, sed in potentia ad utrumque ; posteriori autem in *nigro*, et *albo*, quia colores medii participes utriusque sunt [3]. Iam idem Albertus M. post Aristotelem [4] scite tradidit medium tam in generibus, quam in speciebus *similitar*, sive *uniformiter* esse oportere; nam, quoniam in singulis speciebus totum genus est, fieri nequit, ut medium aliter inter species contrarias, aliter vero inter genera contraria illarum inveniatur. Quamobrem, si medium in speciebus contrariis aliter interiectum deprehendatur, *ac in iis, quae veluti genera illarum sumuntur*, haec, quae veluti genera sumuntur, genera re ipsa non esse pro certo habendum est [5].

Tertius locus se habet huiusmodi: *Si quod genus esse*

---

[1]) *Loc. cit.*, § 11.—[2]) *Op. cit.*, ibid.

[3]) « Medium, s. Thomas ait, comparatum uni extremo videtur al- « terum, in quantum participat naturam utriusque; sicut tepidum « respectu calidi est frigidum, respectu vero frigidi est calidum » (I, q. CVIII, a. 5 ad 4). Quod tamen, uti a s. Bonaventura observatum est, in rebus ad mores pertinentibus non semper evenit. « Hoc, ait, non habet necessitatem in moribus, pro eo quod me- « dium reperitur in genere virtutis, et extrema sunt in genere vitio- « rum »; *In lib. III Sent.*, Dist. XXIII, a. 1, q. 1 *ad arg.*

[4]) *Op. cit.*, ibid.

[5]) Albert. M., *Op. cit.*, ibid.

sumitur, non habet contrarium, sed species contrarium habet, illud, quod veluti genus sumitur, genus re ipsa esse putandum non est, nisi cum medium contrariis speciebus interiectum in eodem genere sit, ac ipsae species contrariae. Ratio huius loci eadem est, ac illa, quam modo diximus, scilicet quod medium in eodem genere, ac extrema, esse debet; hinc genus illud dicendum non est, in quo medium contrariis speciebus interiectum non invenitur [1].

Quartus locus oppositae innititur sumtioni, nempe, *Si generi contrarium aliquid sit, non vero speciei, illud, quod veluti genus sumitur, genus re ipsa non est.* Id patet tum ratione, quia, uti ante innuimus, si quod est generi contrarium, contrarium quoque speciebus esse debet, tum inductione, quia, eo quod virtuti contrarium est vitium, etiam iustitiae iniustitia, prudentiae imprudentia, et temperantiae intemperantia sunt contrariae [2].

Locis generis, qui a contrariis sumuntur, illos adiicere opus est, quos reliqua genera oppositorum suppeditant. A privantibus tres loci hauriuntur, quorum duo ad refellendum valent, unus ad probandum. Illorum primus est: *Si duorum, quae secundum privationem opponuntur, unum in aliquo, tanquam genere proximo, esse comperiatur, hoc genus non esse quoque genus alterius pro certo haberi potest.* Puta, quoniam visus sub sensu, veluti sub genere suo proximo, continetur, sensum non esse genus coecitatis pro certo habendum est. Cuius rei ratio in eo consistit, quod, cum privantium unum denotet aliquid esse, aliud vero deesse in eodem subiecto, hoc subiectum amborum genus esse nequit. Secundus locus est: *Si et generi, et speciei aliquid secundum privationem opponatur, sed privatio unius non sit genus privationis alterius, unum habitum non esse genus alterius habitus certum est.* Ratio huius loci manifesta ex se est.

---

[1]) Arist, *Op.* et loc. cit., § 11.—[2]) *Ibid.*, § 16.

Nam, quandoquidem privatio habitui opponitur, consequens est unum habitum non esse genus alterius habitus, nisi una privatio genus sit alterius privationis. E. g., ii, qui scientiam esse genus sensus docent, ex huius loci vi confutari possunt. Etenim indubium est tam scientiae, quam sensui aliquid secundum privationem opponi, scilicet *scientiae ignorationem*, et *sensui coecitatem*, aut aliud huiusmodi. At vero, quoniam ignoratio non est genus coecitatis, aut cuiuspiam alius privationis in facultatibus sentiendi, statui non potest habitum scientiae esse genus habitus sensus. Locus vero, quid ad confirmandum valet, hic est: *Si unam privationem alteri privationi, veluti generi suo, subiici perspiciatur, habitum quoque, qui uni respondet, habitui, qui respondet alteri, veluti generi subiici certum est.* Ita, visum esse sensum commode probari ex eo potest, quod coecitas est privatio sensus; si enim coecitas, quae est privatio visus, est privatio sensus, oportet visum, cuius coecitas est privatio esse sensum [1].

Ex oppositis *secundum contradictionem* κατ' αντιφασιν, sive, ut Aristoteles quoque ait, *ex negationibus*, ἀπὸ τῶν ἀποφάσεων, duo loci hauriuntur, qui *consecutionem indirectam*, ἀνάπαλιν, habent. Prior, cui vis ad refellendum inest, ita se habet: *Si negatio antecedentis non dicatur de negatione consequentis, id argumento est consequens non esse genus antecedentis.* Puta, *Si non bonum non est non dulce, dulce non est genus boni.* Ratio huius loci nihil difficultatis habet. Nam, quoties negatio antecedentis de negatione consequentis non dicitur, consequens de antecedente dici nequit; puta, *Si non bonum non est non dulce, dulce non est bonum.* Atqui, si consequens de antecedente non dicatur, illud ne genus quidem huius esse potest; puta, *Si dulce non est bonum, dulce non est genus boni.* Ergo, si negatio antecedentis non dicatur de negatione consequentis, consequens non est genus an-

[1]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 4, § 5.

tecedentis. Hinc verum est illud, quod, exempli loco, adduximus: *Si non bonum non est non dulce, dulce non est genus boni.* Et sane, si dulce esset genus boni, sequeretur aliquid non bonum esse dulce, quia, cum genus per oppositas differentias dividatur, oporteret dulce in bonum, et non bonum dividere. Ast hoc impossibile est; nam, quoniam bonum esse genus dulcis certum est, nullum bonum dari potest, quod non sit dulce [1]. Posterior locus, qui ad confirmandum est accommodatus, ita se habet: *Si negatio antecedentis de negatione consequentis tamquam genus dicatur, etiam consequens, tanquam genus de specie, dici posse certum est.* E. g., si quis concedat non bonum esse non dulce, inde inferre licet dulce esse bonum [2].

Reliquum est, ut quosdam praecipuos locos, qui ab oppositis secundum relationem eruere licet, recenseamus. Primo ponimus hunc: *Si species est inter relata, et non est inter relata illud, quod genus esse sumitur, hoc re ipsa non est genus.* Ratio huius loci satis aperta est, nam genus, cum in qualibet sui specie aliquo modo determinatum inveniatur, in eadem, ac species, categoria esse debet; quare, si species est inter relata, τῶν πρός τι, genus quoque inter relata sit oportet. Id exemplo duplicis, ac multiplicis declarari potest, quia et duplex, quod est species multiplicis, et multiplex, quod est genus duplicis relata sunt. Quamobrem, si speciei, quae inter relata est, genus, quod inter relata non est, assignetur, hoc genus perperam assignatum esse pro certo habeatur. At vero, si quod genus esse sumitur, esse relatum, sed non speciem eius compertum sit, inde inferendum non est genus illi speciei perperam fuisse assignatum, quia nihil

[1]) « Si enim hoc, ait Aristoteles, non ita se habet, aliquod non « bonum esset dulce. At vero impossibile est, si quidem bonum est « genus dulcis, aliquid non bonum esse dulce. Nam de quibus ge- « nus non praedicatur, de iis nulla quoque species praedicatur »; *Op. cit.*, lib., et c. citt., § 6.

[2]) *Ibid.*

prohibet, quominus generi, et non speciei ipsius quaedam relatio accidat [1]. Ita, « disciplina, Albertus M. ait, « (quae genus est) est ad aliquid, grammatica autem, « quae est species disciplinae, non est ad aliquid [2] ».

Verum, hic locus quibusdam premitur difficultatibus, quibus obviam eundum est. Namque interdum species est inter relata, at non genus, quia virtus inter relata numeratur, non vero bonum, quod est virtutis genus, atque species necessario inter relata esse debet, si genus eius inter relata numeretur, quia, si genus de specie dicitur, necesse est, ut quidquid de genere dicitur, de specie etiam dicatur. Quo hae difficultates solvantur, sciendum est eorum, quae *secundum relationem* opponuntur, alia esse *vere* et *proprie*, alia autem *quodam dicendi modo* relata. Iamvero, si relata priori modo accipiantur, genus, et speciem aeque esse, aut non esse inter relata indubium est. Nam genus, et species in eadem categoria sunt; unde, si speciem inter relata esse comperiemus, id certo argumento nobis esse debet genus quoque inter relata esse, et vicissim, si genus inter relata esse perspectum sit, speciem etiam esse inter relata. Ex quo intelligitur, si non genus, et speciem, sed speciem duntaxat inter relata esse comperiatur, illud genus huic speciei recte assignatum fuisse. At vero, si relata posteriori modo sumantur, nihil vetat, quemadmodum ab exemplis allatis colligitur, quominus interdum species sit relata, et non genus, vel e contrario genus, et non species, quia illa, quae quodam dicendi modo relata vocantur, potius ad qualitatis, quam ad relationis categoriam pertinent. Ita virtus, si inter relata quodammodo numeratur, quia quemdam ordinem ad hominem illa praeditum habet, potiori iure qualitas dicenda est, quia ipsa hominem *qualem*, seu virtute praeditum efficit [3].

---

[1]) *Ibid.* § 7.—[2]) *Op. cit.*, lib. et tract. citt., c. 5.

[3]) Vid. Arist., *Categ.* c. 8, t. I, p. 110, ed. Waitz. Hinc factum est,

Secundo, ponimus hunc alium locum: *Si quod genus esse sumitur ad idem, ac speciem ipsi assignatam, haud referri compertum fuerit, illud re ipsa non esse genus huius speciei tenendum est.* Vis huius locis ex dictis facile patet ; nam , si genus inter relata enumerandum est, quoties species inter relata invenitur , necesse quoque est, ut genus ad idem, ac species, referatur , quia species est ipsum genus peculiari modo determinatum [1]. Puta, « si duplum, ut B. Alberti verbis utamur , dici« tur dimidii duplum , et multiplex , quod est genus « dupli , dicitur dimidii multiplex. Si autem non ita « multiplex dicatur ad idem , non erit multiplex ge« nus dupli [2] ».

Duobus, quos explicuimus , locis veluti tertium addimus hunc: *Si id, quod veluti genus sumptum est, et genera eius superiora ad idem, ac subiecta eis species , non referantur, genus huic speciei perperam assignatum est.* Hic locus corollarium est loci praecedentis. Et sane, si genus ad idem , ac species , refertur , superiora generis , etiam ad idem , ac species , referantur oportet, quia genus inferius species est generis superioris [3]. Ab exemplis afferendis in re perspicua supersedemus.

Quartus locus nobis ex relatis suppeditat , si plures , diversaeque species cum pluribus , diversisque generibus conferantur. Ille est: *Si id , quod opponitur sumto generi, est genus eius, quod sumtae speciei opponitur, etiam genus, quod sumptum est, re vera esse genus pro certo habendum est.* Ita, quoniam multiplum est genus dupli, id argumento est , etiam submultiplum esse genus simpli. Opinio Protagorae intellectum cum sensu, et scibile cum sensibili confundentis, quam recentes sensistae am-

---

ut Aristoteles multa inter *relata*, et *qualia* simul enumeraret (*ibid.* c. 7, et 8, ed. cit.), quia eadem, si diversa ratione spectentur, ad diversas categorias pertinent.

[1]) Arist., *Topic.*, lib. IV, c. 4, § 8.

[2]) *Op. cit.*, lib. et tract. citt., c. 5.

[3]) *Ibid.*, § 9.

plexi sunt, ex hoc loco, ut scite Aristoteles advertit, facile refellitur. Nam, si *scientia* esset eadem cum *sensu*, seu quaedam species sensus, idem dicendum foret de correlatis eorum, nempe de *scibili*, et *sensibili*, proindeque oporteret scibile esse quoddam sensibile, seu speciem sensibilis. Atqui hoc falsum est, quia multa sunt, quae, cum solo intellectu comprehendantur, scientiae, non vero sensus obiectum sunt. Sensus igitur non est genus scientiae [1].

Quod si relata spectaverimus ex parte subiectorum, quibus inesse queunt, quintus locus nobis occurret, qui huiusmodi est: *Si quod sumitur genus, in eodem, ac species, genere relatorum non esse inveniatur, illud veluti huius genus habendum non est.* Ad huius loci intelligentiam sciendum est, si relata ex parte subiectorum, in quibus sunt, considerentur, tria illorum genera ab se distingui, quia in ipsis praedicatum tribus diversis modis in subiecto inesse potest. Enimvero, quaedam necessario in iis sunt, ad quae referuntur: hoc sane modo habitus animo insunt. Alia autem non necessario sunt in iis, ad quae referuntur, sed interdum evenit, ut in iis insint: puta scientia in scibili non est necessario, sed accidit interdum ut in ipso sit, quia animus, qui est aliquid scibile, interdum se ipsum scit. Alia denique sunt eiusmodi, ut inesse iis nequeant, ad quae referuntur; puta si contrarium contrario est contrarium, certe ipsum contrario non inest. Iam, cum multiplex sit genus relatorum, procul dubio oportet genus non modo inter relata esse, si species eius inter relata sit, sed etiam ad idem, ac species, genus relatorum pertinere, quia diversitas relationis diversitatem naturae arguit. Aristoteles perbelle observavit posse ex hoc loco illos confutari, qui memoriam esse μονὴν ἐπιστήμης, *mansionem*, seu *retentionem scientiae* autumabant. Eius argumentatio huc redit: *Si memoria est mansio, seu reten-*

[1]) *Ibid.*, § 13. Cf Albert. M., *Op. cit.*, lib. et tract. cit., c. 5.

tio scientiae, ob idque quaedam species mansionis, memoriam in scientia, tanquam in subiecto, esse dicendum est, quia proprium cuiuslibet speciei mansionis est in eo esse, quod manet. Atqui hoc est absurdum, quia memoria non est proprie in scientia, sed in anima, quae est scientiae subiectum. Absurdum igitur est memoriam esse retentionem scientiae [1].

Locis hactenus enumeratis, qui a genere ad nullam specialem materiam contracto, seu determinato hauriuntur, Aristoteles non paucos alios addidit, quos genus ad materiam cum naturalem, tum moralem contractum disputatori suppeditare potest. At nos ab iis recensendis abstinemus, quia satis ad rem nostram est locos, qui circa singulas quaestiones versantur, ad quaedam genera revocasse, nexumque, quo continentur, in apertum posuisse.

ARTICVLVS DECIMVS QVINTVS

De locis, qui a proprio sumuntur

Explicatis *generis* locis, ad locorum *proprii*, et *definitionis* tractationem progrediamur. In quorum recensione hunc ordinem servamus, ut primum locos *proprii*, dein locos *definitionis* exponamus, tum quia, uti saepe cum Aristotele diximus, scientia accidentium propriorum maxime confert ad cognoscendum *quod quid est*, nempe definitionem, quae essentiam rei exhibet, tum quia, aiente B. Alberto M., « praedicatio definitionis ex ad-« ditione se habet ad praedicationem proprii »; nam « proprium simpliciter praedicatur secundum totalitatem « temporis, et inesse ut diffinitio ad hoc addit illud, quod « est substantialiter secundum totalitatem substantiae [2] ». Iam, quoniam quaestiones dialecticae huc spectant, ut mo-

[1]) *Ibid.*, § 14.
[2]) *Op. cit.*, lib. V, tract. 1, c. 1.

dus detegatur, quo aliquid alicui inest [1], liquet tractationem istam in eo versari, ut utrum, necne aliquid alicui subiecto tamquam proprium insit, perspiciatur [2].

Iam vero in primis sciendum est proprium dividi in proprium *in se*, quod nempe per se, et absolute subiecto convenit, uti ridere posse [3], aut disciplinae capacem esse proprium est hominis, atque in proprium *ad aliud*, sive in proprium, quod subiecto ex eo, quod ad aliud refertur, inhaeret; e. g., si animus cum corpore comparetur, proprium animi est imperare, corporis vero parere. « Ad aliud, ait Alb. M., dicitur comparatum ad id, « quod illam naturam non habet, sed aliam, a qua fluit « aliud in modo opposito proprium, sicut imperare, et « ministrare oppositos habent modos [4] ».

Quoniam vero proprium *in se* ex essentialibus speciei fluit, ipsum nunquam deserit speciem, ad quam pertinet, atque ideo *semper* illi inest [5]. Proprium *in se* hac ratione consideratum a proprio *quando*, sive quod non semper, sed aliquando tantum inest, distinguitur, cuiusmodi, e. g., proprium Socratis est « ambulare in thea- » tro, quod non dicitur proprium, nisi quando soli con- « venit [6], et est causatum ab accidente individui, et non

---

[1]) Cf p. 187 sqq.

[2]) Cf Alb. M., loc. cit.

[3]) De hoc hominis proprio ita loquitur s. Augustinus: « Sunt alia « quaedam, quae iam cadere in feras non videntur, nec tamen in « homine ipso summa sunt, ut iocari, et ridere. Quod humanum qui- « dem, sed infimum hominis iudicat quisquis de natura humana re- « ctissime iudicat »; *De lib. arb.*, lib. I, c. 8, n. 18.

[4]) *Ibid.*

[5]) Idem de propriis *ad aliud* dici non potest, nam ex eiusmodi proprio aliqua *semper* rei ad alteram relatae, ut esse *bipes* homini cum equo collato; alia *non semper* ei conveniunt, quemadmodum imperare potentiis concupiscibili, et irascibili non semper in potentiam rationalem cadit. Cf Arist., *ibid.*

[6]) Id etiam innuere videtur s. Bonaventura, ubi inquit: « Potest « dici, quod uno modo proprium dicitur contra communitatem »; *In lib. I Sent.*, Dist. XII, dub. 3.

« a principiis speciei [1] ». Ex quo intelligitur, cur Aristoteles proprium in *per se*, et *ad aliud*, atque rursus in *semper*, et *quando* diviserit [2].

Compertum autem est de proprio, quod *per se*, et *semper* hic agi, non vero de proprio, quod *aliquando*, vel relatum *ad aliud* dicitur, quippe quod proprium *aliquando* non est argumentum artis dialecticae proprium, nempe, uti Lovanienses aiunt, « proprium *aliquando* non « est logicum, eo quod ex ipso non constituitur problema, « quod variis modis aut construi queat, aut interimi [3] »; atque ea, quae definiendis eorum propriorum, quae ad aliud sunt, problematibus idonea videri possunt, satis, ubi de locis *accidentis* pertractavimus, expedita sunt.

Praefinita notione proprii, de locis, qui ab eo sumi possunt, breviter disserimus.

Principio monendum est quaestiones, quae circa proprium versari possunt, ad duo summa capita revocari: etenim quaeritur, an proprium recte expositum sit, atque an omnino proprium sit id, quod proprium esse dicitur. Nam fieri potest, ut id, quod non est proprium, proprium esse ponatur, et quod vere proprium est, haud recte explicetur. Iam Aristoteles primo tradit locos, quibus

---

[1]) *Ibid.* « Haec divisio proprii, idem Albertus inquit, quae hic po- « sita est, ad divisionem Porphyrii reducetur, ita quod membrum ad « membrum reducatur: proprium enim, quod convenit omni, et non « soli, in quantum convenit omni, et non soli, reducitur ad proprium « ad aliud: proprium autem, quod convenit soli, et non omni, in quan- « tum convenit soli, reducitur ad per se: in quantum autem convenit « non omni, continetur in proprio ad aliud. Iterum proprium, quod « convenit omni soli et non semper, in quantum convenit soli et o- « mni, reducitur ad proprium per se, quia eisdem causatur principiis « subiecti: in quantum autem non semper, reducitur ad proprium « quando. Et hoc modo tria membra divisionis Porphyrii, scilicet « quod convenit omni soli et semper, duo membra istius divisionis « continent, et proprium per se, et proprium semper: utrumque enim « illorum convenit omni soli et semper »; *Ibid.*

[2]) *Op. cit.*, lib. V, c. 1.

[3]) *Op. cit.*, *Comm. in lib. V Top.*, p. 455, ed. cit.

cognoscitur proprium recte, vel secus expositum esse; secundo vero eos, quibus probatur esse, vel non esse proprium, quod pro proprio ponitur.

Quod attinet ad primum caput, primus locus a *notioribus*, aut *ignotioribus* hauritur. Eius autem duo sunt axiomata, quorum unum ad refellendum, alterum ad confirmandum valet. Prius est: *Si proprium per ignotiora, aut obscuriora exponitur, male est expositum proprium.* Iam duobus modis per ignotiora proprium exponi potest. Alter est, cum proprium subiecto suo omnino est ignotius. E. g., cum notio animi obscurior, quam notio ignis sit; siquidem hic sensu, ille vix tenui mentis cognitione apprehenditur, ignis proprium per id, quod *ad animi similitudinem accedit*, haud dilucide explicari consequitur. Et sane, proprium assignatur, ut innotescat subiectum, cuius est proprium: aeque ac definitio, ut illud innotescat, cuius est definitio. « De ratione proprietatis, ait s. Bonaventura, in creatura. . . « est, quod est ratio innotescendi [1] ». Quocirca proprium, si iis verbis exhibeatur, quae subiecto, cuius est proprium, notiora haud sunt, perperam assignari iure infertur. Alter modus in eo versatur, quod obscurum, et ignotum est, an rei subiectae id, quod proprium esse dicitur, conveniat: puta si quis eum nonnullis veteribus dicat *ignis proprium id, in quod primo nata est anima*: haud enim intelligitur, an igni ullo pacto conveniat, ut in eo primum animus consistat. Cuius rationem laudatus Albertus ita effert: « Nam qui non scit per notiora, « quoniam hoc, quod est proprium, huic subiecto in« est, et non cognoscit si illi soli inest, ita non scit, « si sit proprium; quoniam de substantia proprii est, « quod soli insit [2] ».

Posterius axioma, quod diximus ad confirmandum valere, huiusmodi est: *Ex notioribus, et magis perspicuis*

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, p. 1, a. 1, q. 1 *ad arg.*
[2]) *Op. cit.*, ibid., tract. 2, c. 1.

recte explicatur proprium. Notiora autem, per quae explicatur proprium, utroque modo sint oportet, ita nempe, ut non solum ipsa per se nota sint, sed etiam ut notum sit illa inesse subiecto.

Neque huius loci veritas ex eo minuitur, quod proprium, cum in subiecto causam sui habeat, minus, quam istud, notum est. Etenim quaestiones dialecticae, quae circa proprium instituuntur, non ad causam, cur proprium subiecto inhaereat, sed ad eius inhaerentiam simpliciter pertinent. Quocirca notiora, quibus proprium explicatur, huiusmodi esse debent non quidem natura sua, sed quoad nos, sive, ut Albertus M. inquit, « notius « proprium debet esse quoad nos, et sicut signum, quod « accipitur ab eo, quod est esse consequens [1] ».

Deinde tres alii loci ex *multiplicitate*, quae ab homonymia, vel ab amphybologia oritur, ex *tautologia*, et ex *redundantia* nobis suppetunt. Atque ii ita se habent: 1° *Si illud, quod pro proprio ponitur, multa declaret, non recte positum est proprium*; 2° *Proprium perperam exponitur, si idem bis repetatur*; 3° *Si in proprio explicando aliquid redundans, aut superfluum statuatur, proprium non recte explicatur.* Horum locorum vis ex dictis facile patet. Etenim proprium « docendi gratia assignatur [2] »; dum e contrario multiplicitas vel in dictione una, uti est *homonymia*, vel in oratione, uti est *amphybologia*, obscuritatem parit. E. g., quoniam *sentire* plura significat, unum quidem *habere sensum*, alterum *uti sensu*, is, qui *sentire natura* veluti proprium animalis tradit, ex primo horum locorum redarguitur. Idem dicatur de *tautologia*, idest inepta eiusdem verbi repetitione [3], atque

---

[1]) *Op. cit.*, loc. cit.

[2]) Alb. M., *ibid.*, c. 2.

[3]) Censetur autem aliquid in explicatione proprii bis repeti aut *expresse*, puta si dicatur ignem corpus esse omnium corporum levissimum, aut *tacite*, cum non idem verbum iteratur, sed aliud, quod idem prorsus valet, puta si quis proprium terrae tribuat, esse corpus, quod inter omnes substantias, quae tres dimensiones habent,

de *redundantia*; sicuti enim in definitione, ita et in proprio tradendo vitiosum est quidquam redundans, aut superfluum adstruere.

Quemadmodum vero his locis proprium, quod assignatur, refellitur, ita oppositis axiomatibus proprium recte traditum esse confirmari potest; siquidem, ut probe monuit Albertus M., « proprium convertibile est, et per « quaecumque construitur quantum ad inesse, per eadem « opposita illorum destruitur quantum ad non inesse [1] ». E. g., quoniam tum corpus, tum id, quod celerrime sursum fertur, tum ea, quae ex his verbis constat, oratio, multiplicem non exhibent significationem, recte hac ex parte statuitur ignis proprium, corpus, quod maxima celeritate sursum movetur [2].

His, quos obiter indicavimus, locis alius respondere videtur, qui a *verbo nimis communi*, sive *transcendente* sumitur. Maxima propositio ex eo haec est: *Nomen, quod omnibus inest, vel quod omnia consequitur, male ponitur in explicando proprio.* Cuius loci ratio in eo posita est, quod locus, aeque ac definitio, rem, cuius est proprium, ab aliis seiungere debet, ac proinde verbum transcendens, quo res subiecta ab aliis non distinguitur, in explicatione proprii nequit adhiberi. Exemplum ab Alb. M. mutuamur: « Qui scientiae proprium assignat, « dicens quod . . . scientia unum est existens sub ratio- « ne, quae est omnino irreprobabilis . . . , hic usus est « in proprio (hoc est in assignatione proprii) uno, quod « est transcendens non coarctatum: ideo omnibus adest,

---

celerrime fertur deorsum; hic enim nihil repeti videtur, revera tamen repetitur; nam idem prorsus est substantia tres dimensiones habens, quod corpus; quare perinde est ac si diceretur terram esse corpus, quod inter omnia corpora celerrime fertur deorsum. Cf Balfor., *Op. cit.*, *Comm. in lib. V Top.*, p. 133, ed. cit.

[1]) *Op. cit.* tract. 2, c. 1.

[2]) Hoc proprium ignis ita s. Thomas enunciavit: « Ignis propria « natura non fertur, nisi sursum »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XLVII, q. 11, a. 2, *sol.* 3 ad 3.

« et a nullo separat ; et ideo quoad hoc non erit bene « positum scientiae proprium [1] ».

Iam si modus inspiciatur, quo in explicatione proprii subiectum, cuius illud est proprium , exponitur, hi alii loci existunt. Primus ita se habet : *Si in proprio explicando vel ipsum subiectum ponitur , vel subiecti pars aliqua , seu species , prave explicatur proprium.* Etenim proprium illustrandae rei gratia adhibetur ; idem autem seipso non est notius ; atque species minus , quam genus , nota est [2]. E. g. , vi huius loci refellitur qui proprium animalis dicat esse substantiam generantem animal , aut substantiam , cuius species est homo. Alter est : *Proprium male explicatur , si per ea declaretur , quae sunt simul natura , vel posteriora quoad cognitionem.* E. g. , opportunus hic locus est ad refellendum eum, qui hominis proprium esse *animal bruto perfectius* enunciet ; siquidem *esse hominem*, et *esse animal bruto perfectius* sunt simul natura. Inde evincitur haud recte explanari alicuius proprium , si ex eius opposito sumatur ; puta si boni proprium dicatur esse id, quod malo maxime opponitur ; siquidem, uti ad rem B. Albertus M. advertit, « opposita sunt si- « mul natura . . . ; quod autem est simul natura, non « potest facere notius subiectum [3] ». Contra vero confir-

---

[1]) *Ibid.*, c. 2.

[2]) « Prius, s.Thomas inquit, occurrit intellectui nostro cognoscere animal, quam cognoscere hominem »; I, q. LXXXV, a. 3 c. Quomodo autem intelligendum id sit, copiose a nobis suo loco explicabitur.

[3]) *Ibid.*, tract.II, c.4. « Hic autem,subdit idem Doctor,cavendum « est, quia privatio, et habitus sunt opposita; et tamen non sunt si- « mul natura: quia privatio notificatur per habitum. Sed ad hoc di- « cendum est, quod opposita sunt simul natura, in quantum oppo- « sita,et quod habitus notificat privationem non est ex hoc,quod op- « ponitur, sed ex hoc quod est principium et materiale , et naturale « ad privationem, quia non est privatio , nisi habitus,et est privatio « in aptitudine ad habitum: unde quod opposita non debent poni in « proprio, intelligendum est, in quantum opposita sunt. Et quod di- « ctum est quod non debet esse posterius,cum tamen proprium sit de

matur proprium, si eius subiectum per ea traditur, quae neque opposita eius sunt, neque simul natura, neque posteriora quoad cognitionem, ut si quis dicat scientiae proprium esse *opinionem*, *quae maxime fidem faciat*.

Extant quinque alii loci, nempe qui *ab eo, quod interdum convenit*: *ab eo, quod nunc solum proprium est*; *a sensu*; *a definitione*; *a genere* hauriuntur. Breviter de singulis dicemus.

Axioma, quod primus horum locorum suppeditat, eiusmodi est: *Quod non semper inest, sed interdum a re subiecta separari potest, tamquam simpliciter proprium assignari non potest*. Nam quicquid omnino, et simpliciter proprium est, semper, et necessario subiecto suo convenire debet, cum ex essentialibus eius principiis fluat; et quoniam haec rem subiectam numquam deserunt, neque proprium eam deserere potest. Porro illud, quod a re subiecta separari potest, complectitur tum id, quod aliquando omnino non praedicatur de eo, cuius proprietas constituitur, tum id, quod aliquando non est proprium eius, cuius proprium esse dicitur, quamquam semper de eo praedicari possit [1]; cuiusmodi, e. g., est *moveri*, aut *stare* in animali. E contrario, comprobatur proprium, si id, quod proprium esse exponitur, semper, et necessario subiecto adsit; ut si quis dicat virtutis proprium esse, *eum, in quo sit, bonum efficere* [2].

Ab eo, *quod nunc solum proprium est*, haec propositio generalis elici potest: *Si quis proprium ponat, quod hoc tempore solum conveniat, neque moneat se pro-*

« genere accidentium, et similiter particulae, quae ponuntur in o- « ratione circumloquente proprium, sunt accidentales, et sic poste- « riores subiecto; intelligendum quoad cognitionem, qua proprium « notificat subiectum, et hoc est quoad cognitionem »; *Loc. cit.*

[1]) Cf Waitz, *Comment. Arist. organ.*, *Topic.*, p. 483, 484, Lipsiae 1864.

[2]) « Virtus, inquit s. Augustinus, animam facit optimam »; *De mor. Eccl. cath.*, lib. I, c. 6, n. 9.

prium statuere ad tempus, errat : idque geminam ob causam. Prior est , quia contra mores , et consuetudinem Philosophorum loquitur , qui id demum proprium appellare solent, quod semper inest; posterior, quia is , qui hoc modo proprium enunciat , cum non satis mentem suam explicet, et incertum relinquat, utrum velit , quod hoc tempore, an quod semper proprium sit, statuere, iustam reprehensionem incurrit; puta si ponat alicuius hominis proprium *sedere una cum alio homine*. « Eadem autem consideratio, subdit Albertus M., per oppositum modum inspecta valet astruenti, si aliquis ut nunc proprium assignans determinavit in sermone, quoniam ut nunc proprium assignavit: nec enim inconvenienter sic determinando dixit ; et ideo erit secundum hoc bene positum proprium, ut nunc. Cuius exemplum est, ut qui dixit, quoniam alicuius hominis proprium est ambulare nunc, vel ut nunc, hoc per hunc terminum segregans ut nunc proprium a simpliciter proprio; et ideo secundum hoc bene erit positum proprium [1] ».

Locus *a sensu* hic est: *Id quod solo sensu percipitur, non recte ponitur tamquam proprium*. Nam id, ex quo solum sensus afficitur , tum solum cognoscitur inesse rei , cum sensu ipsi inesse percipitur. Quare incertum erit, an semper illi conveniat [2]. E. g., iure reprehendetur, qui solis proprium dixerit, *supra terram ferri*, quia incertum erit , an supra terram feratur , postquam occiderit, cum oculorum sensus tunc nos destituat [3]. Opportunus etiam hic locus aliqua ex parte est ad confirmandum. Nam recte statuitur illud proprium , quod sensu non percipitur , aut si percipitur , saltem perspici

---

[1]) *Loc. cit.*, c. 4.

[2]) Cf Alb. M., loc. cit.

[3]) « Sumptum est, ait ad hanc rem Pacius, hoc exemplum ex « contextu Aristotelis, cuius aetate non poterat sensu percipi an no« ctu sol supra terram feratur,sed patrum nostrorum aetate hoc ab « iis, qui ad antipodas navigarunt, sensu deprehensum est »; *Top.* lib. V, c. 3, p. 158, Aureliae Allobrogum 1606.

potest necessario convenire. Cuius exemplum est illud proprium, quod de superficie praedicatur, nempe *primum coloratum esse*, sive immediatum subiectum coloris [1]; siquidem huiusmodi proprium, etsi sensibile sit, tamen, etiam deficiente cognitione sensuum, ipsum speciei semper inesse manifestum est.

Ex *definitione* haec maxima propositio habetur : *Qui definitionem loco proprii ponit, errat.* Nam definitio explicat naturam, et essentiam rei, proprium non item [2]. Confirmatur autem ex hoc loco problema proprii, si quod proprium ponitur, reciprocatur cum re subiecta, neque totam eius naturam aperit ; e. g., si tamquam proprium hominis assignetur esse *animal mausuetum natura.*

Denique postremus locus est a *genere*, ex quo propositio haec eruitur: *Non est proprium, cuius nulla pars quid res sit, explicat.* Nam sicut definitio constat ex genere, et differentiis essentialibus, ita proprium, idest descriptio [3], constat ex genere, et differentiis accidenta-

---

[1]) « Superficies,ait s. Thomas,est primum subiectum coloris, corpus autem secundarium, in quantum subiicitur superficiei »; *Qq. dispp.*, *De ver.*, q. XXV, a. 5 ad 1.

[2]) « In unaquaque re, idem Aquinas inquit, aliud est, quod pertinet ad essentiam eius, aliud est proprium accidens ipsius: sicut in homine aliud est,quod est animal rationale mortale, aliud,quod est risibile »; 1ª 2ae, q. II, a. 6 c.

[3]) « Nomine proprii,quemadmodum Lovanienses adnotant,de quo praecipuus hic est sermo, descriptionem intelligimus, quae cum termino,seu definitione convenit,tum quia utraque oratio est,tum quia utraque est notum faciendi gratia.Differt autem,quod haec ex iis solum, quae essentiam concernunt,coalescit,illa vero nonnihil accipit,quod ad essentiam minime pertinet » (*Loc.cit.*, p.454).En autem quomodo hic locus ab Alberto M. explicatur: « Confert destruenti quidem si assignans non posuerit ipsum in quid est, hoc est in genere suo: nam oportet in propriis accidentalibus ita assignare proprium genus, sicut etiam in diffinitionibus, et postea addere reliqua distinguentia, et sic separare; et ideo quod non est hoc modo positum proprium, non erit bene assignatum. Cuius exemplum est ut quid dixit animam habere esse animalis proprium; iste non posuit in quid est omne animal, et ideo hoc non erit bene positum animalis proprium »; Loc. cit.

libus , hoc est , quae rei essentiam non ingrediuntur ; quocirca ut in definitionibus fieri assolet, ita in proprio genus primo ponendum est , deinde qualitates adiungendae , quae rem propositam a ceteris distinguunt. Confirmatur ex hoc loco proprium , si primum genus exprimatur ; deinde adiungantur cetera, quibus ab aliis omnino separatur.

Hactenus de locis , ex quibus cognosci potest , num proprium recte explicatum sit. Diligentius autem ii excutiendi sunt , ex quibus diiudicatur, num quod veluti proprium proponitur , sit an non per se , et simpliciter proprium. Qua in re Aristoteles monet eos locos, ex quibus eruitur , num proprietas bene constituta sit , contineri in iis , qui docent unde cognoscatur , num quod pro proprio sumptum sit , revera sit proprium. Etenim quod revera proprium est , id ex omni parte bene constitutum esse consequitur. Quare si quid ex iis locis , quos iam exposituri sumus , vel probatur , vel redarguitur, et num quod proprium dicitur, revera sit proprium, et num recte expressum sit, simul intelligitur [1].

Iam primus locus , quo exploratur , an aliquid sit proprium , sumitur a partibus subiecti , idque duplici ratione in refutando , nempe vel quia non convenit omnibus , quae sub subiecto continentur , vel quia non convenit iis, ipsius subiecti ratione. Vnde duplex hinc enascitur propositio generalis. Prior est: *Quod non convenit omnibus sub subiecto contentis, non est illius subiecti proprium.* Hoc ex loco refelli potest , qui scientis proprium esse contenderet nulla ratione falli posse ; nam « hoc non convenit geometrae , eo quod aliquando fal« litur, falso describendo figuras, de quibus argumenta« tur [2] ». Posterior: *Quod non convenit rebus sub subiecto contentis, ratione ipsius subiecti, non est subiecti proprium.* E. g. *moveri loco* non est animalis proprium ,

[1]) Cf Alb. M., loc. cit., et Waitz, *Op. cit.*, ibid. , p. 485.
[2]) Alb. M. , *ibid.*

non enim convenit animali, qua ratione animal est, sed qua est corpus naturale [1]. Ad confirmationem valet hic locus: *Id, quod de omnibus sub aliquo subiecto comprehensis dicitur, et ea ratione, qua sub illo continentur, illius subiecti vere est proprium*; e. g., quia ridere posse dicitur de omnibus hominibus, et hoc ipso, quod sunt homines, propterea vere est proprium hominis [2].

Alter locus a *reciprocatione* oritur, scilicet nisi illud, de quo proprium dicitur, et ratio, sive definitio proprii, vel, ut idem aliis verbis cum eodem Aristotele [3] dicamus, nisi res, cuius proprietas exponitur, et proprietas ipsa de se invicem praedicentur, ita ut inter se commutari non possint, proprietas non recte constituta est. Subiectum itaque, et proprium aeque patere debent, et alterum cum altero reciprocari, et vicissim dici de se invicem [4]. Axioma igitur ex hoc loco est: *Quod non reciprocatur cum subiecto, non est subiecti illius proprium*. Hic locus ad confirmandum etiam accommodari potest; nam id, quod cum subiecto reciprocatur, proprium est, dummodo non complectatur totam essentiam subiecti, alioquin definitio erit, non proprium.

Tertius locus *a subiecto* petitur, atque hoc suppeditat axioma: *Subiectum non potest dici proprium eius quod*

---

[1]) « Dicimus, inquit s. Thomas, corpus essentialiter moveri « quando movetur secundum locum, quia de loco ad locum eius « subiectum transfertur »; *Qq. dispp.*, *de Virtut.*, q. 1, a. 11 ad 3. Et s. Bonaventura: « Per circumscriptionem ferri de loco ad lo- « cum . . . est corporum »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVII, p. 1, a. 2, q. 1 *resol.*

[2]) S. Bonaventura rationem explicans, qua ridere posse sit hominis proprium, ita inquit: « Ridere non est actus consequens speciem « hominis, prout dicit motum solum genarum exteriorum; quia « sic consequitur animam, ut motorem, sed prout cum hoc dicit ali- « quem actum interiorem, qui consequitur existentiam animae in « corpore, ut perfectio »; *In lib. II Sent.*, Dist. VIII, p. 1, a. 3, q. 2 *ad arg.*

[3]) *Op. cit.*, ibid., c. 3, § 4.

[4]) Cf *Logic.*, part. I, c. I, art. 6, vol. I, p. 342, et 343.

in ipso inest. E. g., huius loci vi refellitur, qui ignem arbitratur esse proprium subtilissimi corporis, cum *esse subtilissimum* insit igni, et non e contrario. Huius loci veritatem Aristoteles ex absurdo evincit [1]. Et sane in eodem subiecto plura insunt propria, eaque specie diversa [2]; quocirca, si subiectum proprium foret eorum, quae in ipso insunt, idem multorum, et specie differentium proprium esset; id quod fieri omnino non potest. Etenim, cum propria, aiente Aquinate, ab essentia subiecti *fluant per naturalem quamdam resultationem* [3], consequitur ut quemadmodum eadem differentia non est specie differentibus attribuenda, sic nec idem proprium de iis, quae specie differunt, praedicari possit. « Inconveniens est, ait « ad hanc rem Albertus M., subiectum dici proprium « eorum, quae sunt in subiecto, quia sic erit proprium « grammaticae, et proprium musicae, et aliorum multo- « rum, quod est contra naturam proprii, quod convenit uni, « et soli secundum speciem [4] ». Valet autem hic locus ad confirmandum, si id, quod inest, dicatur proprium esse eius, cui inest, dummodo ei soli insit. Ita terrae proprium probe statuitur esse corpus gravissimum *specie* [5].

Existit quartus locus, qui appellatur *a participatione*, isque est: *Id, cuius subiectum particeps est, non est proprium subiecti*. Dicitur enim subiectum ea solum participare, quae essentiam eius, et naturam declarant [6], cuiusmodi sunt genus, et differentia. Cum itaque pro-

---

[1]) *Op. cit.*, ibid., § 6.

[2]) Hinc s. Thomas: « Ab uno simplici possunt multa procedere ordine quodam . . . Sic ab una essentia animae procedunt multae, et diversae potentiae; I, q. LXXVII, a. 6 ad 1.

[3]) *Ibid.*, a. 7 ad 1.—[4]) *Ibid.*

[5]) In hoc exemplo afferendo Aristoteles, observantibus Lovanien-sibus, « adiunxit *specie*. Nam quamquam terra terra sit gravior, ut « et ignis igne levior; nihil tamen alterius speciei terra est gravi us »; *Ibid.*, p. 459.

[6]) Id ex eadem *participationis* voce innuitur, siquidem « *participare*, aiente s. Bonaventura, *est partem capere* »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXII, dub. 5.

prium essentiam rei non ingrediatur, liquet subiectum particeps eius dici non posse. Et sane neque genus subiecti sui proprium est, neque differentia. Qui proprium confirmare volet ex hoc loco, docebit subiectum non esse particeps eius, quod proprium esse adstruitur, istud tamen cum subiecto reciprocari; nam id, quod extra essentiam subiecti est, et cum eo reciprocatur, vere est proprium.

Quintus locus, qui *ab eo, quod est simul tempore*, sumitur, se habet huiusmodi: *Id quod non est simul cum re, sed vel prius ea, vel posterius, non esse proprium rei pro certo habendum est.* Ratio huius loci « consequitur, ut B. Albertus M. inquit, conditionem « proprii, quae est omni, et soli inesse; ad id enim sequi« tur simul inesse proprium situm cum subiecto, et non « prius, nec posterius [1]». E. g., *ambulare in foro* non esse proprium *hominis* ex eo probari potest, quod « con« tingit et prius alicui inesse ambulare per forum, quam « homini, et alicui contingit posterius inesse, quam ho« mini [2]». Hic locus, quo prolatus est, modo, ad refellendum valet, quia si quis aliquid esse proprium cuiusdam rei tueatur, potest ex eo confutari, quod illud simul tempore cum re non est. Quod si ad comprobandum adhibere illum lubeat, efferendus est hoc modo: *Id, quod simul tempore cum re est, et nec diffinitio, nec differentia eius est, proprium rei esse certum est.* Puta, optime probare possumus esse proprium hominis, quod sit *animal scientiae capax*, quia hoc simul tempore, et ex necessitate homini inest.

Praeterea ab *identitate* subiectorum, de quibus proprium praedicatur, utiles quoque loci disputanti suppeditant. Satis sit hos duos enucleare: Prior est: *Si aliqua sunt eadem specie, id, quod non est unius pro-*

[1]) *Op. cit.* ibid.; c. 4.
[2]) *Ibid.*

prium, neque alterius esse potest. Huius loci ratio in eo agnoscenda est, quod cum proprium essentiam rei necessario consequatur, quemadmodum diversa essentia, ita diversum proprium ad illa, quae eiusdem speciei sunt, pertinere nequit. E. g., in iis, quae ad mores spectant, *prosequendum* et *eligendum* eidem *appetibilis* speciei referuntur; quapropter si quis contendat eius, quod *prosequendum* est, proprium esse *bonum quibusdam videri*, ex eo refellitur, quod *bonum quibusdam videri* non sit eius, quod *eligendum est*, proprium; siquidem illud, quod in se revera bonum est, non vero illud, quod tale quibusdam apparet, eligendum a nobis est [*].

Alter ita se habet: *Si duo aliqua subiecta sint eadem genere, et item duo attributa eadem genere, atque unum ex attributis subiecti sui proprium non est, ne alterum quidem attributum alterius subiecti proprium esse potest.* E. g., si quis contendat *semper a se moveri* esse proprium hominis, refelli potest hac argumentatione: Eiusdem generis sunt homo, et equus: atque eiusdem etiam generis moveri, et stare. Atqui non est proprium equi semper a se stare; ergo ne hominis quidem erit proprium semper a se moveri. In confirmatione ex hoc loco tale axioma depromi potest: *Si duo aliqua subiecta sint eadem genere, atque unum ex attributis subiecti unius sit proprium, etiam alterum proprium alterius esse potest.* Puta, si ad hominem tamquam proprium pertinet *esse bipedem gradientem*, erit et avis proprium *esse bipedem volucrem*: siquidem haec omnia aliquo modo eadem genere sunt. Monente autem Aristotele, hic locus tum solum in confirmatione valet, cum ambo eiusdem generis propria ita se habent, ut ex iis unum uni, et alterum uni etiam subiecto referantur; non vero, si unum uni, et alterum pluribus eiusdem generis accommodatur. Nam cum unum uni tantum convenit, alterum pluribus, potest unum unius proprium esse,

---

*) Cf Alb. M., *loc. cit.*

quin alterum alterius sit. E. g., quia *gradiens bipes* uni soli homini convenit, sed *gradiens quadrupes* non uni soli equo, sed aliis plerisque animalibus, potest gradiens bipes proprium esse hominis, quin sit proprium equi [1].

Dignus quoque notatu est locus, qui ab *homogeneis* sumitur, sive ab iis, quorum partes et nomen, et rationem totius sibi vindicant [2], cuiusmodi sunt aqua, aer, ignis, terra. Iam, quoniam « in quolibet toto homogeneo totum constituitur ex partibus habentibus formam « totius, sicut quaelibet pars aquae est aqua [3] », haec maxima propositio, quae ad refellendum valet, eruitur: *In homogeneis non est proprium totius id quod non est proprium partium, et e contrario non est proprium ullius partis id quod in totum non quadrat.* Hoc loco, ut Aristoteles inquit, refelli potest, qui proprium *maris* esse *aquam plurimam salsam* adstruat, vel alicuius *aeris* esse *respirabilem* [4]; siquidem de unaquaque parte maris esse *aquam plurimam* enunciare non licet, atque non toti aeri convenit esse respirabilem, sed illi solum aeris parti, quam animus absorbet, et attrahit ad refrigerandum pectus. Patet autem ex hoc loco confirmari etiam proprium, nam proprium, quod de toto homogeneo praedicatur, recte constitutum esse ex eo, quod proprium est singularum partium, ita tamen, ut iis insit ratione totius, iure conficitur. Puta, cum ad mundi centrum *ferri* cuivis glebae conveniat, proprium totius *terrae* recte constituitur [5].

Iam, quemadmodum circa locos *accidentis*, et *gene-*

---

[1]) *Op. cit.*, lib. V, c. 3.

[2]) « Dicendum, apposite s. Thomas, quod duplex est totum. Quod« dam homogeneum, quod componitur ex similibus partibus, quod« dam vero heterogeneum, quod componitur ex dissimilibus parti« bus »; I, q. XI, a. 2 ad 2.

[3]) *Ibid.*

[4]) *Loc. cit.*

[5]) Cf Alb. M., *Op. cit.*, loc. cit., tract. II, c. 8.

ris, ita circa locum *proprii* multa argumenta in utramque partem *ex oppositis* elici possunt. Atque in primis locus, qui ex contrariis sumitur, hoc axiomate regitur : *Si subiectum est contrarium subiecto, et attributum est contrarium attributo, et illud non est proprium illius, certum est etiam hoc non esse proprium huius*. E. g., quoniam contraria sunt tum haec duo subiecta, *iustitia*, et *iniustitia*, tum haec duo praedicata, *optimum*, et *pessimum*, arguere nobis licet hac ratione : Non est iustitiae proprium *esse optimum*; ergo nec iniustitiae proprium est *esse pessimum* [1]. Quod si contrarium contrarii proprium est, etiam alterum alterius proprium esse inferendum est. E. g., si *bonum* est contrarium *malo*, ac *expetendum* est contrarium *fugiendo*, et *expetendum* proprium esse *boni* concedatur, tuto statui potest *fugiendum* esse proprium mali.

Quod de contrariis diximus, pari fere modo de reliquis oppositorum generibus dicendum est. Sane, quod ad *relative* opposita spectat, si duo subiecta sunt relativa, et relativa etiam sunt duo propria, atque unum relativorum non est proprium subiecti unius, quod est ad aliud, reliquum uti proprium alterius assignari non potest. E. g., quia *duplum* et *simplum* sunt relativa, et *superare* etiam ac *superari*, quorum illud attribuitur duplo, hoc simplo, certe si *superare* non est proprium *dupli*, neque *superari* proprium est *simpli* [2]. E contrario, si unum unius proprium sit, et alterum alterius

---

[1]) Vid. Alb. M., *loc. cit.*, tract. III, c. 1.

[2]) « Non est autem, subdit Alb. M., vis in exemplo : tamen « potest dici, quod duplum est in plus, quam superans; quia du- « plum est in discretis, et continuis; superans autem proprie in « discretis, in quibus dicitur numerus abundans superans; et sic du- « plum, et superans non convertuntur; et sic superans non erit pro- « prium dupli. Vel dicatur quod superans in triplo est, et quadruplo « et causa multiplici; et ideo non est proprium dupli, sed in plus, « et non convertitur cum duplo, et ideo non est eius proprium »; *Ibid.*

dicendum est; puta, duplum, et dimidium relata sunt; quare si habere rationem duorum ad unum proprium sit dupli, etiam habere rationem unius ad duo proprium est dimidii.

Privative autem opposita hunc suppeditant locum: *Si habitus non est habitus proprium, neque privatio privationis proprium esse potest; et, si privatio privationis proprium non est, neque habitus ipsius habitus proprium est.* E contrario, *si res rei est proprium, etiam privatio privationis est proprium, atque si privatio privationis est proprium, etiam res rei proprium est.* Hinc ex eo, quod non est proprium *surditatis carere omnino sensu*, arguitur neque *auditus* proprium esse *simpliciter habere sensum.* Vicissim, propriuu est *aspectus cernere*: ergo etiam *caecitatis* proprium est *non cernere.*

Denique ab oppositis *contradictorie* tripertitus locus existit, prout duo attributa cum uno subiecto conferuntur, aut duo subiecta cum duobus attributis, aut duo subiecta cum uno attributo. Itaque quoad primam partem, axioma hoc est: *Si affirmatio, sive id, quod secundum affirmationem dicitur, est proprium alicuius subiecti, negationem, sive id, quod secundum negationem dicitur, non esse eiusdem subiecti proprium arguendum est.* Vicissim: *Si negatio, aut id, quod secundum negationem dicitur, est alicuius proprium, affirmatio, sive id, quod secundum affirmationem dicitur, eiusdem proprium esse nequit.* Quorum locorum ratio est, quia enunciationes contradictoriae simul verae esse non possunt. Hinc si *vivere* proprium est *rerum animantium*, *non vivere* proprium earum esse nequit; et, si *non vivere* inanimarum rerum proprium est, *vivere* earum proprium nunquam dici potest. Porro hos locos ad confirmandum proprium accommodare non licet. Etenim, monente Alb. M., praefati loci in contradictoriis propriis vim habent, « secundum consequentiam, et ratione convertibilitatis terminorum ». Iam etsi de quolibet affirmatio, aut negatio vera sit, tamen ex eo, quod negatur « terminus institutus de aliquo,

« non sequitur affirmatio termini instituti de eodem, quia « non sequitur; non est non iustus: ergo est iustus [1] ».

Alterius partis axioma est : *Si affirmatio, nempe aliquod attributum affirmans non est affirmationis, nempe subiecti affirmantis proprium, neque negatio negationis proprium erit:* et, *si negatio non est negationis proprium, neque affirmatio affirmationis proprium erit.* E. g.: ex eo quod hominis proprium non est *esse animal*, est enim ipsius genus, *non animal* proprium non esse *non hominis* colligitur. Vicissim, quoniam *non hominis* proprium non est *non animal*, ad hominis proprium *animal* non pertinete inferendum est. Hic locus ad confirmandum proprium etiam adhiberi potest, nam si affirmatio affirmationis proprium est, etiam negatio negationis proprium erit, et e contrario. E. g., si *sentire* proprium est *animalis*, etiam *non sentire* proprium est eius, quod non est animal; et rursum, si *non sentire* proprium est eius, quod non est animal, etiam *sentire* animalis proprium est dicendum [2].

Tertiae autem partis haec est sententia : *Si affirmatio assignatur subiecti affirmati proprium, non erit negati proprium ; et si negati proprium fuerit, non erit affirmati.* E. g., quoniam *animalis* proprium est *animatum esse*, *non animalis* non erit proprium *animatum*: et quoniam *non animalis* proprium est *non animatum* esse, hoc idem non erit proprium *animalis* [3]. Iam ex huiusmodi loco ad reprehendendum, sed non item ad confirman-

---

[1]) *Loc. cit.* « Ad plura, inquit s. Thomas, sese extendit negatio, « quam affirmatio »; 1ª 2ae, q. C, a. 7 ad 1.

[2]) Circa hoc exemplum adnotandum est cum Lovaniensibus ipsum accipi « eo modo, ut naturalem aptitudinem designet exercendarum operationum animae sensitivae »; *Op. cit.*, ibid., p. 462.

[3]) Ad intelligendum quomodo *animatum* dicatur proprium animalis, praestat audire Alb. M.: « Est illud proprium animalis, animal « esse compositum ex corpore, et anima, quamvis animali sit essentiale componi ex corpore, et anima. Sunt enim essentialia composito animali componentia corpus et anima: tamen compositum ex his « esse consequitur ad ipsum compositum iam in esse constitutum; et « ideo est accidentale et proprium »; *Op. cit.*, lib. V, tract. I, c. 2.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

dum proprium satis firmum argumentum ducitur. Sane fallitur qui id, quod non est subiecti affirmati proprium, negati subiecti proprium esse contendat; et vicissim, qui id, quod non est subiecti negati proprium, subiecti affirmati proprium esse asserat. E. g., perperam quis ita argumentatur: Proprium non est *hominis* esse *quadrupedem*; ergo proprium est *non hominis* esse *quadrupedem*: vel Proprium non est *non hominis* esse *quadrupedem*; ergo: proprium est *hominis* esse *quadrupedem*. Cuius ratio in eo posita est, quod si verum esset negationis esse proprium quodcumque affirmationis non est, et vicissim, affirmationis esse proprium quodcumque negationis non est, sequeretur negationis proprietatem affirmatione, et affirmationis proprietatem negatione exprimi posse. Ast affirmatio negationi omnino non inest; negatio autem affirmationi inest quidem [1]; sed non ut proprium [2]. Sane, proprietas aut affirmatione, aut negatione exprimitur, si affirmatione, negationis proprietatem, si negatione, affirmationis proprietatem significare non potest [3].

Denique, ne in tractatione ista longiorem, quam par est, operam ponamus, locis iam recensitis illos duntaxat, qui ab *analogia*, *a maiori*, vel *minori*, atque *a simili*, seu *ab his*, *quae similiter insunt*, nobis suppeditantur, adiiciemus.

Itaque ab *analogia* ad refellendum proprium hic locus existit: *Si eadem est ratio huius ad hoc, quae illius ad illud, nec sit illud illius proprium, ne hoc quidem huius erit.* Ex quo loco commode refelli posset qui pugnaret proprium esse architecti extruere domum. Sane, non aliter se habet architectus ad extruendam do-

[1]) « Semper, inquit s. Thomas, in rebus negatio fundatur super « aliqua affirmatione, quae est quodammodo causa eius »; I, q. LXXII, a. 6 c. Et alibi: « Omnis negatio de aliqua re fundatur su« per aliquid in ea existens, ut cum dicitur: Homo non est asinus, ve« ritas negationis fundatur supra hominis naturam, quae naturam « negatam non compatitur »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXV, q. 1, a. 1 ad 2.

[2]) Cf Alb. M., lib. V, tract. 3, c. 1.

[3]) Cf Waitz, *Op. cit.*, ibid., p. 491.

mum, quam medicus ad efficiendam sanitatem. Atqui non est proprium medici, ut ex sua arte semper efficiat sanitatem. Ergo ne architecti quidem proprium est extruere domum. Ad confirmandum vero proprium haec propositio adhibetur: *Si eadem est ratio huius ad hoc, quae illius ad illud, atque illud est illius proprium, etiam hoc huius erit.* E. g., si medicus eamdem habeat rationem ad repellendum infirmitatis periculum, quam γυμναστης, nempe is, qui exercendis corporibus praeest, ad efficiendam firmam constitutionem, atque sit proprium γυμναστοῦ efficere firmam constitutionem, etiam medici proprium erit arcere infirmitatis periculum [1].

Hoc, quem tradidimus, loco duo attributa cum duobus subiectis conferuntur. Quod si idem attributum cum duobus diversis subiectis comparetur, duo axiomata ad refellendum proprium inde depromuntur. Primum est: *Si attributum non aliter se habet ad subiectum unum, quam ad alterum, si non est proprium unius, neque alterius est proprium.* E. g., cum *sentire* similiter se habeat ad *hominem*, et *equum*, atque *hominis* non sit proprium, *equi* proprium non esse recte infertur. Posterius est: *Si idem praedicatum, quod ad diversa subiecta similiter se habet, est proprium unius, alterius non est proprium*, si quidem, ut saepe diximus, fieri non potest ut unum plurium speciei diversorum sit proprium [2]. Hinc si *prudentia* eodem modo videatur se habere *ad honestum*, et *ad turpe*, et constituatur unius, nempe *virtutis* esse proprium, alterius, nempe *vitii* proprium esse nequit [3]. Ex eadem ratione colligitur nullum argu-

---

[1]) Cf Alb. M., *ibid.*, tract. III, c. 2.

[2]) Cf p. 418.

[3]) Aristoteles ad hunc locum illustrandum ita effert exemplum, ut si prudentiae proprium sit disciplinam esse honesti, eiusdem prudentiae disciplinam esse inhonesti non sit proprium. At vero, exemplum hoc modo prolatum in locum istum non quadrat; nam in hoc loco non quidem binae eiusdem rei proprietates inter se comparantur, sed de una binarum rerum proprietate, ut ipse Aristoteles

mentum ad confirmandum proprium ex hoc loco hauriri posse; nam si ex eo, quod attributum illud unius illorum subiectorum est proprium, etiam alterius proprium esse probaretur, idem plurium specie diversorum proprium esse asserendum foret.

Ad locum, quo a *magis* et *minus* proprium determinatur, progrediamur. Atque in primis cum B. Alb. M. monendum est *magis* et *minus* non ita intelligendum esse, ut proprium secundum magis, et minus praedicetur de subiecto; si quidem cum proprium insit speciei secundum eamdem eius naturam, ipsum, aeque ac species, *magis* et *minus* recipere non potest. Quare praefatus locus hac ratione accipiendus est, ut nempe proprium magis, et minus referatur ad subiectum, prout hoc « magis, et minus « attingit naturam speciei subiecti, cui proprium assigna« tur [1] ».

Iamvero hic locus in quatuor partes distribuitur. In prima confertur unum attributum cum uno subiecto; in altera conferuntur duo attributa cum duobus subiectis; in tertia unum attributum cum duobus subiectis; in quarta duo attributa cum uno subiecto.

Ad primam partem quod attinet, propositiones generales hae sunt: *Si id, quod magis, vel minus, vel maxime, vel minime dicitur proprium, non est reipsa proprium eius, quod magis, vel minus, vel maxime, vel minime dicitur subiectum, tunc ne illud quidem, quod simpliciter dicitur proprium, est reipsa proprium eius, quod simpliciter est subiectum.* Hinc si *colore magis infici* non est proprium eius, quod *magis* dicitur esse corpus, neque *omnino*, et *sim-*

---

testatur, sermo est. Neque ratio, quam Aristoteles assignat, nempe impossibile esse, ut plurium specie diversorum idem sit proprium, cum illo exemplo cohaeret. Quam difficultatem cum nonnulli Interpretes animadvertissent, mendum in hunc locum irrepsisse arbitrati sunt. Cf Balforeum, *Op. cit.*, p. 151, et 152, et Waitz, *Op. cit.*, p. 492, et 493.

[1]) Alb. M., *loc. cit.*, c. 3.

pliciter colore infici proprium est eius, quod *simpliciter*, et *omnino* est corpus. Vicissim: *Si id, quod simpliciter dicitur proprium, non est proprium eius, quod simpliciter dicitur subiectum, tunc ne illud quidem, quod magis dicitur proprium, est proprium eius, quod magis est subiectum, neque illud, quod minus dicitur proprium, est proprium eius, quod minus est subiectum, neque illud, quod maxime dicitur proprium, est proprium eius, quod maxime est subiectum; neque illud, quod minime dicitur proprium, est proprium eius, quod minime est subiectum.* E. g., ex eo quod *studiosum* esse non videtur *hominis* proprium, consequitur *magis studiosum esse* ad *magis hominis* proprium non pertinere [1]. Oppositis rationibus hae propositiones ad comprobandum proprium valent. Puta, si eius, quod *magis sentit*, *magis vivere* conceditur proprium, etiam eius, quod *simpliciter sentit*, *simpliciter vivere* proprium esse inferendum est; atque cum *ignis* proprium sit *sursum ferri secundum naturam*, *magis ignis magis sursum ferri* proprium esse debet. « In omnibus, inquit s. Thomas, quae per se « dicuntur, sequitur magis ad magis, si simpliciter se- « quatur ad simpliciter, sicut calidum calefacit, magis « calidum magis calefacit, et maxime calidum maxime « calefacit [2] ».

Altera pars loci *a magis*, et *minus* est in qua duo attributa cum duobus subiectis conferuntur. Iam ad refellendum proprium hoc pacto disputatur: *Si quod magis videtur alicuius proprium esse, reipsa non est, ne*

---

[1]) Cf Alb. M., *loc. cit.*

[2]) *Contr. Gent.*, lib. III, c. 27. Monet autem sanctus Doctor in iis, quae sunt *per accidens*, nullam argumentandi vim illi axiomati inesse. « In his, ait, quae sunt per accidens, non est necessarium quod si « simpliciter sequitur ad simpliciter, et magis sequatur ad magis; sed « solum in his, quae sunt per se: non enim sequitur, si album est mu- « sicum, quod magis album sit magis musicum; sequitur autem, si al- « bum est disgregativum visus, quod magis album sit magis disgre- « gativum visus »; *Ibid.*, c. 13. Cf *Qq. dispp.*, *De Virt.*, q. II, a. 11 ad 5.

illud quidem, quod minus videbatur esse proprium, alterius proprium dicendum est. E. g., *sentire* magis videtur proprium animalis, quam *scire* hominis. Atqui sentire non est proprium animalis, est enim eius differentia. Ergo multo minus scire est proprium hominis. E contrario, ad confirmandum proprium disputatur *a minori ad maius*; nam si quod minus videtur proprium alicuius esse, re ipsa proprium est eius, certe illud, quod alterius proprium magis esse videbatur, proprium eius dicendum est. Cuius exemplum B. Albertus ita effert: « Quoniam minus videtur esse proprium homi- « nis esse mansuetum natura, quam vivere animalis, « et mansuetum natura est proprium hominis, sequitur « quod etiam vivere sit proprium animalis [1] ».

A tertia parte eiusdem loci, in qua nempe unum attributum cum duobus subiectis comparatur, duo sumuntur axiomata ad refellendum proprium opportuna. Prius est *a maiori ad minus*, scilicet: *Si quod attributum videatur magis illius esse proprium, quam huius; non sit autem illius, multo minus erit huius.* Posterius: *Si est proprium illius, omnino non est huius.* Puta, ex eo, quod *colore infici* magis videtur esse *superficiei*, quam *corporis* proprium; si superficiei non esset proprium, consequeretur illud multo minus esse proprium corporis. Rursus; si est superficiei proprium, omnino non est corporis, siquidem idem plurium proprium esse non potest. Quae causa etiam est, cur ad confirmandum proprium e contrario argumentari non liceat, uti, ex eo, quod *colore infici* est superficiei proprium, inferendum non est idem proprium etiam corporis esse; nam, ut ad hanc rem Alb. M. monet, « impossibile est unum « plurium esse proprium, et ideo si construitur unius « esse proprium, non potest per magis, et minus con- « strui alterius esse proprium [2] ».

A quarta parte eiusdem loci, in qua duo propria cum

---

[1]) *Loc. cit.* — [2]) *Ibid.*

uno subiecto comparantur, haec propositio peti potest: *Si illud, quod magis videtur inter duo propria esse proprium alicuius subiecti, et non est proprium eiusdem, sequitur neque proprium eius esse id, quod minus videtur proprium.* E. g., magis videtur esse proprium animalis *sentire*, quam *partibile esse*. Atqui animalis non est proprium *sentire*. Ergo *partibile* esse non est eius proprium. Ad confirmandum autem proprium *a minori* ducendum est argumentum, nempe ita ut si id, quod minus proprium alicuius esse videtur, eius proprium sit, etiam illud, quod magis proprium videtur, re ipsa proprium eius esse deducatur.

Superest locus, qui *a simili* sumitur. Iam hic locus cum illo, qui *ab analogia* dicitur, confundendus non est; nam in loco *ab analogia* proprium refellitur, aut confirmatur, quod aliqua similem proportionem secum invicem, aut ad aliquid habent; quin inspiciatur realis eorum existentia, sive inhaerentia, οὐκ ἐπὶ τοῦ ὑπαρχειν τιθεωρούμενον. In loco autem, de quo nunc agimus, comparatio, ex qua argumenta ad proprium comprobandum, vel refellendum hauriuntur, circa realem existentiam eorum, quae similiter inesse dicuntur, versatur, ἐπὶ του ὑπαρχειν [1].

Tres autem partes locus *a simili* complectitur. Quarum prima est, in qua duo attributa cum duobus subiectis conferuntur, atque hanc propositionem nobis suppeditat: *Si duo attributa duobus subiectis similiter insunt, atque eorum unum non est proprium subiecti, cui similiter inest, ne alterum quidem uti proprium al-*

---

[1]) « Differt, ait Albertus, hoc quod est secundum proportionem ex « similiter se habentibus ad invicem, vel ad aliquod, ab eo loco, qui « ex his, quae similiter insunt eidem, vel diversis, in hoc, quod hoc « quidem, quod est ex similiter se habentibus secundum proportionem « ex similitudine habitudinum sumitur, non in eo quod similiter aliud « inest tantum considerandum est. Id autem, quod est ex similibus, « ex eo tantum quod inest similiter alicui vel aliquibus comparatur, « si non per similem comparationem accipiatur »; *loc. cit.*, c. 4.

terius subiecti, cui similiter inest, assignari potest. Quare hac ratione argumentari licet: *Potentiae concupiscibili*, et *potentiae rationali* similiter insunt *concupiscere*, et *ratiocinari*. Atqui non est proprium potentiae concupiscibilis *concupiscere*. Ergo ne potentiae quidem rationalis proprium est *ratiocinari*.

In altera parte duo attributa cum uno subiecto comparantur, atque exinde argumentum ita instituitur: Si duo attributa eidem subiecto similiter insunt, atque eorum unum non est illius subiecti proprium, ne alterum quidem attributum eiusdem subiecti esse proprium consequitur. Puta, videre, et audire similiter se habent ad hominem. Atqui videre non est hominis proprium. Ergo neque audire proprium eius est.

Denique ex tertia parte, in qua unum attributum ad duo subiecta, quibus similiter inest, refertur, arguitur hac ratione, quod si illud unius ex iis subiectis non sit proprium, ne alterius quidem esse proprium conficiatur. Cuius argumentationis exemplum hoc est: *Vrere* similiter se habet ad *flammam*, et ad *carbonem*. Atqui urere non est proprium flammae; ergo neque carbonis proprium est. Item, si attributum illud sit unius ex iis subiectis proprium, alterius proprium non esse inferendum etiam est, alioquin idem plurium subiectorum proprium adstrueretur [1].

Iam ob eamdem rationem, quod nempe idem attributum tamquam proprium plurium subiectorum assignari nequit, liquet ex hac tertia parte argumentum ad confirmandum proprium depromi non posse. Prima autem, et altera pars etiam ad comprobandum proprium adhiberi possunt. Sane duobus hisce modis rite argumentamur: 1° *Ridere posse* similiter inest homini, ac *posse hinnire* inest equo; atqui *ridere posse* est proprium hominis; ergo *hinnire posse* est proprium equi. 2° Similiter insunt homini *posse concupiscere*, et *posse*

[1]) Cf Alb. M., *loc. cit.*

ratiocinari; atqui primum est proprium hominis ; ergo et alterum.

ARTICVLVS DECIMVS SEXTVS

Loci, qui ad problema de definitione pertinent, explicantur

Illi nunc loci explicandi supersunt, qui ad *definitionem* spectant, quique ideo postrema hac parte tractandi, quia accurata illorum notitia comparari non poterat , nisi prius quae ad cetera quaestionum genera pertinent, cognosceremus [1]. Vt autem circa id , in quo quaestio dialectica *de definitione* versari debeat, probe intelligatur, mente reputandum est definitionem triplici ratione posse a nobis inspici, hoc est, vel prout illa rei essentiam complectitur , vel prout tamquam medius terminus in demonstratione adhibetur, vel prout modum specialem significat , quo praedicatum subiecto inest. Iam non nisi Metaphysicus definitionem primo modo considerare potest: altero autem modo eius tractatio ad syllogismum demonstrativum , de quo in sequenti capite disseremus , pertinet. Quocirca de definitione tertio modo inspecta sermo in dialectica instituitur , ut nempe communibus argumentis investigari possit , utrum , necne aliquod praedicatum subiecto tamquam eius definitio inhaereat [2].

Qua in re nos Aristotelem secuti primum de locis, e quibus ad problema *de definitione* refellendum, postea

---

[1]) Cf etiam quae diximus p. 388.

[2]) « De diffinitione,ait ad hanc rem B.Alb.M.,docere qualiter est « tota rei essentia, relinquendum docere primo Philosopho.Qualiter « autem medium demonstrationis, et causa passionis de subiecto,in « doctrina posteriorum determinatum est. Qualiter communis praedicati est intentio,secundum quod communiter ad subiectum referri habet, per communia et probabilia habet determinari, hanc doctrinam habet facere dialecticus »; *Op. cit.*, lib. VI, tract. I, c. 1.

de iis, e quibus ad ipsum confirmandum opportuna argumenta ducuntur, disseremus.

Ad prioris generis locos quod attinet, in primis monet Aristoteles [1] quinque vitia prae oculis habenda esse, quae sicuti in definitione summopere cavere debemus, ita si definitionem ab illo, quocum disputamus, traditam uni alicui eorum obnoxiam esse probaverimus, eam funditus evertemus. Horum primum occurrit, si definitio non omnibus, quae sub re definita continentur, conveniat. Alterum, si aut genus in definitione desit, aut non proprium, et accommodatum adhibeatur, aut denique si non suo, et proprio loco, hoc est primo collocetur; siquidem primo loco ponendum est genus, deinde differentiae, quibus genus contrahitur, illi sunt adiungendae [2]. Tertium, si definitio non sit rei definitae propria, nempe huiusmodi, ut cum re definita omnino reciprocari, et converti non possit [3]. Quartum, si vim, et naturam, hoc est quidditatem rei definitae non explicet; idem enim est naturam rei non explicare, ac rem non definire [4]. Quintum denique, si haud recte definitio exprimatur, nempe si aut obscura sit, aut aliquid redundans complectatur, et superfluum. Quocirca quinque ista vitia sunt veluti quinque generales loci, quibus proposita definitio reprehendi potest.

Iam vero, ex hisce definitionis vitiis tria priora ex iis,

---

[1]) *Op. cit.*, lib. VI, c. 1. Cf Alb. M., loc. cit.

[2]) « Genus, inquit s. Thomas, significat totum ut non designatum, « et differentia ut designans; et diffinitio ut designatum »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXV, q. I, a. 1 ad 2.

[3]) Adeo verum est definitionem cum re definita reciprocam esse oportere, ut, aiente eodem Aquinate, « secundum id, quod significatur per diffinitionem, ... diffinitio, et diffinitum sint idem »; *ibid.*

[4]) Hinc idem s. Thomas advertit tum aliquam rem definiri, *cum concipitur forma quaedam, quae est similitudo rei secundum totam perfectionem ipsius* (*Qq. dispp., De Ver.*, q. II, a. 1 c.), sive, *quando concipitur aliqua forma de ipsa re, quae per omnia ipsi rei respondet*; ibid. ad 9.

quae in praecedentibus articulis excussa nobis sunt, explicantur. Nam an definitio conveniat omnibus, quae sub re definita continentur, intelligi potest ex locis *accidentis*; siquidem in iis non solum utrum attributum subiecto conveniat, quaeritur, verum etiam omnino an ei conveniat [1]. Vtrum autem, necne aptum, et accommodatum genus in definitione adhibeatur, ex locis *generis* dignoscitur. Denique an definitio propria sit, et cum eo, quod definitur, convertatur, ex locis *proprii* deducitur. Itaque duo posteriora dumtaxat tractanda sunt, nempe utrum definiatur res, nec ne, et an recte definiatur. In quorum explicatione initium, docente Aristotele [2], a posteriori sumendum est, quippe quia facilius ostenditur rem non esse recte definitam, quam omnino non esse definitam.

Duo, ut paulo ante advertimus, sunt, ob quae non recte traditur definitio. Vnum est, si obscuris, et ignotis verbis enuncietur; etenim, aiente Alberto M., « innotescendi causa redditur diffinitio; et quando non facit « innotescere diffinitum, caret bonitate finis sui, propter « quod, et ad quem assignatur [3] ». Alterum, si quid redundans, sive *superfluum*, *quod non est in esse definiti* in ea ponatur [4]. Vtrumque vero varium est, et multiplex; quapropter variis, multisque locis utrumque probari potest, et definitio ob ea reprehendi.

Iam primus locus, ex quo obscuritas definitionis probatur, ex *homonymia* sumitur; nam « aequivocationem,

---

[1]) Cf quae diximus p. 349, 350. — [2]) Loc. cit.

[3]) *Loc.cit.*, c. 2 Idem Beatus Doctor advertit quaedam esse intelligibilia, quae « propter sui excellentiam perfecto intellectu non capiun- « tur, ut perfecta' interpretatione explanentur, ut Causa Prima, a « qua deficiunt linguae propter excellentiam Esse Ipsius; quaedam « autem propter sui imperfectionem non perfecte intelliguntur, nec « perfecte explanantur, ut materia prima, et motus, et tempus ». Subdit vero: « Cum in his ponitur explanatio, quae fieri potest, pla- « nissima interpretatione utendum est »; Ibid.

[4]) *Ibid.*

« ut s. Thomas inquit, facit diversa significatio [1] »; et ideo, si aut in definitione, aut in re definita ambigua vox adhibetur, suspensus manet animus, cum non satis appareat, vel quid significent verba in definitione posita, vel quid sit id, quod definitur. Qua in re Aristoteles modum tradit, quo impugnari potest definitio, in qua eius, quod definitur, ambiguitas latet. Docet enim disputantem definitioni huiusmodi ab adversario propositae occurrere posse vel ita ut illam non omnia, quae in notione definienda continentur, sed non nisi partem complecti dicat, quia notionis ambiguae una definitio esse omnino non potest: vel ita ut, patefacta ambiguitate, demonstret, si possit, definitionem propositam in nullam notionis ambiguae significationem quadrare [2].

Alter locus a *metaphora*, quae est, ut s. Augustinus inquit, *de re propria ad rem non propriam verbi alicuius usurpata translatio* [3], petitur, ita ut vitiosa ostendatur definitio, quae per metaphoram traditur. Cuius rei duplex redditur ratio. Prior est, quia « nihil prohibet, ut s. Thomas inquit, in his quae dicuntur methaphorice, idem diversis attribui secundum diversas similitudines [4] »; quapropter, aiente Alb. M., « quod secundum translationem dicitur, incertum esse dicitur, quia nescitur, qua similitudine transferatur; et ideo contingit calumniari eum, qui secundum translationem dicit diffiniendo aliquid, velut improprie dando diffinitionem [5] ». Posterior est, quod inde sequeretur idem sub duobus generibus non subalternis contineri, id quod fieri non potest, ut si *temperantia* definiretur per *concentum*, eiusdem duo essent genera, concentus scilicet, et virtus, quorum unum sub altero non continetur.

---

[1]) *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. IX, a. 4 ad 6.
[2]) *Ibid.*, c. 2.
[3]) *Contr. mend. ad Consentium*, c. 10, n. 24.
[4]) 1ª 2ae, q. XXXIII, a. 1 ad 1.
[5]) *Loc. cit.*, c. 2.

Quoniam vero verba inusitata, et obsoleta obscuritatem pariunt, tertius locus ad definitionem redarguendam ab ipsis disputanti suppeditat. Hanc ob causam peccasse Platonem ostenditur, qui *oculum ciliumbrem* ὀφρυδόκιον definivit [1], propterea quod a cilio obumbratur. Item Cicero *testudinis* definitionem a veteribus traditam reprehendit: *Terrigenam*, *herbigradam*, *domiportam*, *sanguine cassam* [2].

At ἐκ παραχρήσιων ex verborum improprietate, et abusione, qua nempe haec significatione diversa ab illa, ad quam instituta sunt, adhibentur, maior, quam ex homonymia, aut metaphora, aut inusitatis, et obsoletis verbis obscuritas in definitione gignitur. E. g., ex hoc loco definitio *legis* refellitur, qua *mensura*, vel *imago eorum, qua naturaliter iusta fiunt*, esse dicitur [3].

---

[1]) Cf Arist., loc. cit.

[2]) *De Divin.*, lib. II, c. 64.

[3]) Circa hoc exemplum praestat audire Albertum: « Sunt, ait, huiusmodi peiora, quam per translationem dicta; quia translative dicta ad minus per similitudinem de diffinito certificant; abusive autem dicta intellectum penitus obscurant. Vnde, translatione facta, facit terminus translative dictus, vel positus quodammodo notum quod significatum est per similitudinem translationis: omnes enim transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt, et per illam similitudinem aliquo modo declaratur diffinitum. Nomen autem, quod est huius et abusive sumtum, nihil facit notum; et hoc ideo est, quia nec similitudo inest talibus nominibus abusivis, quod mensura, vel imago lex dicatur, nec etiam in tali sermone solet lex dici, sed potius a ligando, eo quod ad poenam obligat lex transgredientem; propter quod si proprie intendendo loqui, mensuram, vel imaginem iustorum esse dixit, mentitur; imago enim proprie dicta est, cuius generatio per artem, vel per naturam, vel per immutationem facta est eius cuius est imago. Imago enim, ut dicit Hilarius, est rei ad rem coaequandae similitudo indifferens. Haec autem sive talis generatio figurae non inest legi. Si autem non proprie loqui intendit, palam est, quod obscure dixit, sive diffinitionem per obscura posuit; et peius quoad obscuritatem dixit quolibet illorum modorum qui secundum translationem dicuntur; et ista per similitudinem aliud certificant, illa vero nihil certificant »; *Ibid.*

Quinti loci sententia haec est: *Si unius contrarii reddita definitione, non sit alterius contrarii definitio statim manifesta, reiicienda est prioris contrarii definitio.* Et sane, contrariae eidem subiiciuntur generi, ex cuius per differentias partitione contrariae proveniunt species; quare si ex iis unum perspicue definiatur, ex definitione huius definitio alterius, quod ex eodem genere, et ex differentia contraria constituitur, simul cognoscenda est; ut si *candor* definiatur color aspectum dissipans, cognoscitur simul *atrorem* esse colorem, qui aspectum congregat; et ideo eam definitionem, quae definitionem contrarii non patefacit, obscuritate laborare arguendum est [1].

Postremus locus ex eo hauritur, quod definitio ita instituitur, ut explanatione indigeat id, quod definitur. Quemadmodum, perbelle ait ad hanc rem Aristoteles [2], veterum, et rudium pictorum opera huiusmodi erant, ut ex illis, nisi quis superscripsisset, cognosci non poterat id, quod iis repraesentabatur; ita non intelliguntur ea, quorum sunt hae definitiones, nisi quis aperte id indicaverit.

A locis, quibus definitionem rectam non esse ex obscuritate deducitur, ad eos progredimur, quibus idem ex eo probatur, quod aliquid supervacaneum in definitione ponitur. Ex iis, praetermissis duobus postremis, qui a *negatione*, sive eiusdem verbi iteratione trahuntur, tres priores recensemus. Quorum primus ita enunciari potest: *Redundat in definitione, si quid in ea adiicitur, quod vel de omnibus generibus praedicatur, vel de iis omnibus, quae in eodem genere, ac res definienda, continentur.* Hic quidem locus ab eo vim suam sumit, quod definitionis est definitum separare tum ab aliis generibus, tum ab aliis speciebus, quae eidem, ac illud, generi subiiciuntur. At vero, neque illud, quod omnibus generibus commune est, rem definitam ab aliis ge-

---

[1]) Vid. Alb. M., *ibid.*
[2]) *Op. cit.*, lib. VI, c. 2.

neribus , neque illud , quod de omnibus , quae eodem genere continentur , praedicatur, ipsam a ceteris speciebus discriminat. E. g. , si definiatur *homo* , animal unum, ἓν ζῶον, ratione praeditum, illud, quod *unum* sit , cum de rebus omnibus dicatur , in definitione hominis redundat. Item , si definiatur *homo* , animal sensu praeditum , rationis particeps, illud *sensu praeditum* , cum a nullo animali hominem separet , in definitione hominis est supervacaneum [1].

Secundus locus est: *Perperam assignatur definitio, si licet aliquid ab ea subtrahatur, oratio , quae reliqua est, cum re definita convertatur, eiusque essentiam manifeste declaret.* Ita si definiatur homo , *animal rationis particeps*, *natum ad disciplinas*, illud, *natum ad disciplinas*, frustra adiicitur : nam, eo detracto, reliqua oratio naturam hominis explicat [2].

Perspicuus etiam cuique est tertius locus , quo definitionis problema reiiciendum esse docetur, quia aliquid in definitione adiicitur , quod non de omnibus praedicari potest , quae eidem , ac res definita , speciei subiiciuntur. Qui hoc modo rem definit , « peius, uti post Albertum [3], Lovanienses aiunt, « definit, quam is, qui « utitur eo, quod simpliciter omnibus competit. Nam, « hoc communi, omnibusque competenti ablato, si quod « restat sit definitio convertibilis, erit et totum, vel ad- « dito eo communi, cum definito convertibile. Nam, u- « niversaliter ad proprium , atque convertibile quolibet « addito, quod universaliter de definito verificetur , to- « tum convertibile efficitur, ut, si animal rationale cum « homine recurrat , convertitur etiam cum homine ens

[1]) Hinc, ut apud s. Anselmum est, « talem oportet dare defini- « tionem, quae nec plus, nec minus illa (re definita) contineat »; *De lib. arb.* , c. 1.

[2]) Quoad exempla, quae ad hunc locum illustrandum affert Aristoteles, legere iuvat Alb. M., *ibid.* c. 3, et Lovanienses, *Op. cit.*, *Comm. in lib. VI Topic.*, c. 3, p. 470-471, ed. cit.

[3]) Loc. cit.

« animal rationale. Servatur itaque convertibilitas ab eo, « qui in definitione eo utitur, quod in omnia quadrat; « non autem ab eo, qui in definitione particulam collo- « cat, quae non omnibus sub definito contentis convenit, « cuiusmodi est haec hominis definitio, animal gressi- « bile bipes quadricubitum, vel animal rationale album [1] ».

Hactenus de locis, quibus definitionem, vel quia rem dilucide non explicat, vel quia plura, quam par est, verba complectitur, perperam assignari coniicitur. Ad illorum recensionem accedimus, ex quibus definitio eo quod rei naturam omnino non significat, ac proinde, ut cum Alberto [2] loquamur, *secundum sui substantiam* refellitur.

In primis an definitio per priora, et notiora tradatur, inspiciendum est; inde enim haec, tamquam locus generalis, propositio sumitur: *Falsa est definitio, nisi ea, ex quibus conficitur, re definita priora sint, et notiora.* Et iure, nam « diffinitio, aiente Aquinate [3], est. . . du- « ctivum in cognitionem diffiniti »; nihil autem nisi ex prioribus, et notioribus perspici, et cognosci potest. Ad cuius loci intelligentiam sciendum est propriam, et veram definitionem [4] per ea priora, et notiora conficiendam esse, quae tum *nobis*, tum *natura sua* [5], non vero per ea, quae dumtaxat nobis, vel alii cuicumque, et non *simpliciter*, sive *natura sua* sunt *priora*, et *notiora* [6]. Re quidem vera, propria, et germana definitio,

---

[1]) *Loc. cit.* p. 471.

[2]) *Ibid.*, tract. II, c. 1.

[3]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXV, q. I, a. 1 ad 2.

[4]) *Propriam, et veram* inquimus; nam concedit Aristoteles (*loc. cit.* c. 4) interdum rei *descriptionem* per ea, quae dumtaxat *nobis* notiora, sunt fieri oportere propter rudiores, ad quorum captum subinde demittenda est oratio.

[5]) Hoc innuisse videtur Aquinas, ubi ait: « Vnumquodque . . . . « diffinitur secundum quod convenit ei primo, et per se »; 3, q. LX, a. 4 ad 1.

[6]) Hinc, monente Alberto, locus iste « non tantum interimit se-

cum essentiam, sive speciem rei designare debeat [1], ex genere, et differentia, quae *partes speciei* sunt [2], conficienda est [3]. Ast genus, et differentia et *nobis*, et *natura sua* sunt notiora, tum quia simpliciora, quam tota species sunt, tum quia potest quis cognoscere genus in se, et differentiam in se, quin speciem, quae ex iis conflatur, cognoscat; atque is, qui alicuius rei speciem ignorat, ad eius notitiam, non nisi genus, et differentiam cognoscat, pervenire potest. Exinde vides definitionem per ea, quae dumtaxat nobis, et non *natura sua* sunt notiora, tradere, idem est, ac genus, et differentiam non assignare, ac proinde essentiam rei definitae non manifestare [4]. Ad haec, si res quaeque ex iis, quae dumtaxat *nobis* notiora sunt, definiretur, unius, et eiusdem rei multae essent definitiones, quia non omnibus, immo neque nobis ipsis semper eadem aeque nota sunt. At vero eiusdem rei plures esse posse definitiones abnorme est; nam uti eiusdem rei una est, et eadem essentia, ita et una definitio [5].

Iam iste, quem explicavimus, locus plures sub se com-

« cundum bene esse diffinitionem, sed etiam secundum esse; eo quod « notius, et prius accipitur secundum rem, non quoad nos tantum: si « enim esset quoad nos tantum, non interimeret, nisi bonitatem diffi- » nitionis; sicut et obscurum, quod est quoad nos notius, est appo- « situm, et tantum bonitatem diffinitionis interimit »; *Loc. cit.*

[1]) « Ratio, quam significat nomen, est diffinitio »; I, q. LXXXV, a. 2 ad 3.

[2]) « Genus, et differentia partes quodammodo speciei (*dicuntur*) »; *Qq. dispp.*, q. un. *De An.*, a. 10 c. Et alibi: « Partes « essentiae sunt naturaliter quidem forma, et materia; logice autem « est genus, et differentia »; 3, q. XC, a. 2 c.

[3]) Cf vol. I, c. I, art. 3, p. 283.

[4]) Cf Alb. M., loc. cit.

[5]) Ex hoc effato, *unius rei unica est definitio*, haud inhibetur, quominus unica unius rei definitio diversimode, nempe, quemadmodum in capite sequenti videbimus, per diversas causas conficiatur. « Si, ad rem s. Thomas, inveniatur aliqua diffinitio, quae diceret es- « se rei secundum comparationem ad omnes causas ipsius, esset per- « fectissima, et una tantum »; *In lib. I Sent.*, Dist. I, Expos. text.

plectitur partes, prout nempe pluribus rationibus definitionem ex prioribus, et notioribus non constare probari potest. Quapropter huic primo loco, veluti generali, alii, tamquam speciales, loci, subiiciuntur. Hi *a motu et quiete*; *a contrario*; *ab eodem*; *ab iis, quae sibi mutuo respondent inter dividendum*, seu eumdem divisionis ordinem tenent; denique *ab inferiori* sumuntur.

Porro, 1° id, quod quiescit, nempe quod stabile, et firmum est, notius est instabili, seu quod movetur; siquidem, aiente Aquinate, « omne, quod quocumque modo mutatur, est aliquo modo in potentia [1] »; iam « non « cognoscitur aliquid secundum quod est in potentia, sed « secundum quod est actu [2] ». Quocirca si quod stabile, et firmum est, definiatur per instabile, ipsum per ignotius definiri dicendum est. 2° Contraria sunt simul natura; « habent enim unum genus, et contrariis, et coaequae« vis differentiis constituuntur [3] »; et ideo si contrarium per contrarium definiatur, non definitur per priora [4]. 3° Cum idem seipso non sit natura prius, is, qui in definiendo aperte, aut latenter *eodem* utitur, rem non definit. Puta si quis definiat solem esse astrum, quod die lucet; nam si *diei* loco definitionem ipsius constitueris, quae est motus solis super terram, *sole*, cuius reddebatur de-

---

Atque *ibid.* (lib. II, Dist. XXVII, q. I, a. 2 ad 9): « Si accipiatur « definitio rei, quae complectitur totum esse rei secundum quod ex « omnibus causis constituitur, quae est perfecta diffinitio, tunc unius « rei non potest esse, nisi una diffinitio ». Ratio est, quia « perfecta « cognitio uniuscuiusque rei colligitur ex omnibus causis eius » ; 1ª 2ae, q. LV, a. 4 c.

[1]) I, q. IX, a. 1 c.—[2]) Ibid. q. LXXXIV, a. 2 c.

[3]) Alb. M., *ibid.*, c. 2.

[4]) Monet hic post Aristotelem Albertus M. relata, quae *secundum esse* dicuntur (cf vol. I, c. I, art. 12, p. 593), definiri non posse nisi sit « unius ratio in ratione alterius, ut duplum sine dimidio « non diffinitur »; siquidem cum in ordine ad aliud ipsa tota consistant, « non est possibile alterum sine altero per diffinitionem co« gnoscere; eo quod necessarium est in alterius diffinitione sumi « alterum correlativum »; *ibid.*, c. 2.

finitio. uteris. 4° Eorum, quae sibi mutuo inter dividendum opponuntur, ut *impar*, et *par*, unum non est altero prius, sed ipsa sunt simul natura; quare si unum eorum definiatur per alterum, puta si quis *imparem* numerum definiat, qui *parem uno vincit*, non definitur per prius. 5° Denique idem de eo dicendum est, quod per inferius definitur. Nam inferius superiori suo est posterius; tum superiora in inferioribus potestate insunt; et ideo cum haec per illa definiuntur, quodammodo per seipsa definiri censentur. E. g., si definias numerum parem esse qui bifariam dividitur, definis superius per inferius, numerum parem scilicet per binarium, qui sub numero pari continetur, ac proinde idem per idem, quia bifariam dividi nil est aliud, quam in binas partes aequas dividi[1].

Hactenus de illo loco generali, quo definitionem ex prioribus, et notioribus non constare probatur. In praesentia illos locos, qui ab ipsis partibus definitionis, quae sunt genus, et differentia, sumuntur, explicemus oportet.

Iam si *genus* spectetur, in primis videndum est, num genus rei definiendae omissum sit; cum enim per genus quid res sit explicetur, ex eo, quod ipsum in definitione non assignatur, iure haec reprehenditur. Quocirca vitiosa est definitio corporis, *id, quod habet tres dimensiones*, aut hominis, *id, quod numerare novit*; nam in illa non ponitur magnitudo, genus corporis; neque in hac animal, genus hominis.

Deinde aliud argumentum ad refellendam definitionem disputanti praesto est ex eo, quod aliquid in illa praetermittitur, quod ad definitum secundum genus suum pertinet. Hunc tamen locum ex parte contrahit Aristoteles, docens illum non in omnibus valere, nisi quoties definitum per se, et primo ad multa pertineat[2]. Etenim si unum est per se, alterum per accidens, quod in definito continetur, hanc necesse est eius, quod per

[1]) Cf Alb. M., loc. cit — [2]) *Ibid.*, c. 5.

accidens consideratur, in definitione mentionem fieri. Audiantur Lovanienses, qui locum istum ita explicant: « Si definitum plura respiciat, unum per se, alterum autem per accidens, repellenda erit definitio, quae id, quod per accidens est, continet, aut utrumque, et id quod est per se, et id, quod est per accidens. V. g., grammatica destinatur per se et ad scribendum quod profertur, et ad legendum. Et proinde non erit audiendus qui grammaticam definit esse scientiam scribendi, quod loquitur, sed is, qui grammaticam dicit esse scientiam scribendi, et legendi quod pronunciatur. Alioqui eiusdem rei plures venirent admittendae definitiones. Insuper grammatica per se spectat ad id, quod congrue scribendum est, et legendum; per accidens autem id, quod incongruum est, quemadmodum per se medicina respicit sanitatem, et per accidens aegritudinem, nempe gratia sanitatis aut servandae, aut efficiendae. Errabit ergo qui in horum definitionibus aut tantum eo utitur, quod per accidens est, aut utrisque, et eo, quod est per se, et eo, quod est per accidens [1] ». Idem dicendum est, si id, quod definiendum suscipitur, *melius*, et *peius* respiciat; hoc est, quoties id, quod definitur, ad plura, quorum alterum praestantius est, alterum deterius, porrigitur, nisi per praestantius definiatur, vitiosa censetur esse definitio, velut cum medicina per morbum, non per valetudinem definitur.

Nulla autem declaratione locus ille eget, quo definitionem reiiciendam esse arguitur, si proprium, et accommodatum genus in ea non adhibeatur. Neque minus perspicua est veritas postremi loci, illius nempe, quo omnem definitionem vitiosam esse probatur, in qua remotum, non vero proximum assignatur genus; nam genus remotum ea omnia, quae generis inferioris notione continentur, non complectitur. Ita, iustitia non recte definietur per *habitum*, cum proximum eius genus sit *virtus*. Quod si

[1]) *Op. cit.*, p. 472. Cf Alb. M., *ibid.*, c. 3.

res per remotum genus definitur, atque differentiae omnes adiunguntur, quibus illud ad genus proximum contrahitur, certe nihil in definitione praetermittitur: velut si *hominem* definias, *corpus animatum*, *sentiens*, *rationis particeps*, proximum genus non omittes; nam idem prorsus est corpus animatum sentiens, quod *animal*. At vero, quemadmodum Albertus monet, « assignans diffinitionem « per genus remotum, et contrahens per differentias, li- « cet non interimat diffinitionem secundum substantiam, « interimit cum bonitate diffinitionis, quia differentiam « non posuit ut debet [1] »; nam in huiusmodi definitionibus aliqua, quae spectant ad genus proximum, differentiam ingrediuntur. Ita, si triangulum rectangulum definiatur per figuram planam tribus lineis circumscriptam, cuius unus angulus est rectus, non apparet, utrum numerus laterum ternarius spectet ad genus, an ad differentiam.

Quod si *differentiae*, quae est altera definitionis pars, ratio habeatur, ex permultis locis, qui inde sumi queunt, unum, et alterum recensemus.

In primis *differentia opposita* inspicienda est; inde enim triplici ratione propriam, et veram differentiam non assignari in definitione, et ideo hanc mancam esse probari potest. Etenim primo, vera et propria differentia, quae generi addita speciem constituat, ea esse nequit, cui opposita differentia haud respondet; siquidem, uti iam a nobis demonstratum est, genus in species suas non nisi per pugnantes, et contrarias differentias dividitur [2]. Secundo, quoniam verae differentiae genus dividentes huiusmodi esse debent, ut de eodem genere disiunctive dici possint, puta animal aut rationis particeps, aut rationis expers est; liquet differentiam, quae in definitione generi additur, uti falsam arguendam esse ex eo, quod alia, quae ipsi opponitur, differentia, ad illud genus non pertinet. Tertio, si differentia opposita

---

[1]) *Loc. cit.*

[2]) Cf vol. I, c. I, art. 3, p. 274-76 operis huius.

pertinet quidem ad illud genus, sed non est differentia specifica, seu addita generi non constituit speciem, ne differentia quidem, quae in definitione adstruitur, est vere differentia speciem constituens [1].

Alius locus a *negatione* hauritur, atque significat definitionem ex eo reiiciendam esse, quod differentia negans in ea adhibetur. Inde, e. g., vitiosa demonstratur definitio lineae, qua ipsa dicitur esse longitudo sine latitudine. Iam huius loci ratio ex absurdo petenda est, quod consequitur, si differentia per negationem assignatur, nempe quod genus speciei particeps fieret. Et sane, quoniam de omni eo, quod est, affirmatio, vel negatio vera est, de longitudine, quae in praefata definitione tanquam genus lineae ponitur, alterum horum verum esse debet, hoc est, aut esse cum latitudine, aut esse sine latitudine; non autem cum latitudine; ergo longitudo, quae est genus lineae, est longitudo sine latitudine. Iamvero, de quo praedicatur definitio, praedicatur et definitum; quocirca, si longitudo sine latitudine esset lineae definitio, linea praedicaretur de longitudine, quae est genus lineae, ac proinde genus particeps speciei foret [2]. At, « hoc, subdit Albertus, non generaliter verum « est; quia fortasse in quibusdam quorumdam diffinitio- « nibus necessarium est uti negatione in assignatione diffe- « rentiae, ut in privationum diffinitionibus; nam caecum « per diffinitionem est, quod non habet visum, quando « per naturam natum est habere [3] ».

Satis nobis est haec circa locos, quibus problema definitionis refellitur, praelibasse. Antequam ad locos, quibus definitio complecti, et confirmari potest, progrediamur, monendum in primis est locos, quibus probatur definitum, et definitionem non esse idem, ad refutandam definitionem

---

[1]) Cf Alb. M., *ibid.*, c. 4; — [2]) Cf Alb. M., *loc. cit.*

[3]) Loc. cit. Huiusmodi autem definitiones, monente Aquinate, *quasi exponunt nominis significationem, non essentiam indicant, quam nullam habet* »; *In lib. II Sent.* Dist. XXXV, q. I, a. 2 ad 1.

satis esse [1]; at locos, quibus probatur quippiam idem esse cum alio, ad definitionem confirmandam non sufficere. Et sane, definitio certe vitiosa censenda est, si idem non sit, quod definitum; sed non omne, quod cum definito idem est, continuo definitio eius erit; nam ut legitima sit definitio, requiruntur ea, quae de definiendi via, ac ratione docentur, nempe ut rei naturam definitio explicet, ut ex prioribus, et notioribus constet, et eius generis alia.

Iam ex locis, qui ad confirmandum dialecticis argumentis problema *de definitione*, nempe aliquid tamquam definitionem subiecto inesse, propius pertinent [2], praecipuus ille est, qui *a contrariis* promitur. Porro *a contrariis* tum totam definitionem veram esse, tum singulas eius partes, genus nempe, et differentiam, recte constitutas esse probari potest. Sane toti definitioni comprobandae locus opportunus ex eo sumitur, quod contrariae contrariorum definitiones sint oportet, ita ut si haec huius definitio est, et contraria contrarii, de quo agitur, definitio esse debeat.

Quod autem spectat ad definitionis partes, in primis sciendum est contraria aut in eodem, aut in contrariis generibus contineri; siquidem *contraria naturalia*, *in quibus contrarietas est extremi ad extremum*, ad idem genus, *contraria* autem *moralia*, in quibus *contrarietas sumitur medii ad extremum*, ad contraria genera referuntur [3]. Exinde hic locus efficitur, quo genus recte assignatum

---

[1]) Hinc quaestioni definitionis quaestio *de eodem, et altero* annectitur. Hos locos *de determinatione eiusdem et diversi* fuse persequitur Albertus M., *Op. cit.*, lib. VII, c. 1-3.

[2]) Diximus *propius* pertinent, quia loci ad alias quaestiones solvendas maxime utiles huic problemati sunt, nam, ut Albertus inquit, « omnia alia praedicata elementabilia sunt ad praedicatum « diffinitionis » (*Op. cit.*, lib. VII, tract. 2, c. 1); seu, ut nos iam antea diximus (p. 388), quaestiones de accidente, de genere, et de proprio ad quaestionem *de definitione* solvendam spectant.

[3]) Alb. M., *ibid.*, tract. 2, c. 1.

esse arguitur: *Si species, de qua agitur, non est in eodem genere cum specie sibi contraria, contrario generi attribuenda est.* Hinc in definitione *iniustitiae vitium* tamquam genus recte adhibetur, quia ad genus *virtutis*, ad quod *iustitia*, non pertinet.

Ad confirmandam autem definitionem ex parte *differentiae*, haec generalis propositio valet: *Contrariarum formarum contrariae sunt differentiae.* Sane huius vi hoc pacto argumentari nobis licet: Vti candor atrori est contrarius, ita vim habere dissipandi aspectum contrarium est ei, quod vim habet aspectum congregandi; atqui aspectum congregare est atroris differentia; ergo etiam dissipare aspectum est differentia candoris [1]. Qua in re monendum est non necesse esse, ut contrariae species, quae non eidem generi, sed contrariis subiiciuntur, contrarias habeant differentias; siquidem species, quarum genera sunt contraria, ambae eamdem differentiam habere possunt. Quod exemplo iustitiae, et iniustitiae probatur; nam *esse in animo* est utriusque, nempe iustitiae, et iniustitiae communis differentia, qua a virtutibus, et vitiis corporis maxime differunt [2]. Quamobrem differentiae *saltem ultimae*, et *constitutivae* [3] in iis formis necessario contrariae sunt, quae in eodem continentur genere, cuiusmodi sunt album, et nigrum. Quae cum ita se habeant, praefatus locus argumentum nobis suppeditat, cum ita determinatur: Positis duabus

---

[1]) Vid. Alb. M., *ibid.*, c. 1.

[2]) « Attendendum autem hic, Albertus inquit, quod quando contrariorum eadem differentia dicitur, quod hoc est praecipue in diffinitionibus passionum, in quibus subiectum est loco differentiae, sicut in diffinitione aquili, et simi, utriusque differentia est nasus; et sicut dictum est in diffinitione iustitiae, et iniustitiae, cuius utriusque differentia est anima; de differentiis formaliter constitutivis hoc verum esse non potest »; *Loc. cit.*

[3]) *Saltem ultimae*, et *constitutivae* inquimus, quia si cum summo genere coniungantur differentiae ultimae contrariae, inde nascuntur genera inferiora inter se contraria, quorum differentiae, ut diximus, eaedem esse possunt.

formis contrariis, et contrariis etiam differentiis nisi eadem differentia, quae uni convenit, conveniat etiam alteri contrariae, certe contraria differentia huic conveniet.

Illud autem praeterire nolumus, definitionem facilius posse refelli, quam probari [1]. Etenim facilius negari, quam probari potest hoc esse genus, illam esse differentiam; item omnia ea, et sola posita esse, quae rei definiendae naturam explicant. Siquidem 1° facilius est unum absolvere, quam plura; at una quacumque parte definitionis eversa, tota simul evertitur, dum eius confirmatio ab omnibus simul pendet; 2° ad confirmandam definitionem necesse est probare universe ipsam et omnibus sub definito comprehensis convenire, et cum iisdem reciprocari; sed ad eamdem evertendam satis est vel docere uni alicui eorum, quae sub definito continentur, non convenire, vel cum iis non reciprocari.

VOLVMINIS TERTII LOGICAE

FINIS

[1]) Cf Alb. M., *Op.* et loc. cit. c. 3.

Nihil obstat
ANTONIVS CAN. D' AMELIO
Censor Theologus

Imprimatur
LEOPOLDVS CAN. RVGGIERO
Deput.



470
100
S1
Sanseverino
AUTHOR
Philosophia Christiana
TITLE
Vol II